

omnino grassaretur interitus. Possem quidem vobis A
 dinumerare quanta in aliis locis hostium turba ceci-
 derit : sed more humani animi ad vestra felicia festi-
 nantes, illud nos tantum dicere cupitis, quod ad vos
 specialiter pertinere sentitis. Redeamus ergo ad
 suave principium, quando quos defendit a belli clade,
 nec inopix patitur pericula sustinere. Nam qui per-
 culit hostem provincix, et famem jussit exire. O cer-
 tamen toto orbe prædicandum! Contra indigentiam
 sævam gloriosi principis pugnat humanitas, cujus
 vere castra sunt horrea referta, quæ si claudere vo-
 luisse, tunc importabilis intrasset inimica; sed quia
 magis aperuit, sævientem adversariam mox fugavit.
 Nescio quæ principis nostri bella mundus potius ad-
 miretur, ego tamen dicam quod sentio. In usum est
 viris fortibus feliciter egisse pugnans, sed supra huma-
 nitatem virtutem esse constat vicisse penuriam. Ve-
 rum cum his tantis ac talibus bonis nulla potuissent.
 supplicium vota sufficere, adhuc et dimidiam relaxare
 pertulit fiscalis calculi functionem, ne tristes in aliqua
 parte faceret, quibus tot felicia præstitisset. Joseph
 legimus contra famem funestam emendi quidem tri-
 tici dedisse lætiam : sed tale posuisse pretium, ut
 suæ subventionis avidus, se potius venderet alimonia
 mercaturus. Quale fuit, rogo, tunc miseris vivere,
 quibus acerba subventio libertatem suam videbatur
 adimere : ubi non minus ingemuit liberatus, quam
 potuit flere captivus! Credo virum sanctum hac ne-
 cessitate constrictum, ut et avaro principi satisfacere-
 ret, et periclitanti populo subveniret. Pace tanti pa-
 tris dixerim, quanto præstantius est libertate salva
 frumentum vendere, et propter indigentiam tributa
 laxare! Gratis constat ista venalitas, quando et unde
 ematis cessit, et pretium quod vos oblectet imposuit.
 Vendit itaque largitas publica vicenos quinos modios,
 dum possessor invenire non possit, ad denos ordi-

nem rerum sæculi mutavit humanitas : nos jubemur
 vile distrahere, cum esuriens paratus sit carius com-
 parare. O novum prædicationis eventum! Affectu
 damni negotiatio provenit; et votum est vendenti
 magis perdere, ut quæstum comparans valeat inve-
 nire. Talia profecto regem decet tractare commercia,
 talem convenit nunquinationem exercere pietatem; ut
 tunc minus acquiescat accipere, quando emptor plu-
 rima præcipitatur offerre. Libet referre qualis in vo-
 bis sit dominantis affectus, quia et primo cessit,
 quantum sufficere credidit, et nunc iterum postulata
 geminavit. Verecundum vobis erat aliquid sperare
 post dona, cum se adhuc ad beneficia principis re-
 servaret humanitas : non audita despexit, quando
 ipse visa testatus est. Felix illa calamitas, quæ prius
 miserantem reperit testem; ut post districtum iudi-
 cem non haberet. Gaude igitur assuete jam bono
 Ligur, in usu tuo secunda [ms. et Ac., sæcula] vene-
 runt; nam collato tibi Ægyptios magna prosperitate
 vicisti : evadis tempora necessitatis, et libertatis præ-
 mia non amittis; immo illo tempore securus es ab
 hoste redditus, quando et de famis periculo cogno-
 sceris esse liberatus. Adhuc te prædictum ornat
 exemplum, adhuc est in qua parte superetur. Legi-
 tur enim Joseph fratribus suis tantum saccis occulta
 pretia reddidisse. Quid mirum, si, natura compelle-
 lente, proximis suis humanior usus est exstitisse?
 Hic autem cunctis large vendidit, functionem debitam
 reliquit; et plus iste generaliter contulit tributaris
 quam ille solis visus est præstitisse germanis. Brevi-
 ter dicantur effusa; hinc bona sua discat universitas,
 quando non regibus comparantur nostra sæcula, sed
 prophetis. Sed ne diutius beneficiorum regalium cu-
 pidos occupemus, præcepta nostra ad eos quorum
 interest manasse cognoscite, ut secundum tenorem
 jussionis ad vos perveniat munificentia principalis.

M. AURELII CASSIODORI HISTORIA ECCLESIASTICA

vocata

TRIPARTITA,

EX TRIBUS GRÆCIS AUCTORIBUS, SOZOMENO, SOCRATE ET THEODORETO,
 PER EPIPHANIAM SCHOLASTICUM VERSIS EXCERPTA, ET IN
 COMPENDIUM A SE REDACTA.

PREFATIO.

203 Utiliter nimis in capite libri præfatio poni-
 tur, ubi futuri operis qualitas indicatur. Quid enim
 commodius quam prius per eam aliquid discere, ne
 dictio possit inopinata confundere? Hæc igitur Hi-
 storia ecclesiastica, quæ cunctis Christianis valde
 necessaria comprobatur, a tribus Græcis auctoribus
 mirabiliter constat esse conscripta; uno scilicet

D Theodoro, venerabili epis: opo et duobus disertis-
 simis viris, Sozomeno et Socrate; quos nos per Epi-
 phaniam Scholasticum Latino condentes eloquio,
 necessarium duximus eorum dicta deflorata in unius
 styli tractum, Domino juvante, perducere, et de tri-
 bus auctoribus unam facere dictionem. Sciendum
 plane quod prædicti scriptores a temporibus divæ

memoriae principis Constantini usque ad augustae recordationis Theodosii Junioris, quae sunt gesta digesserint. Nos autem eorum relectis operibus, et unumquemque cauta mente tractantes, cognovimus, non aequaliter omnes de unaquaque re luculenter ac subtiliter explanasse; sed modo hunc, modo alterum aliam partem melius expediisse. Et ideo judicavimus de singulis doctoribus [*Ms. Lyr. et Santhead.*, doctoribus; *ed.*, dictatoribus] de florata colligere, et cum

A auctoris sui nomine in ordinem collocare. *Logos* ergo intrepidus, qui ad haec opuscula Domino donante pervenerit; multum utilitatis atque notitiae lucraturus, si quae posita sunt per hos duodecim libros, memoriae suae sollicita mente condiderit. Praeterea, ne quempiam res indistincta turbaret, per univ-
sum textum hujus operis titulos cognoscat appositos; ut suis locis exigere possit quod sub numero competenti praedictum esse cognoscit.

LIBER PRIMUS.

204 CAPUT PRIMUM.

Oratio allocutoria Sozomeni (pag. 393) ad Theodosium imperatorem.

Autem antiquis principibus diligentiam studiumque fuisse ut eis amatores quidem ornamentum, purpuram atque coronam, et his similia praepararent; librorum vero habentes intentionem, circa quasdam fabulas occupati, conscriptiones agerent, quae audientium corda mulcerent: porro bella sectantes, ut sagittam opportune dirigerant, bestiam prosternerent, lanceam bene jacularentur, aut equum decenter ascenderent. Praesentabant enim singuli regalibus eorum, studentes rebus illis quae forent gratissima dominantum. Alius itaque lapides pretiosos difficile compertos offerebat; alter lincturam purpuream; clariora plurimi poemata aut diversas conscriptiones insinabant; alius bona cingula, aut optimum armorum pendebat [*ed.*, pandebat] usum. Maxima vero et imperialis putabatur hujus popularis virtutis pars illa ad quam tunc amantis intentio declinabat. De pietate autem, quae est verus imperii ornatus, nulli studiosae quodammodo sermo fuit. Sed tu, o potentissime Theodosi, ut complexive dicam, cunctam superasti, Deo juvante, virtutem. Purpura siquidem et corona qua videris propter inspicientes (quia est majestatis signum) circumdari, pietatem tibi et clementiam intrinsecus semper enutriunt. Unde conscriptores, et praefecti, ac reliqui subjectorum circa te tuosque laborant actus. Disceptor autem positus iudexque librorum, non camerato eloquio caperis, aut qualibet ligura furtum patris veritatis; sed perfecte metiris utrumque, sermonem proprium aptans causae: figuram quoque dictionis, et partes, et ordinem, et congruentiam, et eloquium, et compositionem, et collectiones, et sensum, et historiam profunde discutiens. Compensas autem recitantibus et tuo iudicio, et favoribus opportunis, nec non aureis imaginibus, et positione simulacrorum, et donis, et honoribus universis. Qualem vero te circa recitantes praebes, tales dudum fuerunt iudices [*ed.*, *Niv.*, iudices Cretes] circa dulciloquum Homerum: aut Alevadae [*alii*, Alevas] circa Simonidem; aut Dionysius Siciliae tyrannus circa Platonem Socratis discipulum; aut Philippus Macedo circa Theopompum historiographum; aut Severus Caesar circa Oppianum, qui metris genera piscium et naturas, captionemque nar-

ravit. Cretae siquidem mille numismata carumque compensantes Homericis, et tanquam de excellentissima largitate gloriante, in publica statua munera conscripserant. Alevadae autem, et Dionysius, et Philippus nequaquam animo parciores fuere Cretensibus, de superba se republica philosophiaque jactantibus; qui velociter illorum statua imitari potuerant, nisi opere fuissent minores in munere. Severus autem pro metrico poemate per versum uno aureo donans Oppianum, tantum praebet de largitate miraculum, ut aurea carmina Oppiani hactenus apud plurimos nominantur. Haec dona fuerunt olim astantium litteras et doctrinam. Tu vero, potentissime principum, nullo priorum excellentia minor inveniris, largitibus tuis circa dictiones exhibitis. Sed mihi videris non incongrue talia facere. Nam cum omnes virtutibus **205** eviceris, studiosae ad crementum semper quae tua sunt evehis, quoniam rerum olim gestarum apud Romanos et Graecos veritatem integerrime cognovisti. Autem etenim te per diem quidem exercori armis et corpore, subjectorumque negotia disceptare, judicare simul et agere, modo seorsum, modo communiter, quae sunt agenda considerare; noctibus divinis libris incumbere. Fertur autem tibi ad eorum scientiam ministrare candelabrum arte mechanica factum, et sponte fundens oleum in lucernam, ut nullus circa regalia constitutus in laboribus tuis cogatur affligi, et naturae vim faciat somno repugnans. Sic equidem clemens et mansuetus circa proximos, et maxime circa omnes existis, caelestem Regem tuum imitando patronum, cui gratum est *super justos et injustos pluere, et solam facere oriri* (*Matth.* v, 45); et alia simul invidia recedente largiri. Per multam vero doctrinam audio: *etiam lapidum scire naturas potestatesque radicum, effectusque curarum non minus Salomone David filio; magis autem potior es virtutibus.* Ille siquidem factus libidinis servus, pietatem non custodivit ad terminum, quae illi causa fuerat honorum et sapientiae. Tu vero, o potentissime, negligentiae objiciens rationem, videris non solum hominibus juste, sed etiam corporis et animae passionibus imperare. Si autem oportet et hoc dici, audio te etiam totius cibi vel poculi desideria superare; et neque poma dulcia, neque aliud quidquam speciosum appetere, nisi quantum ad tactum convenit, et solummodo sapor congruerit; primo

tamen benedicere omnium Creatorem. Sitim vero, æstum et frigus ferre consuetus, quotidianis exercitationibus jam ipsam continentia putaris habere naturam. Dudum siquidem in Ponto civitatem Heracleam ab Hercule nominatam videre festinans, et laborantem longo tempore sublevare [*Ms. Lyr.*, exercitum sublevare], in æstatis ardore per Bithyniam faciebas iter. Sole vero circa diem medium vehementer urente, videns te quidam iter agentium sudore multo simul et pulvere squalentem, quasi præstaturus occurrens, obtulit tibi poculum valde perspicuum, et velut radiis emicantem, suavissimum quemdam in eum potum mittens, et aqua perfundens frigida. Tu vero, o potentissime, sumens, laudasti quidem pro sua magnanimitate virum, et largitate principali post paululum cumulasti; sed cunctis militibus ad illius poculi claritatem nimis inhiantibus, et beatificantibus qui esset bibiturus cum, rursus ei poculum reddidisti, præcipiens ut quo vellet uteretur eo. Unde mihi juste videtur tuis virtutibus superatum etiam Alexandrum, de quo narratur ab eis qui opera illius admirantur, quia ei, dum per iniqua loca properaret cum Macedonibus, diligens quidam miles aquam inveniens, hausit et obtulit ei; ille vero non bibit, sed corpus infudit. Ut ergo absolute dicatur, omnium priorum principum principiorum, si dici fas est, te vocare debemus secundum Homerum. Alios etenim reges nihil dignum habuisse comperimus; alios autem ornasse una aut duabus rebus imperium. Tu autem, o serenissime, omnes simul virtutes amplectens, universos dignoscere evicisse pietate, clementia, fortitudine, castitate, iustitia, largitate, atque magnanimitate dignitati imperiali conveniente. Sine sanguine autem et puro cæde, super omnium priscorum, tuum cuncti gloriantur imperium. Res studiosas cum delectatione subjectos præcipis edoceri; favoremque et reverentiam circa tuum amorem et communem utilitatem cunctis ostendere. Quapropter omnium horum causa necessarium videtur mihi ecclesiasticam historiam conscribenti, te primitus alloqui. Cui namque potius hoc ascribam, multorum ac venerabilium virtutes utique narraturus, et ea quæ circa catholicam Ecclesiam provenerunt, vel per quantas ipsa transiens tempestates, ad tuos parentumque tuorum portus accesserit? Age nunc omnia sciens, omnemque virtutem habens, et præcipue pietatem, quam principem esse sapientia sermo divinus docet. Suscipe a me hanc scripturam, et libenter examina; tuæque integritatis adjectiones et detractones adhibens, tuis laboribus eam purga. Indubitanter enim quodcumque tibi placuerit, utile legentibus clarumque videbitur; nec quilibet reprehendet quod tu quoque probaveris. Præcedit autem mea conscriptio a tertio consulatu Crispi et Constantini Cæsarium usque ad septimum decimum tuum; visumque est mihi bene se habere in novem decisiones opus omne divisere. Continebit autem primus et secundus tomus ea quæ sub principe Constantino Ecclesie provenerunt.

A Tertius autem et quartus quæ sub ejus filiis. Quintus et sextus quæ sub Juliano consobriño filiorum maximi Constantini, et Jovianiano, nec non Valentino et Valente gesta noscuntur. Septimus et octavus nobis aperiet tomus quæ sub Gratiano et Valentino fratribus acta sunt usque ad tempora imperii jucundissimi avi tui Theodosii: quando scilicet vester, clementissime principum, sacratissimus pater Arcadius paterno succedens imperio, una cum piissimo patruo tuo Honorio Romanum orbem gubernare sortitus est. Nonum vero librum Christiano ac venerabili vestro apici dedicavi, quem Deus sempiternè custodiat magnanimitate inconvertibili hostibus prevalentem, et habentem sub pedibus universos, et ad filiorum filios pium imperium dirigentem, annuente B Christo, cum quo et Deo Patri gloria una cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT II.

Cur gentiles facilius quam Hebræi fidem Christi susceperint.

Cogitatio mihi aliquando provenit, cur, putas, aliis quidem hominibus velocior fuit circa Domini verbum fides, Hebræis autem incredibilis [*ed. Froben.*, Hebræi incredibiles], cum ab initio divina mandata perceperint etiam de Christi præsentia, et quomodo hæc forent, antequam fierent, didicerint per prophetas. Abraham etenim princeps eorum generis et circumcisionis existens, inspector et conviva Filii Dei esse promeruit (*Gen. xviii*). Isaac ejus filius imitatione sacrificii honoratus est, typo crucis a patre vinctus et oblati altari (*Gen. xxii*), sicuti contigit et in Christi passione fieri, ut aiunt qui Scripturas sacras integerrime collegerunt. Jacob autem expectationem gentium in eo nunc existentem, nec non et tempus quo venit prænuntiavit (*Gen. xlix, 10*), ubi ait tunc deliceat duces Hebræorum ex genere Judæ principis ejus tribus. Significabat autem principatum 206 Herodis, qui cum Idumæus esset genere paterno, Arabs autem a matre, commissa est ei gens Judæorum a senatu Romano et Cæsare simul Augusto. Sed etiam quidam aliorum prophetarum clare Christi generationem prophetaverunt, et illum sacrum ineffabilemque conceptum, et matrem post partum virginem permanentem, et genus, et patriam; alii vero passionem, et resurrectionem a mortuis, et ascensionem in cælos, et eventum singularum præsignaverunt eorum. Sed hæc quidem eos non ignorasse scire poterit qui sacris litteris incumbit. Josephus autem Matthathie filius atque sacerdos, vir apud Judæos nobilissimus, nec non et apud Romanos dignissimus, erit testis de veritate Christi (*Josephus, Antiq. lib. xviii, cap. 6*). Vocare namque eum virum non audeat, tanquam factorem insighium operum magistrumque sermonum veracium: Christum vero aperte nominat, et pœnæ crucis adjudicatum, et tertia die apparuisse vivum, et alia infinita miracula de eo a prophetis sanctis non igno-

* Id est, ab anno Ch. 323 usque ad 439.

rat esse prædicta; sed etiam multos tunc exstitisse, quos elegit, Græcos atque Judæos, et in ejus permanere dilectione, atque gentem ab eo nominatam nequaquam defecisse testatur. Et mihi videtur quoniam hæc referens, quasi clamare videtur operibus Deum esse Christum, rerum miraculis obstupescens. Cum autem hoc dixisset, etiam medius ipse transcurrit: in nullo tamen contradicens credentibus in eum, potiusque consentiens. Hæc igitur cogitanti mihi digne mirabile visum est Hebræos etiam ante alios homines ad Christianitatem non potuisse converti. Nam licet Sibylla et alia responsa apud gentiles ea quæ in Christo erant ventura prædixerint, non tamen ob hoc omnes Græci de incredulitate culpandi sunt. Pauci namque, qui videbantur eruditiores, præcipue hujusmodi prophetias intellexerunt, plerumque metricas existentes, et disertioribus verbis prolatas ad populum. Erat itaque, sicut mihi videtur, supernæ providentiæ ut ad concordiam futurorum non solum propriis prophetis ventura committerentur, sed etiam ex parte gentilibus, veluti si quis melodiæ compositor, propter utilitatem peregrini soni alias chordas plectro discurrat, aut super eas quæ sunt alias adjiciat. Hebræi siquidem pluribus et manifestioribus prophetis utentes, in præsentia Christi minores sunt inventi quam Græci. Sed neque hoc extra rationem videbitur, cur ex aliis gentibus tantum Ecclesia crediderit. Primum quidem, quoniam Deo gratum est, ex miraculis nasci mutationes in divinis maximisque negotiis; deinde quia non fortuitis virtutibus præsulum ejus ab initio desperata reperitur esse religio. Nam licet linguam ad elocutionem aut pulchritudinem sermonis disertam non habuerint, neque verbis aut probationibus philosophicis uterentur, ad suadendum tamen non ob hoc minus studium fuit eis; sed exuti substantiis, et bona propria contemnentes atque nudati, et velut in aliis corporibus plurima pessimaque tormenta suscipientes, et neque civitatum populis submissi, neque judicium blandimentis illecti, neque terroribus forte deterriti, clarum fecerunt universis quoniam pro maximis præmiis hujusmodi certamina sustinerent. Quapropter neque suasionem verborum opus erat, dum per domos et civitates ad credendum res ipsæ compellerent quæ nequaquam primitus videbantur auditæ. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 1, p. 398.*

CAPUT III.

Quæ fuerit intentio Sozomeni historiam conscribendi, et ex quibus priorum gesta collegerit.

Tanta ergo divina atque mirabili mutatione in orbe terrarum facta, ita ut et prior religio, et leges patriæ spernerentur, crudele nimis erat Calydonium quidem aprum, et Marathoniuni taurum, et alia his similia per provincias et civitates facta, aut fabulis divulgata, tanto nobilitari studio, ut multi Græcorum et probatissimi conscriptores circa talia laborassent, scribendi habentes ingenium: me vero vim meæ non inferre naturæ, et historiæ ecclesiasticæ gesta narrare. Ror enim quoniam argumento rei hujus non ab hominibus instituto, conscriptor quoque inopin-

abiliter apparebit non inops Deo. Nisus sum etenim primo quidem hoc opus ab origine mundi dirigere [*ed.*, digerere]: sed considerans quoniam et alii talia fecerunt usque ad tempus suum, id est, Clemens et Egesippus sapientissimi, successionem sequentes apostolorum, Africanusque conscriptor, et Eusebius cognomine Pamphili, vir in divinis Scripturis et Græcorum poetis atque rhetoribus perscrutator eruditissimus: tunc ego quæcunque in Ecclesiis contigerunt post Christi ascensionem ad caelos, usque ad Licinii dejectionem colligens, in duobus redegi libris: nunc autem, favente Deo, quæ postea provenerunt, aperire tentabo. Quocirca memorabo causas quibus interfui, et a scientibus aut contemplantibus eas audivi, tam in nostra quam ante nostram generationem gestas. Cæterorum vero explanabo notitiam ex legibus positæ causa religionis, et ex conciliis per tempora constitutis, ac novitatibus factis, et imperialibus, atque sacerdotum epistolis, quarum aliæ quidem hactenus in palatiis ecclesiisque custodiuntur, aliæ vero passim apud diligentes inveniuntur. Quarumdam rationem [*ms.*, Quorumdam ratione] potius complecti in hoc opere melius approbavi propter magnitudinem lectionis, ut sensus earum breviter indicetur: nisi forte quædam venire possint in dubium, pro quibus apud multos est diversa sententia. Tunc enim, si quamlibet scripturam invenire potuero, propter probationem veritatis eam ponere non omitto. Ut autem nullus ignoratione rerum accuset mendacem esse conscriptionem, contrarias legendo forsitan epistolas, sciendum est quoniam occasione dogmatis Ariani et eorum qui postea sunt oborti, discordantes inter alterutros. Præsules Ecclesiarum, singuli de quibus studebant suis consecratoribus scribebant, et per concilia congregati decernebant quæ vellent; et sibi contraria sapientes, per absentiam se sæpe damnabant; et per tempora principes ac proceres eorum, qua poterant virtute flectebant, et sibi unanimes faciebant, ut eorum consensu recta colere putarentur. Alii siquidem istis, alii vero faventes illis, collectionem fecerunt epistolarum pro hæresi propria directarum, et eas sibi contrarias reliquerunt. Porro nobis difficile valde fuit ut inveniremus omnia quæ de talibus provenerunt. Quia vero præcipua cura veritatis habenda est, propter historiæ puritatem, necessarium mihi visum est etiam litteras hujusmodi, ut fuit **207** possibile, perscrutari. Si igitur etiam seditiones ecclesiasticas inter alterutros gestas de præsulatu vel de honore primatus, propriæ hæreseos explanavero, non grave aut malæ voluntatis esse videatur. Primo namque, sicut dictum est, conscriptor omnia decet veritati postponere, deinde dogma Ecclesiæ catholicæ veracissime declarare. Quod scilicet invenitur sæpe quidem adversariorum insidiis impetum, et tamen tanquam divinitus roboratum in propria mansisse virtute, et universas Ecclesias et populos ad suam traxisse veritatem. Cum itaque vellem, si tamen liceret [*ed.*, deceret], ea sola conscribere quæ ad meam videbantur notitiam pervenisse de Ecclesia in Romano imperio constituta:

placuit tamen, quantum valuero, ut etiam apud Persas et Barbaros quæ sunt gesta de religione conscribam. Non autem absurdum erit ab historia ecclesiastica, si in hoc opere etiam illi referantur qui quondam patres et præceptores fuerunt monachorum, aut qui post eos per successiones utiles visi sunt, sicut audivimus atque probavimus. Non enim aut nos ingrati esse videbimur, taciturnitati tradentes virtutem eorum; aut illi exsortes erunt hujus historiæ qui tantæ philosophiæ exempla reliquerunt, quibus utentes posteri, beatissimo et felicissimo fine potentur. Sed hæc quidem sermo procedens, ut potuerit observabit. Convertar nunc ad narrationem rerum, cooperatorem invocans Deum. Hinc enim habebit præsens scriptura principium. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 1, p. 400.*

CAPUT IV.

A quo tempore historiæ fecit initium, et quomodo Constantino signum crucis ostenditur, et qui imperatores et Cæsares per idem fuisse tempus.

Crispo et Constantino Cæsaribus atque consulis (Anno D. 322), Romanæ quidem Ecclesiæ Sylvesterius præsidebat. Alexandrinæ autem Alexander, et Hierosolymorum Macarius, Antiochiæ vero quæ est apud Orontem [ed. Frob., Orientem] post Romanum nondum quisquam fuerat ordinatus, persecutionibus scilicet prohibentibus. Non longo post tempore, hi qui in Nicæa collecti sunt, sapientia et eloquiis admirantes Eustathium, dignum approbaverunt sedi apostolicæ præsidere; et cum esset episcopus vicinæ Beroæ, eum in Antiochiam transtulerunt. Tunc ergo Christiani orientales quidem usque ad terminos Ægypti circa Libyam commorantes, non præsumebant aperte in ecclesias convenire, cum Licinius favorem quem in eos habuerat permutasset. Sed neque per Occidentem Helladici, vel Macedones, et Illyrici licenter in religione durabant propter Constantinum, qui princeps erat in his partibus Romanorum (Anno D. 315). Huic enim viro et alia quidem plurimæ postea provenisse percepimus, quibus flexus est Christianorum dogma venerari; præcipue tamen propter signum quod ei divinitus ostensum est. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 2, p. 403.*

Et quoniam ad hæc venimus, paulo latius aliquid referamus. Cum Diocletianus et Maximianus Herculius privatam elegissent vitam, et Maximinus Galerius, qui cum eis imperaverat, tenens Italian, duos Cæsares fecisset, Maximinum in Oriente, et Severum in Italia (Anno Ch. 306); tunc Constantinus in Britannia patre mortuo ordinatur imperator primo anno olympiadis 271, die 27 Julii mensis. Romæ vero a prætorianis militibus Maxentius Maximiani Hercullii filius imperator instituitur. Hinc ejus pater impetrandi cupidine voluit filium regno privare, quod facere nequivit. Post hæc autem Tarso Ciliciæ mortuus est. Porro Severus Romæ contra Maxentium veniens, militum proditione peremptus est. Maximinus autem Galerius instituens Licinium Augustum, moritur. Proinde Maxentius Romæ velut tyrannus habebatur, adulteria impudenter exercens et earum viros

occidens. Quem volens Constantinus opprimere, et Romanos a cladibus liberare, cogitabat quem in bello Deum haberet auxilio: sciens nihil prodesse deos quos Diocletianus venerabatur, et quia potius ejus pater, paganorum contempta religione, feliciter advixisset. SOCRATES, *lib. 1, cap. 2, p. 5.*

In his ergo sollicitudinibus constitutus, in somno vidit crucis signum cælo splendide collocatum: mirantique visionem (An. Dom. 315), astiterunt angeli dicentes: O Constantine, in hoc vince. Fertur autem et ipsum Christum apparuisse ei, signumque monstrasse crucis, ac præcepisse ut figuram similem faceret, et in præliis auxilium hoc haberet, quo victoriæ jura conquiret. Eusebius itaque Pamphili cum jurejurando ipsum imperatorem dicentem audisse se refert, quia circa meridiem, declinante jam sole, crucis signum ex lumine factum, et scripturam consortam ei dicentem, IN HOC VINCE, vidisset ipse et milites qui cum eo tunc essent. Pergenti namque ali-quod per iter cum exercitu, hoc, inquit, ei miraculum est ostensum. Dumque cogitaret quid esset, nox supervenit, et dormienti Christus apparuit cum signo quod vidit in cælo, jussitque ut fieret ejus signi figuratio, quæ foret auxilium in congressionibus præliorum. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 3, p. 403.*

CAPUT V.

Quomodo Constantinus Christianum dogma cognoverit; et de miraculis crucis, et morte Maxentii.

Cumque jam opus non esset interprete, sed aperte imperatori monstratum fuisset quid de Deo credere conveniret, mox die facta sacerdotes Christi convocans, de dogmate consulebat. At illi sacros libros offerentes, de Christo loquebantur, suaque dicta ex propheticis comprobabant: Signum vero quod apparuerat ei, dicebant tropæum esse victoriæ adversus infernum, quam victoriam ascendens in caelos egit Christus, crucifixus et mortuus, et tertia die resurgens, secundum quod sperandum esse dixerunt: quia post hujus vitæ terminum circa finem sæculi præsentis, omnes homines resurgant, et immortales existant: alii quidem ad præmia rerum, quibus bene vixerunt; alii ad supplicia, eo quod ab eis mala sint gesta. Esse tamen etiam in delictis quæ committuntur hic occasionem salutis purificationemque peccati: nondum initiatis quidem baptismatis adeptionem secundum ecclesiasticam legem, **208** initiatis autem custodiam, ne delinquant. Sed quia hoc agere omnino paucorum sanctorumque virorum est, docebant quoque purificationem secundam ex poenitentia constitutam; clementem enim esse Deum, et veniam tribuere delinquentibus, si poenitentiam agentes studeant eam operibus roborare. Hæc sacerdotibus explanantibus, admiratus imperator prophetias de Christo ita promissas, jussit viros eruditos ex auro et lapidibus pretiosis in vexillum crucis transformare signum quod Labarum vocabatur. Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eo quod imperatorem præcedere, et adorari id a militibus moris esset. Unde præcipue Constantinum reor nobilissimum decus imperii Romani in signum mutasse crucis; ut

frequenti visione atque cura desuescerent a priori more subjecti; et eum solum arbitrantur Deum quem coleret imperator, vel quo duce atque auxiliatore uteretur adversus hostes. Semper enim hoc signum proponebatur ante ordines universos, quod maxime laborantibus aciebus in præliis adesse præcipiebat. Constituit itaque certos signiferos, qui in eo laborarent; quorum opus erat ut vicibus humeris veherent illud, et omnes acies ita lustrarent. Fertur enim quidam, eo quod aliquando ferens hoc signum, repente hostibus invadentibus expavisset, dedissetque illud alteri devehendum; cumque se de prælio subtraxisset et jacula declinasset, subito percussus interit; ille vero qui sacrum suscepit tropæum, multis se jaculantibus permansit illæsus. Mirabiliter enim divina regente virtute, sagittæ hostium figebantur in signo; a signifero autem inter pericula protinus evolabant. Dicitur autem neque alium unquam hujus signi ministrum, ut solet, in bello vulnere mortuum, aut cladem captivitatis perpassum. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 5, p. 404.*

Congressus ergo circa pontem Milvium vicit, in flumine necato Maxentio. Erat enim annus septimus imperii Constantii. Inter hæc Diocletianus Salonæ defunctus est (*An. Dom. 315*). SOCRATES, *lib. 1, cap. 2, p. 7.*

CAPUT VI.

De derogatione paganorum.

Non autem ignoro quia Græci referunt Constantinum, eo quod aliquos genere proximos occidisset (*An. Dom. 316*), et cooperatore extitisset in nece filii sui Crispi, penitentia ductum, de purificatione consuluisse philosophum Sopatrum, qui tempore illo præerat in sede Plotini; illumque respondisse nullam esse in hujusmodi delictis purgationem; Constantinum vero hac interdictione turbatum, invenisse episcopos qui penitentia seu baptisate promitterent eum ab universo posse purgari delicto: tunc gavisum in illis qui dixerant quod volebat, admiratumque dogma, factum deinde Christianum, et ad sui similitudinem deduxisse subjectos. Mihi autem videntur hæc ficta ab eis qui student religioni Christianæ detrahere. Crispus etenim, propter quem dicunt Constantinum eguisse purgatione, anno 20 imperii patris defunctus est (*An. Dom. 329*). Qui cum adhuc viveret, multas cum eo pro Christianis posuit leges; secundo quippe loco honoratus imperii, et Cæsar existens; sicut etiam nunc principum nomina et tempora legibus subjecta testantur. Sopatrum vero non est credibile ad colloquium Constantini venire potuisse, in sola Oceani circa Rhenum parte regnantis: propter intentionem vero contra Maxentium habitam debebat in Italia. Tunc Romana respublica turbabatur; et non erat facile ut Britanni et Galli convenirent cum illis tunc, apud quos constat Christiana religione Constantinum participatum, nisi dum contra Maxentium castrametaretur, et transiret ad Romam. Testes autem sunt rursus horum tempora, nec non et leges quas pro religione sanxit. Ut autem conce-

damus facile potuisse principem loqui Sopatro, aut per epistolam suam consuluisse pro quibus vellet, non est tamen verisimile ignorasse philosophum quia Hercules Alcmæ purgatus Athenis est post filii necem in Cereris sacris; et quia post Hyphiti necem peregrinum et amicum injuste peremit. Cum igitur Græci in hujusmodi delictis purgationem annuntient, sufficiant quæ dicta sunt, et accusent de mendacio eos qui Sopatrum contraria Constantino respondisse sinxerunt. Non enim credo hæc ignorasse tunc nobilissimum apud Græcos eruditione litterarum. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 5, p. 406.*

CAPUT VII.

De Constantio patre Constantini.

Igitur Ecclesiæ sub regimine Constantini alacriter agebant, et quotidianis diebus augebantur, favente et unanimi principe, et multis eas beneficiis elevante [*ed.*, multis ejus beneficiis elevatæ]; quas etiam prius inconcussas Dominus a periculis turbisque servavit. Nam cum persecutiones diversas Ecclesiæ in alio terrarum orbe paterentur, solus Constantius Constantini pater licenter Christianis in sua consistere religione concessit. Denique aliquod tale eum miraculum et memoria dignum egisse cognovi. Is enim probare volens quosdam in suo palatio Christianos, si boni et solidi essent viri, evocans universos præcepit dicens, ut si quidem venirent ad sacrificandum et ejus colerent deos, circa eum essent, et in suo cingulo permanerent; si vero refugerent, egrederentur de palatio gratias agentes quod minime punirentur. Cumque in utroque apparuissent, alii quidem desertores religionis, alii vero divina præsentibus præponentes, deliberavit eis amicis et consiliariis uti qui in melioribus fideles constanter permanserant; alios autem velut effeminatos aversatus, expulit a suo colloquio: credens nunquam eos circa principem devotos fore, qui fuerint Dei sui sic paratissimi proditores. Et ideo adhuc superstite Constantio non videbatur contra legem, quempiam esse Christianum apud eos qui ultra Italiam, Galliasque, et Britanniam, et qui circa Pyrenæum habitabant montem usque ad Oceanum Hesperium. Cum vero Constantinus in ejus successisset imperium, potius res Ecclesiæ effloruerunt. Maxentio enim Herculi filio perempto, cum ejus pars Constantino cessisset, jam licenter in religione vigeant qui circa Tiberim fluvium et Eridanum (quem Padum provinciales appellant) commorantur, et qui circa Aquilam commanebant; in quem locum fertur advectam navigio Argo, et ad Tyrreum pelagus fuisse perductam. Argonautæ enim ventum validum declinantem, non eodem 269 navigio in regressione sunt usi; sed transeuntes mare quod super Scythas est, per hæc flumina venerunt ad terminos Italorum; et hic hiemantes condiderunt civitatem quæ nuncupatur Æmonia. Æstate vero superveniente, cooperantibus eis provincialibus, fere quadringenta stadia arte mechanica trahentes Argo per terram ad fluvium Aquilam deduxerunt, qui permiscetur Eridano. Eridanus

autem fauces habet in Italicum mare. Post prælium itaque, Cibalæ, Dardanii, et Macedones, et qui circa Istrum tunc morabantur, nec non et Hellas, et Illyriorum gens omnis sub Constantino redacta est. SOZOMEN., lib. 1, cap. 6, p. 407.

CAPUT VIII.

Quomodo Licinius fugatus, et Christianos fuerit persecutus, et novissime victus.

Porro Licinius hinc fugatus, cum prius sectator fuisset dogmatis Christiani, mutata voluntate, plurimos sacerdotum in suæ partis afflixit imperio, multos quidem et aliorum, præcipue tamen de collegio militari. Nimis enim Christianis erat infensus propter Constantini bellum, æstimans eum posse contristari propter calamitatem suæ religionis: simul etiam arbitratus, quia orarent et studerent redigi sub illius solius imperio. Super hæc autem pugnaturus denuo contra Constantinum, spem victoriæ habebat per divinationes et sacrificia, et seductus ab aliquibus promittentibus quia bello vinceret Constantinum, in paganitatem conversus est (Anno Dom. 325). Denique etiam Græci dicunt tunc eum expertum divinationem Miletj Geminique Apollinis, eique consulenti de bello, respondisse dæmonium per hos Homeri versus:

O senex, valde te juvenes pugnatōres observant.

Tuaque vita soluta est, sævæque te senectus excipiet.

Ex plurimis ergo rebus visum mihi est dogma Christianorum divina providentia constituisse, tantoque processisse cremento, maxime tamen ex persecutione gentilium futuro. Namque Licinio persequente Ecclesias in suo imperio constitutas, bellum in Bithynia factum est, quo novissime pugnaverunt inter alterutros ipse et Constantinus. Tantoque divino suffragio adjuvus est Constantinus, ut per terram et per mare vinceret inimicos; et amissis Licinius pedestribus et navalibus, semetipsum in Nicomediam transtulit, privatusque Thessalonice aliquanto tempore permansit, ibique peremptus est (Anno Dom. 324). Vir ergo primordiis imperii sui, præliis aliisque rebus valde proventus, et sororis Constantini nuptiis honoratus, hujusmodi fine defunctus est. SOZOMEN., lib. 1, cap. 7, p. 408.

CAPUT IX.

De legibus quas Constantinus pro Christianis posuit, et de mutatione rituum paganorum Christianorumque provectu, et de victoriis ejus, et veneratione religionis.

Constantinus igitur cum ad eum solum omne Romanum pervenisset imperium, edictis publicis us est, ut Orientales subjecti impavide religionem coleant Christi, et diligenter Divinitati ministrarent; Divinitatem quippe solam eam crederent quæ et revera esset, et sufficienter haberet omni tempore potestatem: et quoniam qui talibus studerent, omnia bona eis uberrime accederent, et quæcumque adversa putarent, cum meliori potius spe fruerentur; qui vero circa Deum delinquerent, commugiter et seorsum in bellis et in pace omnia eis difficilia provenirent. Gratiasque referens, non sibimet arrogans, adjecit in

eam legem dicens: quia ministrum opportunum eum habere dignatus fuerit Deus sui consilii, et a Britanico mari usque ad loca Orientis adduxerit eum, quatenus augetur Christiana religio; et qui propter Dei culturam durabiliter permanserunt in confessionibus martyrii, clariores ejus honoribus apparerent. Hæc igitur concionatus, et alia multa dicens, per quæ credebatur subjectos ad cultum religionis adducere, infirmis esse sancivit quæ contra religionem fuerant cogitata vel gesta sub persecutoribus Ecclesiarum, remissidnemque cunctos habere decrevit, qui propter confessionem Christi migrare in insulas aut alibi præter voluntatem propriam commorari jussi sunt, aut in metallis affligi [ed. affligi], aut publicis operibus, aut mulieribus, aut lanificis ministrare, aut dari curiis cum curiales primitus non fuissent. Eos autem quos infames illi fecerant, ab infamia relaxavit. Militia vero privatos in sua voluntate reliquit, utrum esse in schemate quo fuerant, an certe cum honorabili quiete liberam vellent habere vacationem. Cumque omnes ad priorem libertatem et consuetos honores revocasset, etiam substantiis reformavit universos. Si qui vero morte damnati, substantia quoque nudati sunt, præcepit proximis genere eorum deferendas hæreditates; nullo autem horum existente, unanquamque provinciam Ecclesiam ad jus hæreditatis accedere; et sive apud privatum, sive apud publicum de tali substantia esset aliquid ablatum, restitueret. Eis autem qui ex ærario publico aliquid comparaverant, aut donationes acceperant, secundum possibilem decentemque modum se providere promisit. Hæc igitur, sicuti dictum est, imperatori placuerunt, et lege firmata sunt, insigniterque omnia decenti line completa. Christiani vero tunc omnes Romanorum dignitates administrabant; et de cætero cunctis sacrificare negabatur, immolationibusque aut divinationibus non erat locus: sed nec idola dedicare, aut celebritates paganas agere jam licebat. Plurima vero etiam per civitates gentium, de antiqua consuetudine mutabantur. Ab illo denique tempore apud Ægyptios nequaquam secundum priores solemnitates in paganorum templa cubitus, sed in ecclesias magis offertur, quo significatur crementum aquæ Niliacæ. Apud Romanos autem tunc primum monachorum spectacula sunt remota. Apud Phœnices vero; qui in Libano vel Heliopoli commorantur, fas ulterius non fuit virgines fornicari antequam legitimis jungerentur viris, nempe post turpitudinem experimenti primi nefandæ permixtionis. Sanctæ vero domus quæ quidem magnitudinem videbantur habere sufficientem, corrigebantur. Aliæ vero cremento altitudinis et latitudinis augebantur. Alibi autem cum non essent, a fundamentis ædificatæ fulgebant. Pecunias vero ex regni thesauris imperator 210 affluentius impendebat: scribens per singulas civitates episcopis atque præsidibus populorum, ut sacerdotes, sicuti vellent, juberent; isti autem jubentibus obedirent, quatenus cito perficeretur opus. Lætanti siquidem ejus imperio, etiam religio valde florebat, et in tantum etiam post bellum contra Licinium gestum felicissimus fuit

in præliis adversus alienigenas præparatis, ut etiam Sarmatas vinceret, et qui vocantur Gothi, tunc novissime causa gratiæ apud eum fœdera celebrarent. Hæc autem gens habitabat tunc quidem trans fluvium Istrum. Cumque esset in bellis prona, et multitudine atque magnitudine corporum armis semper exercitata; aliis quidem barbaris prævalebat; solos autem habebat Romanos sibi repugnantes. Fertur enim etiam et hoc prælio demonstratum Constantino per signa atque somnia quanta Dei providentia regeretur. Qui cum superasset omnia bella quæ sub eo sunt gesta (*An. Dom. 333*), veluti repensans Christo, in ejus religionis studio magis magisque servebat: hanc ætiam veram fatendam esse et salutarem existimare subjectos jubens. Ex terra vero subdita sibi, ex unaquaque civitate detrahens, publicum certumque [ed., publico, certum, etc.] vectigal ecclesiis provincialibus clericoque distribuit, et donationem validam in perpetuum esse sancivit. Assuescens autem milites, ut, sicut ipse, Deum colerent, signo crucis eorum arma signabat. In regalibus quoque oratorium fabricatus, etiam tabernaculum ad instar ecclesiæ circumferebat dum adversus hostes castrametaretur; quatenus nec in itinere degens ipse, vel exercitus sacro lumine privarentur, quo deceret laudari Deum, et orationes offerri [*Mos.*, decerneret laudare... offerre]. Sequebantur autem pariter sacerdotes et diaconi tabernaculo servientes, qui secundum legem ecclesiasticam sacrarum ordines adimplebant. Ex illo autem Romanorum cohortes, quæ nunc Numeri nuncupantur, singule fecerunt tabernaculum proprium, et sacerdotes atque diaconos distributos habebant. Die vero qui dominicus vocatur, quem Hebræi primum vocant, Græci autem soli distribuunt, et qui ante septimum est [*id est diem Veneris*], sancivit a judiciis aliisque causis universos habere vacationem, et in eo tantum orationibus occupari. Honorabat autem dominicum diem, quia in eo Christus resurrexit a mortuis; alium vero, quia in eo fuerat crucifixus. Maximam namque culturam sacratissimæ crucis habebat, tam pro iis quæ ei prospere provenerant ejus auxilio in præliis contra adversarios insutis, quam pro indicio quod ei divinitus pro ea videbatur ostensum. Denique supplicium crucis, quod primitus apud Romanos erat in usu, lege prohibuit. In figuratibus autem solidorum et in imaginibus hoc signum **D** jussit inscribi semper et figurari, ut testantur hactenus ejus imagines hoc schemate decoratæ. In omnibus siquidem rebus, præcipue tamen in legislationibus, studebat placare Divinitatem. Apparet enim luxuriosas et valde fatuas permixtiones ante eum non prohibitas, tunc fuisse correctas, sicut ex ipsis quas posuit legibus invenitur. Sed nunc quæ ad honorem et statum religionis ab eo sancita sunt pandere necessarium est, cum partes esse ecclesiasticæ videantur historiæ. *SOZOMEN., lib. 1, cap. 8, p. 409.*

Apud Romanos dudum fuit lex, a vigesimo quinto anno non habentes uxores prohibens a privilegiis habentium conjuges; sed et alia multa jubens, ut nihil e testamento lucrarentur, licet proximitate generis

consisterent: qui vero filios non habuissent, medietatem relictorum sibi amittebant. Posuerunt autem has leges antiqui, volentes Romam esse populosam, omnemque terram subjectam, et quia non multo ante has leges plurimos in civilibus bellis amiserant. Videns igitur imperator idcirco male tractari eos qui propter Deum virginitati et sine liberis esse studebant, fatuum judicavit diligentia et studio hominum videri eorum augeri genus; cum natura semper superna distributione diminutionem suscipiat et augmentum. Et legem populo proposuit universo, quatenus æqualibus privilegiis fruerentur qui sine conjugibus et liberis erant, quibus illi qui hæc se habere gaudebant. Sed etiam amplius habere sancivit eos qui in continentia virginitate degebant, licentiam eis **B** præbens masculis feminisque, licet ætate minoribus, testamentum facere contra communem legem. Omnes enim bene cogitare judicavit, quorum opus esset Deum placare semper et philosophiæ veraci vacare. Hujus enim rei causa et antiqui Romanorum licenter testati virgines Vestales etiam sexto ætatis curriculo decreverunt. Judicium itaque maximum reverentiæ pii principis circa religionem fuit: quia ubique administrantium sententias imperfectas esse voluit, et ad episcopos per appellationem refugiendum esse sancivit, si qui vellent civiles judices refutare: firmam vero illorum judicans sententiam potius quam judicium aliorum, et, tanquam ab imperatore prolatam, ab omnibus observandam, et inconvertibiles esse terminos synodales. Illud quoque nos relinquere dignum non est, quod pro utilitate sancitum est eorum qui in Ecclesiis manumittuntur. Cum propter subtilitatem legum etiam invitæ possessores difficultatem paterentur circa dationem melioris libertatis, quam civilitatem Romanam vocant, tres posuit leges: decernens omnes in ecclesiis manumissos sub testimonio sacerdotum, per hanc piam adinventionem Romana civilitate frui; cujus indicium præsens etiam tempus servat. Nam moris erat de libertate leges scriptas in manumissionibus anteponi. Constantinus igitur hanc studens sane in omnibus honorabat religionem; erat quippe et per semetipsam gloriosa propter virtutem plurimorum tunc in ea pollentium. *SOZOMEN., lib. 1, cap. 9, p. 413.*

CAPUT X.

De diversis confessoribus eorumque conversatione.

Itaque persecutionibus jam cessantibus, adhuc multi confessorum superstites Ecclesiis exornabant; ut fuit Osius Cordubæ pontifex, et Amphion Epiphaniæ Ciliciæ, et Maximus, qui post Macarium Hierosolymorum tenuit præsulatum, et Paphnutius Ægyptius, per quem aiunt plurima miracula operatum Deum, dæmonesque subjecisse, variarumque passionum condonasse ei sanitates. Ferunt autem quod Paphnutius et Maximus ex illis confessoribus fuerunt quos Maximinus imperator in metallis ad opera exercenda damnavit, oculos eorum dextros evellens, et sinistras suras incidens. *SOZOMEN., lib. 1, cap. 10, p. 414.*

211 Secundum eos autem fuisse percepimus Spiridionem Tremthuntis Cypriorum episcopum, ad cuius virtutem demonstrandam sufficere puto quæ hæc-nus de eo servatur opinio. Quanta per eum divino præsidio gesta sint, plura quidem novere provinciales; ego autem quæ ad nos valuerunt pervenire non tacebo. Fuit enim isto rusticus habens uxorem et filios, sed non propterea in rebus divinis minor. Atunt autem aliquando per noctem venisse malignos viros ad caulas ovium ejus, et cum rapere niterentur, subito vinctos nullo ligante fures. Tunc illum die facta venientem invenisse ligatos eos, et solvisse quidem ab invisibilibus vinculis, culpasse tamen et dixisse: Cur, fratres, dum licuisset quæ desiderabatis accipere, elegistis potius ea rapere, et noctem ducere jugiter infelicem? Tum miseratus eorum, magis autem ad meliora eos erudiens, ait: Abite hinc sumentes arictem; laborastis quippe vigiliis, et decet vos sine querimoniis recedere ab ovibus meis. Quod quidem quilibet juste poterit admirari. Nihilominus etiam illud mirandum. Apud filiam ejus virginem nomine Irenen quidam notus ejus speciem aliquam deposuerat; quæ sumens depositum, sub terra recondidit, ubi caute credidit custodiri. Contigit interea mori puellam nihil confessam patri. Venit homo depositum repetens, ignorante Spiridione quid loqueretur. Cumque in tota domo requisisset, nec invenisset, flebat capillosque vellebat, et morti vicinus esse videbatur ille qui deposuerat. Hæc Spiridion fieri videns, et cursim veniens ad sepulcrum, vocavit ex nomine puellam. Qua respondente, de causa depositi requisivit. Et dum ab ea didicisset, reversus, et inveniens ubi puella significaverat, reddidit homini quod petebat. Quoniam quidem ad hunc veni sermonem, non est incongruum etiam istud adducere. Mos erat huic Spiridioni ex fructibus qui nascebantur ei, alios quidem pauperibus erogare, alios autem gratis mutuare volentibus. Sed neque per se dabat, neque per se recipiebat; sed solum cubiculum demonstrabat, invitans petentes ut quantum opus habebant tollerent, et denuo revocarent quantum se noverant abstulisse. Quidam vero dum mutuum percepisset, reversus est post aliquantum quod tulerat redditurus. Quem dum secundum consuetudinem jussisset reponere in cubiculo quod fuerat exinde mutuatus, ad injustitiam ille conversus, et credens latere Spiridionem, non reddidit quod debebat; sed auferens debitum, quasi reddidisset, abscessit. Quod tamen longo tempore non erat ignorandum. Post certum namque tempus venit, rursus petens ab eo mutuum. At ille misit eum ad horreum, data potestate ut ipse sibi metiretur quantum opus haberet. Vacuum vero eumdem inveniens locum, et hoc oculata fide cognoscens, Spiridioni nuntiavit. Ille respondit ei: Mirum est, o homo, quod loqueris. Quomodo tibi soli visum est horreum necessariis defecisse? Sed considera potius apud temetipsum, ne forte mutuatus alia vice quod debueras, primitus non solveris. Si enim hoc non est, indubitanter non privaberis quibus eges, sed rursus accedens invenies.

Sic igitur ille captus est, et quod ei deliquerat indicavit. Dignum est igitur hujus sacratissimi viri mirari puritatem, et ecclesiastici ordinis valde custodiam. Dicitur itaque quodam tempore pro aliqua utilitate in unum Cyprios episcopos convenisse, et inter eos hunc fuisse Spiridionem, et Triphyllium Ledrensem episcopum, virum eloquio et sapientia præditum, nec non legibus [ed., Beryto legibus, etc.] eruditum. Cum itaque collecta celebraretur, injunctum est Triphyllio ut faceret sermonem ad populum. Cumque ille locus venisset ad medium, *Tolle lectum tuum, et ambula* (Matth. ix, 6), cubile dixit pro lecto, mutans nomen; Spiridion autem indignatus in eum, et exsiliens de cathedra sacerdotali: Tu melior es, inquit, eo qui lectum dixit, quia ejus verbis uti confunderis? Hoc autem fecit populo conspiciente, mediocritatem docens cum qui eloquii supercilio prætumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum, cum esset venerandus, et operibus gloriosus, simulque senex ævo atque sacerdotis officio. Qualis autem circa peregrinorum susceptionem fuerit, hinc apparet. Instante jam Quadragesima, quidam ex itinere venit ad eum quibus diebus consueverat cum suis continuare jejunia, et die certo comedere, medios dies sine cibo consistens. Videns itaque peregrinum valde defectum: Perge, inquit suæ filix, lava peregrini pedes, et cibos appone. Cumque virgo dixisset nec panem esse nec *ἀριστα* [hoc est farinas] (quarum rerum solebant nihil habere reconditum propter jejunium), orans primum, veniamque petens, filix jussit ut porcinas carnes, quas domi salitas habebat, coqueret. Quibus cortis, sedens cum peregrino positus carnibus coniebat, et rogabat ut una cum eo ederet peregrinus. Quo refutante, Christianumque se profitente: Propterea magis, inquit, refutare non debes: *Omnia enim munda mundis* (Tit. i, 15), sicut sermo divinus elocuit. Hæc quidem de Spiridione dicta sufficiant. SOZOMEN., lib. 1, cap. 11, p. 415.

CAPUT XI.

De diversis monachis et eorum institutione.

Præcipue vero insignissimam Ecclesiam demonstraverunt, et dogma dilataverunt vitæ virtutibus, qui conversatione monachica illo tempore fruebantur. Utilissima namque res ad homines venit a Deo ista philosophia, quæ multarum doctrinarum et dialecticæ artis studia despicit, tanquam sit minuta, et melioris operis tempus impediatur, atque ad recte vivendum nihil ostendat. Hæc ergo philosophia conversatione miranda, naturali simplicique prudentia docet omnino quæ nequitiam perimant et operentur utilia. Non enim prædicat virtutem, sed magis exercet: nihilo pendens humanam gloriam, viriliterque resistens passionibus animæ; et neque nature necessitatibus se subdit, nec corporis infirmitati succumbit. Divinæ mentis virtutem habens, semper contemplatur omnium Creatorem, et cum nocte dieque colens, orationibus et litanis placat indubitanter. Animæ vero puritate et honorum actuum conversatione,

ad ministeria se divina componens, purgationes asper-
sionesque contemneus, solas pollutiones peccata pu-
tans, extrinsecus irruentes casus exsuperat, et om-
nium absolute huiusmodi dominatur. Non per sta-
bilitatem necessitatemque vitæ qualibet voluntate
mutatur, non mala patiens ulciscitur, non languore
aut indigentia necessariorum compressa mordetur;
sed potius gloriatur in talibus. **212** Patientiam,
mansuetudinem, mediocritatem in omni vita medita-
tur; et quantum naturæ humanæ possibile est, Deo
esse vicinum, velut in transitu utens præsentibus:
neque circa possessionem rerum occupata constrin-
gitur, neque ultra quam opus est in præsentibus pro-
videre forsitan urgetur. Semper autem simplicitatem et
exercitium huius instructionis laudans, beatitudinem
contemplatur æternam, et ad felicem terminum
omni vivacitate festinat. Timore divino sine inter-
missione spirans, turpiloquia respuens, et nec us-
que ad vocem emittere patiens, quorum actiones
suis actibus noscitur exsolvere. In brevi comprehen-
dens necessaria naturæ, et cogens corpus mediocri-
lus indigere, castitati luxuriam subdit; iustitia punit
injustitiam, et veritate men lacium. Disciplina rerum
omnium mensuras participatur: cum proximis in
unanimitate et communione consistit; amicorum
provida est atque peregrinorum; quæ propria sunt
communia facit egentium, et tuetur utilia singulo-
rum; neque gaudentibus importuna, et tribulatis re-
medium consolationis apportans. Ad verum bonum
diligentiam suam semper extendens, sermonibus cas-
tis sapientibusque consiliis ornato ac vano cloquio
remotis erudiens atque curans veluti quibusdam me-
dicaminibus audientes, cum honore et reverentia
dispositiones suas celebrans, contentione, certamini-
bus iraque privata. Nam cum sit rationalis, omnem
motum irrationalem fugit, generaliter passiones cor-
poris devincit et animæ. Hujus itaque elegantissimæ
philosophiæ princeps quidem fuit, sicuti quidam
dicunt, Elias propheta et Baptista Joannes. Philo
autem Pythagoricus suis temporibus refert (*Philo
Hebræus, lib. de Vita contemp.*) undique egregios
Hebræorum in quodam prædio circa stagnum Ma-
riam in colle positum philosophatos. Habitacu-
lum vero eorum, et cibos, et conversationem ta-
lem introducit, qualem et nos nunc apud Ægyptio-
rum monachos esse conspicimus. Scribit enim in-
choantes eos philosophiam cedere omnibus sibi com-
petentibus rebus, cunctisque abrenuntiare permix-
tionibus, et extra muros in solitariis agris et hortis
inhabitare. Domos autem eis esse sacraria quæ apud
nos monasteria nuncupantur, et in eis conversatione
solitaria honesta celebrare mysteria, diligenterque
psalmis et hymnis placare Divinitatem, et ante solis
occasum non gustare cibum; alios autem per tres
dies et amplius, certisque diebus in pavimento ha-
bere cubilia, vino semper et sanguinem habentibus
abstinere, cibum eis esse panis et salis, et hyssopi,
et potum aquæ. Mulieres eis cohabitare, seniores
virginis propter amore philosophiæ spontanea vo-
luntate nuptiis abstinentes. Et Philo quidem hoc

A modo referens, videtur aperire quia hi qui ex He-
bræis secundum eum Christiani sunt facti, adhuc Ju-
daice viverent, eorumque constituta servarent. Apud
alios enim non invenitur hujus vitæ conversatio.
Unde conjicio ex illo apud Ægyptios hanc philoso-
phiam habuisse principia. Sozomen., lib. 1, cap. 12,
p. 417.

B Alii vero dicunt huic causam fuisse conversationi
persecutiones, quæ religionis causa per tempora pro-
venerunt. Et quoniam fugientes in montibus, et val-
libus, desertisque morabantur, ad modum se vitæ
hujus assueverunt. Sed sive Ægyptii, sive alii qui-
dam huic ab initio philosophiæ præferunt: illud
tamen apud omnes constat, quia ad summam reve-
rentiam atque perfectionem, moribus exercitationi-
busque decentibus, hanc in conversationem usque
perduxit Antonius maximus monachorum; quem
tunc in desertis Ægypti morantem (*An. Dom. 334*)
propter gloriam virtutis ejus, imperator Constanti-
nus amicum fecerat, litteris honorabat; et ut pro-
quibus vellet ei rescriberet, expetebat. Fuit autem
iste vir Ægyptius genere, ortus in in-igni vico, in
loco Heracliæ apud Ægyptios constituto. Is puer re-
lictus orphanus, paternos donavit agros convicaneis
suis; aliam vero substantiam disponens, pretium
pauperibus erogavit: studiosi existimans esse philo-
sophi, non solum semetipsum spoliare pecuniis, sed
eas dispensare proficue. Junctus autem studiosis se-
cundum se viris, virtutes zelabatur universorum:
probans bonam vitam suavem fieri ipsa consuetu-
dine, licet fuerit primo difficilis. Modos adinveniebat
abstinentiæ potioris, et quotidie exercitatione cre-
scebat. Tanquam semper incipiens aliquid innova-
bat, afflictionibus corporis puniendo libidinem, sacræ
vero sapientiæ voluntate passionibus animæ repu-
gnando. Erat enim ejus esca solus panis, et sal, po-
tus aqua, prandiique tempus solis occasus. Frequen-
ter enim dnos et amplius dies sine cibo manebat. Vi-
gilabat, ut ita dicatur, semper quidem jugi nocte, et
orationibus contingebat quidem diem; si vero som-
nus incumberet, stando paululum dormiebat, plerum-
que pavimento jacens, solamque terram stratum re-
fectionis [*ms.*, refectionibus] habens: olei siquidem
unctionem, lavacrorum atque similium usum modis
omnibus devitabat: ne humectatione sua in molli-
tiam corpus immutaret. Alunt enim neque nudum
eum aliquando visum. Litteras vero neque sciebat,
neque mirabatur [*ms. Lyr.*, meditabatur], sed potius
mentem bonam tanquam seniore litterarum: qua-
rum tamen inventorem jure laudabat. Fuit autem
præcipue clementissimus, castus, fortis, gratus collo-
quentibus, sine ulla tristitia. Et licet qui cum illo dis-
putarent certative quæstiones inferrent, tamen
more solito sapienter et disciplinabiliter crescentem
sedabat sæpe contentionem, et ad mensuram debi-
tam protinus transferebat, loquentiumque sibi stre-
pitum temperabat, eorumque mores veluti quadam
regula componebat. Tantis itaque virtutibus divina
providentia redundans, se futura præscire non æsti-
mabat esse virtutem; et propterea nec laborandum

inaniter circa talia suadebat : quando nec ignoran-
 tem futura pœnæ succumbere, nec scientem pro-
 pterea sanctum esse declarabat. Veram namque bea-
 titudinem in cultura Dei et legum ejus observatione
 dicebat. Si cui autem hæc esset cura, docebat ut
 purgaret animam, quo posset respicere, et futuro-
 rum notitiam possidere, Dei videlicet præsentia
 declarante. Vacare autem nec ipse patiebatur, et
 bene victurum semper operari præcipiebat, ac semet-
 ipsum discutere, et secum ponere rationem eorum
 quæ gessit die noctuque; si quid autem indecens
 ageret, conscriberet, ut de cætero parceret in delicto,
 semetipsum scilicet eruhescens, si plurima sui
 delicta comperisset : simul etiam metuens ne per
 conscriptionis indicium fieret aliis manifestus. Erat
 enim laboriosus, et maxime pro solatiis oppresso-
 rum. Quis etenim alter sic ferventissime fuit studio-
 sus, quorum gratia sæpe veniebat ad civitates? Plu-
 rimi namque vi compellente cogebant **213** eum lega-
 tione fungi apud iudices et magistratus; quorum
 singuli vel videre eum judicabant nimis egregium,
 loquentem audire, et præcipienti parere gloriosum.
 Qui cum talis esset, studebat tamen ignorari et latere
 per eremum. Si vero necessitate faciente venisset in
 civitatem, disposito negotio pro quo venerat, ad des-
 ertum continuo revertebatur. Pisces namque dice-
 bat per humectam nutrirî substantiam; monachis
 autem ornatum ferre [ed. V., fore] solitariam vitam.
 Et sicut illi terræ tactu tabesunt, sic gloria mona-
 chorum ad urbes accedendo sædatur. Obedientem
 vero se gratumque conspicientibus exhibebat. Stu-
 debatque ut neque haberet tumentem superbamque
 naturam, nec putaretur hujusmodi. Sed hæc quid-
 em pauca virtutum Antonii dicere sum compulsus,
 ut tanti viri per hæc exempla consideremus philoso-
 phiam. Plurimos igitur atque probatissimos habuit
 auditores, quorum alii quidem in Ægypto et Libya,
 alii vero in Palæstina, et Syria, et Arabia clare-
 runt; et unusquisque eorum non minus se quam do-
 ctor, apud quos est commoratus, exercuit; multos-
 que docuit, et ad similem virtutem philosophiamque
 perduxit; ita ut quorundam hic labor esset circuire
 per civitates et provincias, vel per agros, et diligen-
 ter Antonii discipulos, eorumque requirere succes-
 sores. Sed quomodo poterant inveniri facile, quibus
 erat studium diligentissimum suam vitam latere, et
 non sicut nunc plurimi hominum elati per gloriam,
 semetipsos expompant, et cunctis insinuant? Fue-
 runt itaque probatissimi discipuli, quos percepimus,
 Antonii, alii quidem multi, nec non et Paulus appel-
 latione Simplex. Hunc aiunt, cum rusticus esset,
 bona specie conjugem habuisse, et eam in ipso faci-
 nore adulterii deprehensam tacite subrisisse, et ju-
 rejurando firmasse nunquam se cum ea esse miscen-
 dum. Tum ad adulterum : Habe, inquit, eam; et re-
 pente discessit ad eremum apud Antonium. Dicitur
 enim eum mansuetissimum et patientem valde fuisse.
 Denique cum jam senex esset, et ad vitam mona-
 chicam [ed., monachicæ] perdurationis inuetus, om-
 nibus eum Antonius experimentis exercens, in nullo

A invenit eum inferiorem, perfectæque eum philoso-
 phiæ esse testatus, seorsum præcepit habitare, tan-
 quam non egentem doctore. Confirmabat autem
 Deus Antonii testimonium, et operibus ostendebat
 virum esse gloriosum, ipsoque doctore superiorem,
 atque ad affligendos et expellendos dæmones præpa-
 ratum. SOZOMEN., lib. 1, cap. 13, p. 420.

Circa hoc itaque tempus philosophabatur et Am-
 monius Ægyptius, de quo sermo fertur quia cogen-
 tibus parentibus duxisset uxorem, nec tamen eam
 fuisset expertus. In principio namque nuptiarum
 sponsam tamquam sponsus in thalamo percipiens, et
 solus cum ea remanens, ait : Nuptiæ quidem, o mul-
 lier, nostræ usque ad hoc celebrate sunt tempus. Et
 quale bonum sit posse virginem permanere ex sacris
 edocebat litteris, ac seorsum solus manere tentabat.
 Sed quoniam de virginitate quidem sermones virgo
 laudaverat, dividi autem ab eo grave judicabat, in
 alio cubili dormiens, annis decem et octo cum ea
 mansit, neque tunc a monachica abstinence se sus-
 pendens. Interea mulier viri zelata virtutem, æsti-
 mavit non esse justum tantum virum domi celari
 propter se, sed oportere potius seorsum utrumque
 philosophari, et ob hoc supplicavit viro. At ille gra-
 tias agens Deo pro hujusmodi cogitatione mulieris :
 Tu quidem, inquit, hanc habe domum, ego mihi
 aliam fabricabo. Et in meridianam partem deserti
 stagni Mariæ veniens circa locum Scyti ad montem
 qui dicitur Nitriæ, duobus et viginti annis ibi philo-
 sophatus est : annis singulis visitans secundo mulie-
 rem. Hujus itaque sacratissimi principis horum mo-
 nasteriorum multi fuerunt dignique discipuli, sicut
 successiones ostendunt; plurimaque et veneranda
 per eum provenerunt, quæ præcipue apud Ægyptios
 monachos perfectæque servantur. Nam cum maxima
 diligentia per successionem traditionis alterutro cu-
 rant virtutes antiquorum memoriæ tradere mona-
 chorum; sed a me illi memorandi sunt qui ad nos
 usque pervenerunt. Contigit igitur huic viro, et
 Theodoro ejus discipulo euntibus aliquem transire
 fluvium quem dicunt Lycum. Ne vero se alterutrum
 nudos viderent, jussit Ammonius [alias Amos], ut re-
 cederet Theodorus ab aqua; cumque etiam semet
 ipsum erubesceret nudum intueri, repente divina
 virtute translatus est ad ulteriorem ripam. Transiens
 vero Theodorus aquam, et videns nec vestem ejus
 nec pedes infusos, supplicabat seni ut ei causam rei
 depromeret. Cumque ille dicere refutaret, ille vero
 non aliter se properaturum nisi cognosceret, promit-
 tente Theodoro nulli se eo vivente rem fore dictu-
 rum, confessus est quod evenit. Proximum vero mi-
 raculum huic quoque rei contigit quod narrabo. In-
 justo parentes alicujus a cane rabido percussum fi-
 lium et pene mortuum obtulerunt ei, et ejulantes
 deprecabantur ut sanaretur. Tum ille ad eos : Non
 eget, inquit, mea curatione; sed vos si vultis red-
 dere bovem quem rapuistis dominis suis, ægrotus
 repente sanabitur; quod etiam contigit. Nam ut re-
 stitutus est bos, passio mox recessit a puero. Quando
 igitur Ammonius iste moriebatur, dicitur Antonium

vidisse animam ejus in cœlum ferri, divinis potestibus cum psalmodia præcedentibus eam; consulentibusque eis qui circa eum erant, causam hujus miraculi non abscondit. Sciebant enim quoniam aerem intento obtutu respiciens, cum stupore miraculi cujuspiam respiceret visionem. Cumque venientes postea quidam de Scyti nuntiassent horam visionis Antonii, et convenisset cum transitu illius viri, beatificaverunt ambos: illum quidem, quia ad manifesta bona transisset; illum vero, quia tantam a longe meruisset cernere visionem. Multorum enim dierum iter est locorum medio positorum quo degebat alteruter. Et hæc quidem ita relata sunt. In hoc itaque præsulatu audiivi probatissime philosophatum Euty-chianum, qui in Bithynia circa Olympum morabatur. Erat quippe divina gratia repletus, ad curationes passionum, et miracula rerum et operum, ita ut ipsi Constantino propter virtutem vitæ esset amicus. Illo siquidem tempore vincus quidam spatarius, qui in suspicionem venerat quasi assumpta tyrannide, fugit, et requisitus circa Olympum comprehensus est. Rogantibus autem necessariis ejus Euty-chianum, ut pro eo apud principem legatione fungeretur: Prius, inquit, providendum est ut is homo liberetur a vinculis, ne crudeliter constrictus intereat. Tunc dicitur ad vinculorum custodes direxisse: rogans ut eum ab hujusmodi necessitate relevarent. Qui cum hoc facere nolissent, sponte januæ clausæ reseratæ, et vincti catenæ repente sunt disruptæ. Postea vero ad **214** principem veniens Byzanti tunc degentem, paratissime beneficium promeruit quod poposcit. Non enim poterat Constantinus ejus petitionibus denegare, cum ei summi honoris cumulum exhiberet. Hæc itaque breviter a nobis dicta de monachis, qui tunc clare philosophati sunt, sufficient. Cui vero de his subtilior cura fuerit, quærens inveniet plurimorum vitas hic non esse scriptas. Sozomen., *lib. 1, cap. 14, p. 423.*

CAPUT XII.

Quomodo contra Ecclesiam Arius sit exortus.

Et licet ita per omnia floreret Ecclesia, non tamen pertulit inimicus, elevatam simul atque splendens valde respiciens; sed malevola cœpit tractare consilia, contendens gubernatam a Domino et universorum Creatore submergere. Videbat itaque pagano-
rum errore se fuisse nudatum, captaque varia dæmonum machinamenta, et creaturam a plurimis jam non adorari, sed Creatori hymnos decenter offerri. Ea gratia jam non aperte contra Dominum et Salvatorem nostrum excitabat bellum; sed viros inveniens Christianos quidem se vocabulo profitentes, sed amore honoris et vanæ gloriæ reductos ad servitutem, organum eos suæ machinationis habuit, per quos plurimos ad pristinum reduxit errorem: non quidem creaturam rursus adorari præcipiens, sed ipsum Creatorem et mundi opificem, cœquatum astruens creaturæ. Ubi autem hoc principium, et quemadmodum hæc inimicus zizania seminaverit, enarrabo. Alexandria civitas est maxima et hominum multitu-

A dinc copiosa, non Ægyptiorum solummodo, sed etiam Thebæorum, et Libycorum circa Ægyptum obtinens principatum. In hujus itaque civitatis præsulatu, post Petrum illum inclytum propugnatores, qui sub impiis tyrannis Diocletiano et Maximiano novissime imperium sponte deponentibus, martyrii coronam susceperat (*An. Dom. 310*), successit Achilles. Is enim sub illo egregio Petro Arium ordinatum diaconum, captumque in Meletii novitatibus, et ab Ecclesia pulsum, rogatus a fidelibus, et denuo suscipiens, ministrare præcepit. Post Achillam vero Alexander fortissimus evangelici dogmatis prædicator ordinatur episcopus. Hoc tempore (*An. Dom. 322*) Arius in ordine quidem presbyterorum erat, expositionemque divinarum Scripturarum videbatur habere commissam. Videns autem Alexandrum pontificatus gubernacula suscepisse, eventum temporis non portavit; sed et mordacitate compulsus, litis quærebat initium. Porro laudabilem videns viri conversationem, nequaquam calumnias contexere prævalebat; verumtamen quiescere illum prohibebat invidia. Hunc igitur inveniens inimicus veritatis, per eum nisus est in Ecclesiam excitare tempestatem. Apostolicis enim Alexandri doctrinis instabat aperte resistere. Et ille quidem divina sequens eloquia, æqui honoris cum Patre, et eandem substantiam habere cum Deo Genitore Filium prædicabat. A ius autem e diverso veritati repugnans, creaturam Filium, facturamque dicebat, adjiciens: Erat aliquando quando non erat, et alia quæ ex illius litteris indicantur insana. Hæc ergo non solum in Ecclesia persistebat docens, sed etiam in extraneis conventibus atque conciliis; et domos circumiens, quibuscunque poterat, suadebat. THEODORETUS, *lib. 1, cap. 2, p. 6.*

Reprehendens autem quidam hujusmodi viros, Alexandrum quoque culpabat, tanquam non utiliter sileret, dum contra dogma fierent novitates. At ille melius arbitratus esse de dubiis sermonem ex utraque parte proponendum; ut non videretur ex necessitate, sed potius ex satisfactione certamen ablatum [*ed. Frob. et Niv., allatum*]: iudex cum clero residens, ad altercationem deduxit utramque partem. Ut autem evenire solet circa certamina verborum, utriusque superare nitentur. Arius tamen nullatenus acquiescere volebat, quia consubstantialis Filius et cœternus est Patri. Sozomen., *lib. 1, cap. 15, p. 426.*

Alexander autem apostolicorum dogmatum prædicator, prius quidem eum revocare admonitionibus et consiliis nitentur. Cum vero eum superbiere vidisset, et aperte impietatis facinora prædicare, ex ordine sacerdotali removit. Audierat enim clamantem divinam legem: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te (*Matth. v, 24*). Hoc itaque tempore Romanæ quidem Ecclesiæ Sylvestrius retinaculo gubernabat, Melchiadi succedens, qui post Marcellinum clarificatum in persecutione gentilium susceperat jura pontificatus. Antiochiæ vero post tyrannum Ecclesiæ inchoante pace, Vitalis præsul exstabat (*An. Dom. 314*). Qui etiam antiquam ex multis temporibus destructam a tyrannis edificavit

ecclesiam. Post quem Philogonius pontificatum sumens, et reliqua ædificii superaddidit, et zelum pietatis Licinii temporibus demonstravit (*An. Dom. 316*). In Hierosolymis autem post Hermonem Macarius ordinatus est, vir nomine suo dignus, et omnibus bonis ornatus. Eodemque tempore Constantinopoli Alexander pontificatum sacri ministerii possidebat, apostolicis donationibus valde clarus. Tunc igitur Alexander Alexandrinus, videns Arium amoris iudicarii aculeo stimulari, et multos ad blasphemias deceptos erigere, conciliaque propria celebrare, Ecclesiarum presulibus ejus blasphemiam suis litteris indicavit. THEODORETUS, *lib. 1, cap. 2, p. 7.*

CAPUT XIII.

Epistola Alexandri pontificis Alexandrini ad universas Ecclesias adversus Arium.

Dilectissimis atque charissimis ubique catholicæ Ecclesiæ communitris; Alexander in Domino salutem.

Dum unum catholicæ sit corpus Ecclesiæ, mandato existente in sacris Scripturis ut servetur vinculum unitatis et pacis (*Ephes. iv, 3; xii, 26*), consequens est debere nos scribere, et alterutris quæ apud singulos aguntur insinuare; ut sive patitur, sive gaudet unum membrum, compatiamur aut congaudeamus ad invicem. In nostra igitur parochia nunc ingressi sunt viri iniqui et Christo rebelles, docentes apostasiam, quam recte quilibet præcurrere suspicetur Antichristo. Et volui quidem hoc taciturnitati contradere, si quo modo inter solos apostatas consumeretur hoc malum, et non loca alia penetrando simplicium sordidaret auditus. Sed quoniam Eusebius nunc Nicomediæ, putans in se consistere causas Ecclesiæ, **215** quia cum reliquisset Berytiorum civitatem, et concupiisset Nicomediensem Ecclesiam, non est in eo ultio subsecuta: patrocinatur etiam his apostatis, et scribere ubique molitus est, commendans eos, si quo modo trahat aliquos ignorantes ad hanc pessimam hæresim et Christo rebellem. Ideoque necessarium judicavi, sciens quod in lege conscriptum est ulterius non tacere, sed vobis omnibus indicare; quatenus etiam vos sciatis apostatas, et eorum hæresis verba nequissima caveatis. Si ergo scripserit vobis Eusebius, nec recipiatis eum, nec ejus scripta suscipiatis. Antiquam enim calliditatem tempore compressam nunc per istos renovare volens, fingit quidem se quasi pro istis scribere; opere vero demonstrat quia pro semetipso talibus studere festinat. Apostatæ vero sunt isti Arius et Achillas. Cum eis autem apostataverunt hi, Aithalis, Carponius, alter Arius, Sarmatius, Euzoius, Lucius, Julius, Menas, et Helladius, Gaius, Secundus et Theonas, qui episcopi aliquando sunt dicti. Ea vero quæ opinantes loquuntur, hujusmodi sunt: Non semper, inquit, Deus Pater fuit, non semper fuit Dei Verbum; sed fuit quando Deus Pater non fuit. Dei autem Verbum ex non existentibus factum est. Existens enim Deus, non existentem ex non existente fecit. Quapropter fuit aliquando quando non fuit. Creatura est enim et factura Filius, ne-

que similis est Patri secundum substantiam, neque verus est, neque vera Sapientia ejus est, neque verum naturaliter Patris Verbum est, sed unus quidem creaturarum et facturarum est. Abusive autem dicitur Verbum et Sapientia, factus et ipse, et existens in proprio Dei Verbo et in Dei Sapientia, in qua et omnia, et ipsum fecit Deus. Unde et convertibilis est, et mutabilis per naturam, sicut et universa rationalia. Peregrinum enim, et extraneum, et remotum est Verbum a paterna substantia, et invisibilis est Filio Pater. Non enim perfecte et integre novit Filius Patrem, neque eum perfecte videre potest. Nam nec substantiam suam novit Filius, sicut est. Propter nos enim factus est, ut nos per eum tanquam per instrumentum crearet Deus; et nequaquam substitisset, nisi nos Deus facere voluisset. Requisivit ergo quidam eos: si potest Dei Verbum converti, sicut diabolus est conversus. Et nequaquam dicere timerunt, utique potest, tanquam natura convertibilis existens: factus, aliunt, et convertibilis est. Hæc itaque dicentes, id est Arius et qui cum eo sunt; et in his impudenter instantes ipsos et sequaces eorum. Nos quidem eos cum episcopis Ægypti et Libyrum pone centum convenientes, anathematizavimus. Qui vero circa Eusebium susceperunt, miscere studentes veritati mendacium, et impietatem pietati sociare; sed non prævalebunt. Vincet enim veritas, nec ulla *communio est luci cum tenebris, neque concordia Christo cum Belial (II Cor. vi, 14)*. Quis etenim talia audit aliquando? Aut quis nunc hæc audiens verba, non metuet, aut aures continuo non obturabit, ne sordibus talium verborum ejus polluat auditus? Quis audiens dicentem Joannem: *In principio erat Verbum (Joan. i, 1)*, non reprehendat istos dicentes: Fuit aliquando quando non fuit? Aut quis audiens in Evangelio: *Unigenitum Filium; et: Per ipsum omnia facta sunt (Joan. 1, 18 et 3)*, non odio habebit dicentes quia unus creaturarum est Filius? Quomodo ergo potest esse unus horum quæ per eum facta noscuntur? Aut quomodo Unigenitus, qui omnibus secundum illos connumeratur? Quomodo etiam ex non existentibus erit, Patre dicente: *Eructavit cor meum Verbum bonum (Psal. xlii, 2)*; et iterum: *Ex utero ante luciferum genui te (Psal. cix, 3)*? Aut quomodo dissimilis Patri substantia, cum sit imago perfecta et splendor Patris, qui dicit: *Qui me videt, videt et Patrem (Joan. xiv, 9)*? Quomodo, si Verbum et Sapientia Dei est Filius, fuit aliquando quando non fuit? Simile est enim ac si dicant sine Verbo et sine Sapientia fuisse aliquando Deum. Vel quomodo est et convertibilis et mutabilis, qui dicit per se: *Ego in Patre et Pater in me (Joan. xiv, 10)*; et iterum: *Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*? Per prophetam vero: *Videte, inquit, me, videte, quia ego sum, et non mutabor (Malac. iii, 6)*. Nam licet in eo verbo sit dictum illud apostoli, quia factus est homo, tamen mutatus non est, sed, sicut dixit Apostolus: *Jesus Christus heri, et hodie, ipse est in sæcula (Hebr. xii, 8)*. Quæ causa, putas, suasit eis ut dicerent, quia propter nos est factus, cum Paulus scribat, *propter*

quem omnia, et per quem omnia (Rom. xi, 36)? Unde A
 vero blasphemant quia nescit perfecte Filius Patrem,
 mirandum non est. Nam semel habentes propositum
 rebellandi Christo, repercutiunt etiam vocem ejus,
 dicentis: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem*
(Joan. x, 15). Si ergo ex parte Pater novit Filium,
 palam est quia et Filius non perfecte novit Patrem.
 Si autem hoc dicere impium est (novit enim perfecte
 Filium Pater), palam est quia sicut novit Pater suum
 Verbum, sic et Verbum novit proprium Patrem; et
 aliter non est. Hæc dicentes, et revolventes Scriptu-
 ras sanctas, frequenter convicimus eos; et rursum
 tanquam chamæleontes mutabantur, studentes ad
 semetipsos trahere quod scriptum est: *Cum venerit*
impius in profundum malorum, spernet (Prov. xviii,
3). Multæ siquidem ante eos hæreses fuerunt, quæ B
 plus quam decet præsumentes, conruerunt in impru-
 dentiam suam. Isti vero per omnia verba sua nitentes
 erigi ad interneconem divinitatis Verbi, per hæc
 illas hæreses firmare potius conati sunt, Antichristo
 facti propinquiore; quapropter et abdicati et ana-
 thematizati sunt ab Ecclesia. Contristamur itaque
 pro eorum perditione, et maxime quia et ipsi ali-
 quando quæ Ecclesiæ sunt audierunt, et nunc ab ea
 prorsus exsiliunt: non tamen admiramur. Hoc enim
 et Hymenæus, et Philetus passi sunt, et ante eos Ju-
 das, qui cum esset secutus Salvatorem, postea pro-
 ditor facius est et apostata. Sed de his quidem ipsis
 non sumus ignari. Dominus enim prædixit: *Videte*
ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo
dicentes, quia ego sum, et tempus prope est, et multos
errare facient: ne ergo eatis post eos (Luc. xxi, 8). C
 Discens enim hæc a Salvatore nostro Paulus, dixit:
Quia novissimis temporibus apostatabunt quidam a
fide sana, attendentes ad spiritus erroris doctrinasque
dæmonum, quæ veritatem aversantur (I Tim. iv, 1).
 Domino siquidem et Salvatore nostro Jesu Christo
 per semetipsam pronuntiante et per Apostolum de-
 signante de talibus, consequenter nos per nosipsos
 audientes impietatem eorum anathematizavimus eos,
 sicut prædiximus: ostendentes eos extraneos a fide
 Ecclesiæque catholica. Indicavimus autem hæc vobis,
 dilectissimi atque charissimi comministri, ne quos
 eorum, si forte tentaverint etiam ad vos venire, sus-
 cipiatis, neque Eusebio, vel cuilibet aliorum 216
 scribentū pro eis obedjatis. Decet enim nos tanquam D
 Christianos, ut omnes contra Christum loquentes et
 sapientes, quasi Deo rebelles et animarum corrupto-
 res, totis viribus aversemur; et neque ave hujusmodi
 dicamus hominibus, ne forte etiam peccatis eorum
 communicare videamur, sicut beatus Joannes ait (*II*
Joan., 11). Salutate fratres qui apud vos sunt. Salu-
 tant vos qui nobiscum sunt. SOCRATES, lib. 1, cap. 3.
Edit. Christoph. et Vales. cap. 6, p. 10.

Non solum autem hanc, sed etiam ad Alexandrum
 Constantinopoleos episcopum, missam ejus epistolam
 huic operi inserere non omitam, quæ clare omnia ejus
 ostendat, ne quis suspicetur hæc ne flicte conscri-
 bere; et post eam ipsius Arii, et cæteras quoque
 epistolas, quibus utique narratio eget historiæ, qua-

tenus de scripturæ veritate testentur et aperte quæ
 gesta sunt perdoceant. Scripsit enim Alexandrinus
 hæc Constantinopoleos Alexandro. THEODORETUS, lib.
 1, c. 5, p. 8.

CAPUT XIV.

Ejusdem ad Alexandrum episcopum Constantinopoleos.

Charissimo fratri et unanimi Alexandro, Alexander
 in Domino salutem.

Appetitus potentie hominum pessimorum, avari-
 tæque propositus, veritati, quæ creditur esse præ-
 cipua, solet insidiari, per varias scilicet occasiones
 resistentes ecclesiasticæ pietati. Impulsi namque ina-
 levoli, diabolo in eis operante, ad propositam sibi
 libi inem, et ab omni reverentia resiliences, concul-
 cant judicii Dei timorem. De quibus mihi necessa-
 rium fuit patientiæ ac reverentiæ [ed., patienti re-
 verentiæ] vestræ significare, ut ab hujusmodi caveatis,
 ne quis forte præsumat eorum in parochias vestras
 accedere, vel per se, vel per alios. Valent enim magi
 ad seducendum figmentis uti, vel litteris falsitate
 compositis, quæ possunt facere præstigiū simplicem
 fidem puramque respicientibus. Arius igitur et Achil-
 las conjuratione nuper facta, Colluthi superbiam et
 multo deterius illo secuti sunt. Ille namque hos ipsos
 culpans, pessimæ voluntati suæ invenit occasionem.
 Isti vero dignam illius negotiationem respicientes
 [ms. Lyr., respuentes], nequaquam juri Ecclesiæ
 subjacere pertulerunt; sed speluncas sibimet latro-
 num ædificantes, incessabilia in eis conciliabula cele-
 brant, noctibus et diebus contra Christum agentes et
 contra nos, pravisque libidinibus exercentur. Qui
 omnem piam et apostolicam accusantes gloriam,
 Judaico schemate Christo rebellantes instituerunt
 sibimet officinam: divinitatem et æqualitatem cum
 Patre Salvatoris nostri Jesu Christi negantes, omnes-
 que ejus salutaris dispensationis et humilitatis pro-
 pter nos habitæ voces decerpentes, prolatione harum
 impietatis suæ prædicationem exercere nituntur.
 Quippe divinitatis ejus rationem et ineffabilis gloriæ,
 quam a principio habuit apud Patrem, penitus evi-
 tantes, paganorum et Judæorum impiam de Christo
 sententiam confirmant; et laudem propriam, ut as-
 solet, aucupantes, omnes quidem quas contra nos
 possunt derisiones afferre negotiantur: seditionesque
 nobis quotidie ac persecutiones instituunt, tam jurgia
 proponentes per aditiones mulierum impudentium,
 quas seducunt, quam ipsi communi Christianitati
 derogantes, dum eorum juvenulæ omnes circum-
 eunt vicos: insuper inerumpibilem Christi tunicam,
 quam milites dividere noluerunt (*Joan. xix, 3*), isti
 scindere nunc præsumunt. Et nos quidem vitam ipso-
 rum et nefanda conamina, eo quod laterent, tardius
 agnoscentes, nunc generali decreto ab Ecclesia ado-
 rante Christi divinitatem eos expulimus. Conati ta-
 men sunt illi discursionibus uti, et adversum nos
 machinari, qui a, ud unanimis comministros nostros
 figuram pacis et unitatis dignitatem se exercere flin-
 gunt. Quod autem verum est, abripere quosdam eor-
 um ad pestem propriam per boniloquia ficta festi-

vant, et litteras ab eis manifestas et iudicatas exigunt; ut relegentes eas seductis a se personis, sine penitentia eos in delictis suis faciant remanere, tanquam unanimis habentes eadem secum decernentes episcopos. Non enim quæ apud nos male docuerunt et egerunt, ea fatentur, propter quæ etiam sunt expulsi; sed hæc aut taciturnitati contradunt, aut fictis ea ratiocinationibus et quibusdam obumbrationibus sepium: verisimilibus vero et pomposis corruptibilem doctrinam suam velantes eloquis, attrahunt in deceptionem suam quemlibet incautum, non abstinentes etiam apud omnes nostræ pietati calumniari. Unde contigit quosdam eorum litteris subscribentes in Ecclesiam suscipi, maximo, sicuti reor, imminente periculo, præsumentibus talia communitis, eo quod neque apostolica hoc regula patitur, et effundunt super eos diabolicam efficaciam contra Christum. Quapropter in nullo segnis, o clarissimi, ad insinuandam vobis perfidiam eorum, inemetipsum erexi. Dicunt enim, quia fuit aliquando quando non fuit Filius Dei; et postea factus est, qui prius non fuerat talis factus: quia et aliquando factus est, qualem et omnem hominem esse contingit. Cuncta enim, inquit, Deus ex non existentibus fecit, omnium rationalium et irrationalium creaturis miscere volentes et Filium Dei. Quibus verbis consequenter aiunt eum mutabilis esse naturæ, virtutis malitiæque capabilem, cum ex non existentibus esse dicatur; divinas quippe Scripturas, quibus ostenditur eum semper esse, perimentes, quibusque palam designatur inconvertibilitas Verbi, et Sapientia, atque Divinitas, quæ sunt Christus. Possumus ergo, inquit isti polluti, et nos fieri Dei filii, sicut et ille. Scriptum est enim: *Filios genui et exaltavi* (Isai. 1, 2). Cumque allatum fuerit eis quod sequitur, id est: *Ipsi autem spreverunt me, quod naturale non est Salvatoris, cum naturæ sit immutabilis, omni reverentia spoliantes semetipsos, aiunt: Nec aliquam habet proprietatem ad Deum; sed, cum sit ipse natura mutabilis, scivit de illo Deus præscientia et præcontemplatione, quia eum non esset spreverunt, eligendus foret ex omnibus. Non enim, inquit, natura quasi præcipuum inter alios filios aliquid habet. Nam nec naturaliter filius Dei est, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando etiam ipsum naturæ mutabilis existentem, propter moderationem, diligentiam et virtutem, non mutatum ad deterius, elegit Deus; cum et si Paulus vel Petrus ad hoc pervenissent, nihil Jesus potuerat ab horum filiatione differre. Propter reprobationem igitur huius vesanæ doctrinæ, 217 etiam divinas litteras revolventes, proposuimus illud quod in Psalmis de Christo dictum est: *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (Psal. XLIV, 8). Quia vero Filius Dei neque ex non existentibus factus est, neque fuit aliquando quando non fuit, sufficit nos erudire Joannes evangelista, scribens de eo: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (Joan. 1, 18). Providente quippe Deo, ut ostenderet alterutris indivisas res, nominavit Patrem et Filium existentem in sinu Pa-*

tris. Sed quia inter hæc quæ ex non existentibus facta sunt Verbum Dei nequaquam connumeratur: *Omnia, inquit, per ipsum facta sunt* (Joan. 1, 3). Propriam namque ejus substantiam designavit, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est* (Ibid., 1-3). Si enim per ipsum omnia facta sunt, quomodo qui creaturis, ut essent, donavit, ipse aliquando non fuit? Non enim ulla ratio est ut qui facti ejus naturæ sit ejus illa quæ fiunt. Si ipse quidem erat in principio, omnia vero per ipsum facta sunt, ex non exstantibus fecit: et contrarium videtur his quæ ex non substantibus facta sunt, hoc quod exstat, et valde discretum. Inter Patrem siquidem et Filium nullum demonstratur esse spatium, nec usque ad aliquam cogitationem hoc animæ phantasia percipiente. Ex non exstantibus autem creatus mundus, novellam habet substantiæ recentemque nativitatem a Patre per Filium, hujusmodi utique substantialitatem cunctis accipientibus. Altius igitur adhuc contemplatus Verbi divinitatem, et creaturarum universam intelligentiam transcendentem beatissimus Joannes genituram ejus nec facturam dicere voluit, nec per elementa syllabarum factorem ingenitum. Unus enim est ingenitus Pater. Sed quia excedit evangelistarum, puto quia et angelorum perceptionem, et transcendit universam unigeniti Filii ineffabilis substantia. Non ergo reor quia de pietate cogitantes de hac aliquid interrogare presument, propter quod dictum est: *Altiora te ne quæsieris, et difficiliora te noli examinare* (Eccli. III, 22). Nam sicut aliarum plurimarum, et hujus notitia humanæ perceptioni celata est, quate est apud Paulum: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I Cor. II, 9). Sed etiam stellas, inquit Deus ad Abraham, non potes enumerare, neque arenam maris: et guttas pluvie quis enumerabit (Gen. xv, 5, et Eccli. I, 2)? Quis ergo audeat interius [ed., exterius] perscrutari subsistentiam Verbi Dei, nisi forte vesanus sit? De qua propheticus spiritus dicit: *Generationem ejus quis enarrabit* (Isai. LIII, 8)? Nam et ipse Salvator noster præstare volens omnibus in hoc mundo columnis, hujus notitiam ab eis exonerare festinavit, significans ultra naturam esse omnium rerum hanc animadversionem, soli vero Patri tantum adjacere hujus scientiæ sacramentum: *Nullus, inquit, novit quis est Filius, nisi Pater; et Patrem nemo novit, nisi Filius* (Matth. XI, 27). Non ergo reor ignorare sapientes quia vesanum est sapere ex non existentibus factum Filium, cum utique non habeat temporale principium, quod ostenditur ex non existentibus factum. Nam si tempori inesse oporteret hoc quod aiunt: *Erat quando non erat, aut spatio sæculi cunjuscunque; et si verum est quia omnia per ipsum facta sunt, palam est quia omne sæculum, et tempus, et spatia, et aliquando, inter quæ reperitur, quod aiunt, fuit, quando non fuit, per ipsum facta sunt. Et quomodo non est incredibile cum qui et tempora*

fecit et momenta, inter quæ est illud fuit quando non fuit, dicere aliquando non fuisse? Stultum enim est, et omni peccato plenum, eum qui causa est alij, eundem dicere posteriorem illius genituræ cujus causa est. Præcedit enim secundum eos Sapientia Dei, quæ creavit universa, illud spatium, in quo dicunt nondum factum Filium a Patre, mentiente secundum eos Scriptura, quæ dicit, *Primogenitum* eum esse *universæ creaturæ* (Coloss. 1, 15). Consona siquidem istis clamat et magniloquus Paulus, dicens de eo : *Quem posuit hæredem omnium, per quem fecit et sæcula* (Hebr. 1, 2). Sed etiam in ipso creata sunt omnia quæ in cælis, et quæ in terra, visibilia et invisibilia, sive principatus, sive potestates, sive dominationes, sive sedes, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnia. Cum ergo impia esse monstretur argumentatio qua dicunt ex non existentibus factum Filium, necesse est Patrem semper esse Patrem. Est enim Pater semper Filio præserte, propter quem appellatur Pater; semper Filio sibi præserte semper est Pater perfectus, et sine defectione consistens, non temporaliter, neque ex spatio, neque ex non existentibus generans unigenitum Filium. Quid autem amplius sit scelestum quam dicere non fuisse aliquando Sapientiam Dei, quæ dicit : *Ego eram apud eum cohabitans* [ed., Niv. et Frob., *coaptans*], *ego eram cui adgaudebat* (Prov. viii, 30); aut dicere virtutem Dei aliquando non existisse? aut Verbum ejus accepisse principium, aut alia ex quibus Filius agnoscitur et figuratur Pater? Nam qui *splendorem gloriæ* (Hebr. 1, 3) non dicit exstare, una perimit et principale lumen, cujus splendor est. Si autem et imago Dei non fuit semper, patet quia nec cujus imago est; sed etiam cum non est figura subsistentiæ Dei, una perimitur et ille qui in omnibus ab eo figuratur. Ex quo apparet filietas Salvatoris nostri, nullam habens commixtionem ad cæterorum filietatem. Quemadmodum enim ineffabilis ejus subsistentia incomparabili excellentia transcendere probatur universa quibus ipse donavit ut sint, ita et filietas ejus naturalis existens paternæ divinitatis, ineffabili sublimitate differt ab eis qui per eum in adoptionem adoptati sunt filii. Is enim inconvertibilis existens, natura perfectus est, et in omnibus nihil egens; hi vero in utroque mutabilitati subditi egent ejus auxilio. In quo enim prolificere potuit Sapientia Dei, aut in quo ejus veritas augetur? Aut Deus Verbum quomodo potest meliorari, cum sit vita verumque lumen? Si autem hoc est, quanto magis vecors est dicere Sapientiam aliquando aut Dei Virtutem fuisse inlimitatis capabilem, aut irrationabilitatis Verbum, et per hoc rationem obscuratam, aut vero lumini tenebras esse permixtas, Apostolo dicente : *Quæ communicio luci ad tenebras? aut quæ concordia Christi cum Belial* (II Cor. vi, 15)? Nec non et Salomone clamante (Prov. xxx, 19), impossibile est vel usque ad opinioem invenire vias serpentis super petram, quæ secundum Paulum Christus est? Porro creaturæ ejus homines et angeli benedictionem ejus acceperunt, virtutibus contententes proficere nãm-

datisque legitimis, quatenus non peccarent. **218** Dominus vero noster naturaliter Filius Patris existens, ab omnibus adoratur. Illi deponentes spiritum servitutis, ex bonis operibus et propectu spiritum filiationis accipientes, per naturalem Filium adjuti, sunt et ipsi adoptionis filii. Istius autem propriam et naturalem præcipuamque filiationem Paulus etiam de Deo manifestavit, dicens : *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis*, id est, qui natura non sumus filii, *tradidit illum* (Rom. viii, 32). Ad distinctionem namque non propriorum, illum proprium esse Filium dixit. In Evangelio autem : *Hic est Filius, inquit, meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. ii, 17). In Psalmis vero Salvator ait : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu* (Psal. ii, 7) : germanitatein naturæ declarans, significat non esse ejus naturales quoslibet alios filios præter istum. Quid etiam quod ait : *Ex utero ante luciferum genui te* (Psal. cix, 5)? Nonne clare demonstrat naturalem paternæ generationis filiationem, quam non morum diligentia et exercitatione proventus, sed proprietate naturæ sortitus est? Unde et intransgressibilem habet filiationem Unigenitus Patris. Rationabilium vero filiationem non eis naturaliter existentem, sed opportunitate morum et dono Dei etiam mutabilem ratio novit. *Videntes enim, inquit, filii Dei filias hominum, acceperunt sibi uxores ex ipsis* (Genes. vi, 2). Et iterum : *Filios genui et exaltavi; ipsi vero spreverunt me* (Isai. i, 2), per Isaiam Deum dixisse didicimus. Multa dicturus, dilectissimi, transeo, onerosum esse putans pluribus verbis unanimes admonere doctores. Vos ipsi enim estis eruditi divinitus, non ignorantes quia doctrina quæ nuper contra pietatem surrexit ecclesiasticam, Hebionis est, et Artemonis, et zelus Pauli Samosatani de Antiochia, synodali conventu omnium episcoporum ab Ecclesia pulsus. Cui succedens Lucianus, extra synagogas mansit trium episcoporum plurimo tempore. Quorum impietatis facem sorbentes isti, nunc nobis, ex non existentibus illorum plantationes absconditas pullulare fecerunt Arius, et Achilles, et cum illis concilium malignantium; et nescio quomodo in Syria tres ordinati episcopi, eo quod consenserint eis, et ad pejora flammati sint. De quibus sententia in vestra sit probatione reposita, qui salutarem passionis humilitatem, et exinanitionem, et voluntariam paupertatem, et voces, quas propter nos Salvator suscepit, memoria retinetis. Igitur ad ostensionem supernæ et antiquæ divinitatis ejus hæc congruunt, significativisque sermonibus naturalis ejus gloria, et imperium, et apud Patrem mansio clarius explicatur. Quale est illud : *Ego et Pater unum sumus* (Joan, x, 30), non Patrem semetipsum appellans, neque substantialiter duas naturas, quæ est una, declarans : sed quia Paternam servandi plenitudinem Filius habet perfectam naturam, per omnia et similitudinem Patris gerens, et immutabilis ejus imago existens, atque principalis causæ expressa figuratio. Unde etiam tunc Philippo cupienti videre Patrem Dominus sine invidia se demonstrat. Nam cum diceret : *Ostende nobis Patrem*, ait : *Qui videt me videt et*

Patrem (Joan. xiv, 8, 9) : tanquam per speculum sine macula et animatum per divinam ejus imaginem contemplaretur Patrem: quem similiter in Psalmis sanctissimi viri canunt, dicentes : *In lumine tuo videbimus lumen* (Psal. xxxv, 10). Quapropter et qui honorat Patrem, honorat et Filium; et qui honorat Filium, honorat et Patrem, et recte. Omnis namque vox impia quæ in Filio dici præsumitur, ad Patrem quoque refertur. Sed mirum non est quod scripturus sum, o charissimi, si falsas adversum me derogationes, et contra piissimum nostrum populum delatas insinuo. Hi enim qui contra deitatem Filii Dei contra constituunt, neque contra nos ingratas calumnias exercere formidant : quoniam nec priscorum quempiam dignantur sibi compare, neque præceptoribus se, a quibus nos ab infantia eruditi sumus, æquare patiuntur; neque coministrorum quemquam nunc ubicunque consistentium in mensura sapientiæ reputant, quasi soli sapientes, et nihil commune habentes, atque novorum dogmatum inventores, et quibus solis revelata sunt quæ a nullo altero sub sole intellecta noscuntur. O scelesti superbia, immensa vesania, vanæ gloriæ furor, ac sapientia Satanae, in animas eorum nequissimas vehementer insiliens! Non deterruit eos antiquarum Scripturarum Deo amabilius explanatio, non coministrorum consors reverentia de Christo ferocitatem eorum mansuefecit; quorum scelesti opera nec dæmones ferre patiuntur, quando vocem blasphemam contra Filium Dei promere non præsumunt. Hæc igitur jacula secundum præsentem virtutem dirigantur adversus eos qui erudita [ed., inerudita] materia contra Christum excuuntur ad bellum, et adversus pietatem ejus calumnias inferre contendunt. Aiunt enim nos adversantes fabulas, ex quibus inventum est dici, ex non exstantibus, impiam et non scriptam contra Christum blasphemiam prædicare, id est duo ingenita : ipsi potius duorum alterum necessario esse oportere dicentes ineruditi, aut ex non exstantibus Filium esse sapientium, aut indubitanter dicere ingenita duo. Ignorantes imperiti quia multum est inter Patrem ingenitum, et ea quæ ab eo ex non exstantibus sunt creata rationalia et irrationalia; quorum media existens natura unigenita, per quam universa ex non exstantibus fecit Pater Dei Verbi, ex ipso vero Patre nativitatem habet, sicut et ipse Dominus alicubi testatus est, dicens : *Qui diligit Patrem, diligit Filium qui ex eo natus est* (I Joan. v, 1). De quibus nos ita credimus, sicut apostolice placet Ecclesie, in unum ingenitum Patrem, nullam habentem causam ut esset, inconvertibilem et immutabilem, semper idem, et similiter se habentem, nec provecum nec imminutionem recipientem, Legis, et Prophetarum, Evangeliorumque datorem, patriarcharum et apostolorum Dominum, omniumque sanctorum; et in unum Dominum Jesum, Christum Filium Dei unigenitum, natum non ex non exstante, sed ex exstante Patre; non secundum corporum similitudines incisionibus, aut divisionum effluxionibus, sicuti Sabellio et Valentino placet, sed ineffabiliter et inenarrabiliter secundum eum qui dixit, sicut supra posuimus : *Generationem ejus quis enarrabit* (Isai. lxx, 8)? Subsistentia [ms. Theod., substantia] videlicet ejus omni create naturæ imperscrutabili existente, sicut et ipse Pater imperscrutabilis est, eo quod non erat rationalium natura scientiam, qua Pater genuit Filium. Quod quidem non a me convenit dicere viro [ed., Niv. et Frob., discere viros] spiritu veritatis impleto; erudiente quippe nos Christi voce, qua dicit : *Nullus novit quis est Pater, nisi Filius; et nullus novit quis est Filius, nisi Pater* (Math. xi, 27); et asserente enim inconvertibilem et immutabilem se sicut Patrem, **219** nihil egentem, perfectum Filium, æqualemque Patri soli ingenito. Imago enim est integerrima et immutabilis Patris; et omnino imaginem convenit esse plenam, per quam non desit aliquid ab æqualitate ejus cujus imago est, sicut ipse Dominus docuit, dicens : *Pater meus major me est* (Joan. xiv, 28); secundum quod semper etiam esse Filium ex Patre credimus. *Splendor enim est gloriæ, et figura paternæ substantiæ* [ed. V., subsistentiæ] (Hebr. i, 3). Sed nullus hoc, semper, ad suspicionem ingeniti summat, sicuti putant qui sensus animæ cæcos habent. Nam neque erat, neque semper, neque ante sæcula, idem est quod ingenitum. Sed nec quilibet humanus intellectus ab omnibus nominibus indicare valet hoc, quod dicimus ingenitum, sicut et vos æstimare credo, et de omnium vestrorum confido proposito, nullo modo quibuslibet nominibus ingenitum declarandum [ed., Niv. et Frob., declarantium]. Videntur enim hæc nomina veluti temporum esse productiva : digne tamen ipsius Unigeniti divinitatem, et veluti dicam antiquitatem nequaquam significare valentia, cum sancti videlicet viri secundum suam unusquisque virtutem sacramentum hoc aperire conati sint : veniam poscentes ab auditoribus per satisfactiones rationabiles, dicendo de se : Protulimus quod pertingere prævaluimus. Si quid autem ultra hominem expectant, quicumque viri et ad majus innituntur eloquium, illud quod ait : *Ex parte cognoscimus* (I Cor. xiii, 9), jam putantes esse destructum; palam est, quia multum spe sua deficiunt. Igitur erat, et semper, et ante sæcula, quodcumque sit, non tamen est id quod ingenitum. Ergo ingenito quidem Patri propria dignitas est servanda [ms. Lyr., conferenda], nullam dicentes ei causam fuisse ut esset; Filio vero congruus distribuatur honor. Sine principio enim a Patre sciamus ejus esse nativitatem, culturam ei, sicut prædiximus, tribuentes pie, atque cum bona opinione super eo, erat, et semper, et ante sæcula, prædicantes; divinitatem quippe ejus perscrutantes, sed imagini et perscrutationi Patris perfectam æqualitatem per omnia devotentes, Proprium vero solum dicentes Patris, quod ingenitus est, cum et ipse Salvator dixerit : *Pater meus major me est* (Joan. xiv, 28). In hac itaque pia de Patre Filioque sententia, sicut nos divinæ Scripture docent, unum Spiritum sanctum confitemur, qui replevit et Veteris Testamenti sanctos homines, et Novi sacratissimos præceptores : in unam et solam catholicam et apostoli-

eam semper Ecclesiam, quæ et invincibilis est, licet A
 omnis mundus adversus eam pugnet, et victrix totius
 adversæ impietatis existens, securus nos faciente Pa-
 trefamilias ejus, cum clamat, *Habete fiduciam : ego
 vici mundum* (Joan. xvi, 33). Hoc novimus actum
 post resurrectionem a mortuis, quorum primitiæ
 factus est Dominus noster Jesus Christus carne vera
 indutus, et non putative ex Dei Genitrice Maria; qui
 in novissimis temporibus pro damnatione peccati ad
 humanum genus adveniens, crucifixus et mortuus
 est; sed non propterea divinitate sua minor factus.
 Resurrexit enim a mortuis, assumptus est in cælum,
 et sedet ad dexteram Majestatis. Hæc igitur ex parte
 in hac epistola figuravi, onerosum credens singula
 sub scrupulositate conscribere, eo quod sciam sau-
 ctum studium vestrum talia non latere. Hæc docemus, B
 hæc etiam prædicamus, hæc sunt apostolicæ Ecclesiæ
 dogmata, pro quibus etiam morimur, et destruere ea
 volentes nullatenus formidamus. Qui licet verberibus
 nobis extorqueant, nos tamen spem non aversamur
 nostram. Horum igitur adversarii, id est, Arius et
 Achilles, et qui cum eis sunt veritatis inimici, ab
 Ecclesia sunt procul expulsi, alieni facti a pia doctri-
 na nostra, secundum beatum Paulum dicentem : *Qui,
 anque vobis annuntiaverit præter id quod accepistis,
 anathema sit, licet angelum de cælo se esse fingat*
 (Galat. i, 8). Sed etiam si quis aliis sermonibus Do-
 mini nostri Jesu Christi, et doctrina, quæ secundum
 pietatem est, inflatur, nihil sciens, et reliqua. Hos
 igitur anathematizatos a fraternitate nullus vestrum
 suscipiat, aut habere patiatur ea quæ ab eis vel di-
 cuntur vel conscribuntur. Cuncta enim velut magi
 homines mentiuntur : quia veritatem loqui non pos-
 sunt. Circumeunt denique civitates, nihil studentes
 aliud, nisi ut amicitiarum schemate et nomine pacis
 per signata vel blandimenta litteras dent et acci-
 piant; ut errare faciant per hæc deceptas a se mu-
 lierculas. Hos ergo qui contra Christum tanta præsu-
 munt, quique Christianitati tam publice derogaverunt,
 qui inter judicia persecutiones nobis, quantum in
 ipsis est, excitare non cessant, et ineffabile sacra-
 mentum nativitatis [ed. V., Christianitatis] Christi
 enervare moluntur, aversamini, dilectissimi; et una-
 nimes atque concertatores nobiscum contra eorum
 vesanam estote præsumptionem, ad similitudinem
 ministrorum nostrorum, qui indignati sunt, et
 adversus eos mihi scripserunt, et in tomo quem etiam
 vobis direxi per filium meum archidiaconum [alias,
 Architem diaconum] subscripserunt, tam totius Ægy-
 pti et Thebaidis, quam Libyæ et Pentapolis, Syriæ,
 Pamphyliæ, Asiæ, Cappadociæ, sacerdotes, aliarum-
 que provinciarum, ad quorum instar etiam vos con-
 fido eum suscipere. Multis itaque mihi contra nocen-
 tes remediis existentibus, etiam hoc inventum est
 utile medicamen : quia convertuntur seducti ab eis
 populi, nunc nostris sacerdotibus obedientes, et ad
 poenitentiam per eos accedere festinantes. Salutate
 ad invicem fraternitatem quæ apud vos est. Valere
 vos in Domino opto, charissimi. Sunt autem qui ana-
 thematizati sunt, ex presbyteris quidem Agius, ex

diaconibus autem Achilles, Euzotus, Aithalis, Lucius,
 Sarmatius, Julius, Menas, alter Arius, et Helladius.

Cousona his direxit et Philogonio Antiochenæ
 præsuli civitatis, et Eustathio, qui tunc Beroënsensem
 gubernabat Ecclesiam, et aliis apostolicorum dogma-
 tum defensoribus. Sed neque Arius quiescere passus
 est; scripsit enim et ipse concordibus suis. Quia vero
 nihil falsi contra eum scripsit sacratissimus Alexan-
 der, ipse Arius litteris suis scriptis ad Nicomedien-
 sem Eusebium protestatus est. Quam epistolam inse-
 rere non omitam, ut communicatores impietatis
 ejus ignorantibus possim facere manifestos. THEODO-
 RETUS, lib. 1, c. 4, p. 8.

220 CAPUT XV.

Epistola Arii ad Eusebium.

Domino desiderabilissimo, homini Dei, fideli, or-
 thodoxo Eusebio, Arius, qui persecutionem ab
 Alexandro papa patitur injuste propter omnia vin-
 centem veritatem, quam tu quoque defendis, in Do-
 mino salutem.

Patre meo Ammonio veniente Nicomediam, ratio-
 nabile judicavi te salutare per eum, sciens dilectio-
 nem pariter et affectum quem circa fratres propter
 Deum habere dignosceris. Vehementer nos vastat
 atque persequitur, et omnem benignum animum mo-
 vet adversum nos episcopus Alexander, ita ut etiam
 de civitate nos expulisset, velut homines sine Deo :
 quoniam non concordamus ei publice dicenti, Sem-
 per Deus, semper Filius; Simul Pater, simul Filius;
 coexistit ingenito Deo Filius; semper genitus est; ab
 ingenito genitus est; neque cogitatione, neque atomo
 quidem præcedit Deus Pater; semper Filius ex ipso
 Deo est. Et quoniam Eusebius frater tuus Cæsariensi-
 sis, et Theodotus, et Paulinus, et Athanasius, et
 Gregorius, et Aelius, et omnes per Orientem dicunt,
 quia præexistit Deus Filio sine principio, anathema
 facti sunt, præter solum Philogonium, et Hellenicum,
 et Macarium, homines hæreticos, ineruditos; quo-
 rum alii quidem dicunt Filium eructationem, alii
 vero propositionem, alii coingentum. Quas impieta-
 tes nec audire possumus, liceo innumeras mortes no-
 bis minentur hæretici. Nos autem quoniam dicimus, et
 sapimus, et docuimus, et docemus, quia Filius non est
 ingenitus, nec ingeniti pars ullo modo, neque ex aliquo
 subjecto; sed quoniam voluntate et consilio subsi-
 stit ante tempora, et ante sæcula plenus Deus, unige-
 nitus, convertibilis; et antequam generaretur, aut
 crearetur, aut prædestinaretur, aut fundaretur, non
 erat : ingenitus enim non erat, persecutionem pati-
 mur quia diximus : Principium habet Filius, Deus
 autem sine principio est; et quia diximus, Ex non
 exstantibus est. Sic autem diximus secundum quod
 nec pars Dei est, nec ex aliquo subjecto; propterea
 persecutionem patimur. De cætero tu nosti. Valere
 te in Domino opto, memore tribulationum nostrarum,
 Collucianista vere Eusebie, id est, pie.

Eusebius itaque Cæsariæ erat episcopus, Theodo-
 tus Laodiceæ, Tyri Paulinus, Athanasius Anazarbi,
 et Gregorius Beryti, Aelius autem Lydda. Lybia

vero est quæ nunc Diospòlis appellatur. Hos ergo Arius concordēs se habere gloriabatur. Hostes autem vocavit Philogonium præulem urbis Antiochenæ, Hellenicum Tripoleos, et Macarium Hierosolymorum, adversus eos sarcinendo calumnias : quoniam æternum et ante sæcula Filium, et cum Patre æqui honoris ejusdemque substantiæ prædicabant.

Hanc igitur Eusebius dum suscepisset epistolam, et ipse venenum suæ impietatis evomit, scribens hoc modo Paulino episcopo Tyri. THEODORETUS, *lib. 1, cap. 5, p. 20.*

CAPUT XVI.

Epistola Eusebii ad Paulinum episcopum Tyri.

Domino meo Paulino Eusebius in Domino salutem.

Neque domini mei Eusebii studium pro veritate verbi tacitum est, sed usque ad nos pervenit, neque tuum, domine, super hæc causa silentium. Et, ut consequens erat, de domino quidem meo Eusebio lætati sumus : de te vero tristamur, arbitrautes taciturnitatem tanti viri nostram esse devictionem [*ms. et edit. V., devotionem*]. Quapropter rogo te scientem quoniam indecens est virum sapientem alia sapere, et tacere veritatem, ut spiritali ratione commotus ad scribendum de hujusmodi rebus incipias ; cum et tibi sit utile et audientibus te : maxime dum per consequentiam scripturæ, et vestigia sermonum ejus, et voluntatis [*ms., voluptatis*] scribere cuncta volueris. Quoniam neque duos ingenitos audivimus aliquando, neque unum in duos divisum. Neque corporale aliquid passum esse didicimus aut credidimus, domine meus ; sed unum quidem ingentum, unum vero ab eo vere, et non ex ejus substantia factum, et, universaliter dicendum, nequaquam cum ingenta natura participantem aut existentem ex ejus substantia, sed factum perfecte, aliud natura atque virtute, quantum attinet ad integram similitudinem, affectum potestatemque factoris, factum scilicet innarrabilem. Quod etiam cogitationi non solum humanæ, sed etiam quæ ultra omnes homines est, incomprehensibile judicamus et credimus. Et hæc quidem non rationibus nostris obstricti, sed ex Scriptura sancta discentes, dicimus creatum esse, et fundatum, et genitum substantia, et inconvertibili et ineffabili natura, similitudine factoris, sicut ipse Dominus ait : *Dominus creavit me in initio viarum suarum, in opera sua, et ante sæcula fundavit me, ante omnes colles genuit me (Prov. viii, 22)*. Si autem ex eo, hoc est ab eo erat, quasi pars ejus vel ex fluxu substantiæ, nequaquam creatus aut fundatus esse diceretur. Neque tu ignoras hoc, domine vere, quia quod ex ingenito existit, creatum jam ab alio, aut ab eo, aut fundatum non erit ab initio : ingenitum eum dicere, ostensionem quamdam præbet, quasi ex paterna substantia sit natus, et habeat ex eo æqualitatem naturæ. Scimus enim quod non de eo solo genitum dicit Scriptura, sed etiam de dissimilibus ei natura per omnia. Nam et de hominibus ait : *Filios genui, et exaltavi ; ipsi vero me spreverunt (Isai. 1, 2) ;*

et iterum : *Deum, qui te genuit, dereliquisti (Deut. xxxii, 18)*. Et alius quidam ait : *Qui peperit guttas roris (Job xxxviii, 8)* ; non naturam ex natura narrans, sed uniuscujusque creaturæ ex ejus voluntate nativitatem. Non enim ex ejus substantia sunt, sed omnia voluntate ejus facta, sicuti facta sunt. Ille siquidem Deus est : hæc autem ad similitudinem ejus verbo similia futura, secundum spontaneum motum facta. Et omnia quidem per eum a Deo facta, cuncta tamen ex Deo. Quæ percipiens et exponens secundum datam tibi divinitus gratiam, scribere domino meo Alexandro festina. Confido enim quia si scriperis illi, convertetur. Saluta omnes qui in Domino sunt. Valentem te et pro nobis orantem gratia Dei custodiat, domine. THEODORETUS, *lib. 1, c. 6.*

CAPUT XVII.

De potentia Eusebii Nicomediensis.

Talia et isti alterutris scribebant, contra veritatem se armantes ad prælium. Et pejus fiebat malum ad contentioni- incendium per eos qui hæc scripta suscipiebant. Consentientes igitur Alexandro, etiam in ejus tomo subscribebant ; alii vero contraria faciebant. Præcipue tamen movebatur ex adverso Nicomediensis Eusebius, quoniam in epistola sua graviter ejus memoriam fecerat Alexander. Poterat autem illo tempore nimis Eusebius, quia tunc imperator Nicomediæ morabatur. Nam ibi ante paululum temporis Diocletianus et qui circa eum erant regalia constituerant. Propterea ergo multi episcoporum obediebant Eusebio. Et ille frequenter scribebat Alexandro quidem, ut deserens questionem quæ movebat tumultum, susciperet Arium et sequaces ejus ; per civitates autem diversis episcopis, ne consentirent scriptis Alexandri. Unde omnia erant valde turbata. Non enim solummodo Ecclesiæ præsules ratiocinationibus inter se certare videbantur, sed etiam populus divisus erat. Alii namque istis, alii vero consentiebant illis. Et ad tantum causa venit incendium, ut in publico et in ipsis theatris Christianitati derogaretur. Hi quidem in ipsa Alexandria positi, tanquam jam victores de superioribus persecutionibus facti, potius armabantur, legationesque mittebant ad provinciales episcopos ; hi vero in alteram divisi partem, illorum simili seditioni communicabant. SOCRATES, *lib. 1, cap. 3 ; edit. Christoph. et Vales. cap. 6, p. 13.*

CAPUT XVIII.

De Meletianis, et quomodo sint ab Ecclesia segregati, et quia volente Alexandro Arium suscipere, per diversa loca Ariani concilia celebrabant.

Miscebantur igitur Arianis Meletiani (An. Dom. 315), qui dudum fuerant ab Ecclesia segregati. Qui vero sint isti dicendum est. Sub Petro Alexandrinæ civitatis episcopo, qui suscepit Diocletiano imperante martyrium, Meletius quidam episcopus unius civitatis Ægyptiorum depositus est, et propter multas alias causas, et maxime quia in persecutione fide negata sacrificaverat. Ergo damnatus multos habuit sequaces, et hæresiarches factus est eorum qui hæc

ab eo in Ægypto Meletiani vocantur : nullam justitiæ satisfactionem habens, cur remanserit ab Ecclesia separatus. Dicebat quidem injustitiam se passum, et obloquebatur sæpius, derogabatque Petro. Sed Petrus in persecutione, percepta martyrii palma, defunctus est. Iste vero retulit detractiones in Achillam, qui post Petrum suscepit episcopatum; et rursum in Alexandrum, qui post Achillam noscitur ordinatus. Inter hæc igitur supervenit quæstio Ariana, et Meletius una cum suis defendebat Arium, conspiratione facta cum eo adversus epi copum. Quibuscunque enim prava videbatur Arii secta, suscipiebant semper Alexandri [ed., super Ario] sententiam, tanquam justum contra consentaneos Arii ejus videretur esse decretum. Scribebant autem et qui circa Eusebium Nicomedix erant, et alii quibus Arii opinio complacebat, quatenus solveretur quidem præmissa damnatio, et in Ecclesiam damnati reducerentur, quasi nihil mali proliterentur. Sic itaque diversis epistolis ad Alexandrinum episcopum destinatis, fecerunt harum epistolarum collectiones, Arius quidem earum quæ pro se erant, Alexander autem contra Arium. Et hinc occasio contentionis oborta est hæresibus quæ nunc ubique circumvolant, hoc est, Arianorum, Eunomianorum, et quicumque nomen habent a Macedonio. Singuli namque horum ipsis epistolis testibus usi sunt in defensionem hæresis suæ. SOCRATES, lib. 1, cap. 3; edit. Christ. et Vales. cap. 6, p. 14.

Cum vero sæpe supplicantes Alexandro qui circa Eusebium erant, non inclinassent eum, tanquam injuriam passi malignabantur, et aciores ad roborandum Arii dogma sunt facti; conciliumque in Bithynia colligentes, scripserunt episcopis universis, ut tanquam recte credentibus communicarent Arianis, et agerent ut Alexander quoque communicaret eis. Dumque eorum studium defecisset, Alexandro non consentiente, legatione fungitur Arius apud Paulinum episcopum Tyri, et Eusebium Pamphili pontificem Cæsareæ Palæstinæ, et Patrophilum Scythopoleos : petens una cum suis ut juberetur cum populo qui cum eo erat solemnia sacramenta Ecclesiæ celebrare, tanquam ipse prius presbyterorum habuisset officium; esse dicens consuetudinem in Alexandria, sicut etiam nunc, ut uno existente super omnes episcopo, presbyteri seorsum ecclesias obtinerent, et populus in eis collectas solemniter celebraret. Tunc illi una cum aliis episcopis in Palæstina congregati, tale decretum super petitione Arii protulerunt, jubentes eos collectas exercere sicuti prius; esse tamen subditos Alexandro pontifici, et deprecari semper ut ejus pace et communionem fruerentur. Cumque etiam in Ægypto multis conciliis celebratis, hæresis pullularet, ita ut usque ad regalia perveniret, non mediocriter Constantinus imperator affligebatur, eo quod religione nuper inchoante crescere, multos a Christianitate dogmatum discordia revocaret [ms. Lyr., a Christianitatis dogmate discordare videret]. Et propterea culpabat Arium et Alexandrum, eisque scribens arguebat, quia cum latere potuissent hæc quæstio, eam deduxissent

ad medium, et vehementi studio contentions movissent quæ nec querenda erant, nec ab initio cogitanda, aut cogitata potius taciturnitati jure tradenda, cum utique ab alterutris non sejungi potuissent, licet ex aliqua parte dogmatis dissonarent. Alexandro siquidem et Ario, aliquando culpans, aliquando suadens, talia scripsit, quarum litterarum partem hic poni non est incongruum. Tota enim epistola in libris Eusebii posita est in Vita Constantini. SOZOMEN., lib. 1, cap. 14, edit. Christoph. et Vales. cap. 15, p. 427.

222 CAPUT XIX.

Epistola Constantini principis ad Alexandrum pontificem Alexandrinum, et ad Arium, per quam hortulatus est ut reverterentur ad pacem.

Victor Constantinus Maximus, Pius, Alexandro et Ario.

Didici tunc natam præsentis quæstionis originem, quando tu, o Alexander, a presbyteris requirebas quid unusquisque eorum de quodam loco [ms. Lyr., verbo] in lege conscripto, magis autem pro vanæ cujusdam quæstionis parte sentiret. Tuque, o Arius, quod neque principio cogitari debuerat, cogitatum taciturnitati tradidisti potius competebat, huc improvide protinus objecisti, unde, discordia inter vos emergente, mysteria contemnuntur. Sanctus vero populus in utraque divisus est, communis corporis congruentia separatur. Ergo uterque vestrum ex æquo voluntatem præbens, in quo vos confamilis vester juste monet obediat. Hoc itaque neque requirere dignum est, neque de talibus respondere quærentibus. Hujusmodi enim quæstiones, quæ non cujusquam legis necessitate proponuntur, inutilis vacationis tempus exquirunt. Et licet causa cujuspiam naturalis exercitii fiant, tamen debemus eas intra sensum claudere, et non prompte in publica conciliabula deportare, nec omnium auribus inconsulte committere. Quantus enim est unusquisque hominum, ut possit ita magnarum rerum et valde difficultium virtutem aut ad perfectum inspicere, aut interpretari digne? Aut si quis hoc facere, difficile tamen, possit, quantæ parti populi sua lehit? Aut quis tantarum quæstionum subtilitates extra lapsus sui periculum sustinebit? Ergo fugienda sunt in talibus multiloquia, ne forte dum infortitate nostræ naturæ minime quod proponitur explicatur, mente discentium auditorum pro tardiori intellectu ad perfectam quæstionis perceptionem pervenire non valente, ad necessitatem blasphemæ, aut schismatis populus abducatur. Quapropter et interrogationes incautæ, et responsiones improvide æquam alterutris ventam tribuant ex utroque. Non enim pro summo legis mandato apud vos occasio certaminis inflammata est, neque nova quædam pro Dei religione hæresis introducta; sed unam eandemque rationem habetis, sicut etiam unum communionis signum. Vobis enim inter alterutros pro parvulis et valde modicis contententibus causis, tantum Dei populum, quem vestris orationibus et prudentia convenit gubernari, discordare nec decet, nec omnino fas esse credibile est. Ut autem parvo quodam exemplo sapientiam vestram commoneam, nostis etiam ipsos

philosophos quia in uno quidem dogmate cuncti consentiunt; cum vero in quadam sententiæ parte discordant, licet disciplinæ virtute separentur, tamen ad invicem corporis unitate conspirant. Cum hæc ita sint, quanto potius justum est vos, magni Dei ministros, in voluntate religionis alterutris esse concordēs! Consideremus itaque ratione majori, et ampliori intelligentia cogitemus, si recte se habeat propter parva et vana sermonum certamina fratres fratribus resultare, et honorem concilii per vos impia contentione discernere, dum ad invicem pro sic parvis et nequaquam necessariis litigatis. Volgaria sunt hæc et infantum fatuitatibus magis accommodanda, quam sacrorum virorum et prudentium intelligentiæ consona. Recedamus ergo volentes a tentationibus diabolicis. Magnus Deus noster Salvator universorum commune omnibus lumen effulsit, cujus providentia hoc meum, ministri Dei, studium ad perfectionem venire permittite; ut vos illius populum mea allocutione, et ministerio, et monitionis instantia, ad synodalem possim revocare communionem: quia, sicut dixi, una quædam in vobis est fides, et unus secundum vos hæreseos intellectus, legisque præceptum suis partibus in unius voluntatis propositum tendit. Hoc ergo quod vobis inter alia contentionem excitavit, quoniam non attinet ad totius legis virtutem, separationem quamdam et seditionem inter vos non debet efficere. Dico autem hæc non tanquam cogens vos omnibus modis huic satis optimæ et qualiscunque sit, consentire quæstioni; potest enim et honor concilii a vobis integer custodiri, et una atque eadem omnibus communicatio conservari, licet aliqua in vobis particulariter ad invicem pro parvo quodam contentio generetur: quoniam non omnes in omnibus idem volumus, neque una in nobis natura versatur, aut voluntas una cognoscitur. De divina siquidem providentia una quædam in vobis sit fides, una prudentia, unus in Deo consensus. Quæ vero pro his frivolis quæstionibus inter alterutros disputata sunt, licet non in unam sententiam colligantur, manere tamen intra sensum debent, mentis ineffabilitate servata. Communis autem charitatis præcipuum sacramentum, et veritatis fides, et honor circa Deum atque religionem legis apud vos inconcusse permaneat. Revertimini ergo ad alterutras amicitias atque gratiam; redite universo populo vestros amplexus; vosque ipsos, velut proprias animas expiantes [ms. Lyr., a que vos ipsos vestris amicitias expiantes], alterutros rursus agnoscite. Suaviores enim crebro sunt amicitia post inimicitiarum causas ad concordiam restituta. Reddite ergo mihi tranquillos dies noctes-

A que securas, ut quædam jucunditas puri luminis et vite jam quietæ apud me lætitia conservetur; alioquin fuerit necessitas ingemendi, et semper lacrymis ingravari, et nequam sæculum libenter ferre vivendi. Dei namque populos, il est confamilios meos, sic injuste et noxia vestri contentione divisos, congregari jam tempus est. Ut autem hujusmodi tristitiæ meæ magnitudinem sentiat, audite. Dudum veniens ad Nicomediensium civitatem, repente ad Orientem pergere festinabam. Cumque ad vos tenderem, et plurima jam parte vobiscum essem, hujus rei nuntio sum retentus: ne oculis videre compellerer quæ impossibile judicabam ad sensum aurium posse pervenire. Quapropter aperite jam mihi per vestram concordiam Orientis vias, quas contentione clausistis alterutra; velociterque mihi concedite, vosque ipsos et alios universos populos videre letos, et pro communi omnium concordia ac libertate debitam gratiarum actionem favorabilibus eloquiis Deo persolvere. SOCRATES, lib. 1, cap. 4; edit. Christ. Vales. cap. 7, p. 15.

223 CAPUT XX.

Quia tam pro Ariana quæstione quam pro Paschæ definienda festivitate in Nicæa fecit Constantinus celebrare concilium.

Alexandro siquidem et Ario, nunc culpando, nunc admonendo, hæc scripsisse dignoscitur. Graviter autem ferebat, audiens aliquos contra omnium statutum agere Paschæ festivitatem. Tunc etenim in urbibus Orientis discordantes quidam ob hoc, alterutra quædam societate divisi non erant, Judaico tamen more festivitatem dominicam celebrabant, et, ut assolet, splendorem collectæ tali discretionem scædabant. Propter utraque igitur quietam esse Ecclesiam festinabat princeps; seque putans hoc malum posse præoccupare antequam ad plurimos perveniret, misit virum circa se fide et vita simul insignem, et confessionibus priorum temporum dogmate comprobatum, qui compacaret [ms. Lyr., compellaret] Ægyptios propter dogma tumultuantes, et Orientales propter Pascha discordes. Fuit autem Osius, Cordubæ civitatis episcopus. Cumque præter spem causa procederet, et hæresis potius quam pax serata valuisset, nihil impetrans remeavit qui fuerat pro pace directus Ecclesiarum. Tunc illud famosissimum in Nicæa concilium fervor principis excitavit: publicis asinis, atque mulis, et curracibus equis episcopos, et qui cum eis erant, ad synodum venire præcipiens. SOZOMEN., lib. 1, cap. 15; edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 429.

LIBER SECUNDUS.

224 CAPUT PRIMUM.

De præsulibus Ecclesiarum qui interfuerunt Nicæno concilio.

Communicabant igitur Nicæno concilio (An. Dom. 327) ex apostolicis quidem sedibus Macarius Hiero-

solymitanus, Eustathius jam præsidens Antiochenæ apud Orontem Ecclesiæ, et Alexander Alexandriæ, quæ est apud stagnum Mariam. Julius autem Romanus episcopus propter senectutem defuit; erantque pro eo præsentes Vitus et Vincentius presbyteri eius-

dem Ecclesie. Super hos autem et alii plurimi boni A et optimi ex diversis gentibus convenerunt. Alii quidem ad intelligendum et dicendum nimis idonei, scientiaque sacrorum librorum, et alia eruditione disciplinati, vitæque virtute præclari. Alii vero in utroque probatissimi viri, quorum utile iudicio etiam nomina memorare. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 16, ed. Christoph.*

Tanquam stigmata Domini Jesu in corpore circumferentium secundum sacrum Apostolum. Erat enim Jacobus Antiochiæ Mygdoniæ, quam Syri et Assyrii Nisibin appellant, qui mortuos resuscitavit, vivos curavit, et alia innumera probatur operatus esse miracula. Sed hæc superfluum arbitror huic operi rursus inserere, quæ in Deo amabili historia latius enarravi. Paulus Neocæsareæ, quod est castrum positum B juxta ripas Euphratis. Is enim Licinii rabie demolitus est. Ambas enim manus ligatas habuerat ignitque ferro combustas, quo fuerant nervi articularum ejus a sua mobilitate siccati atque mortificati. Alii vero dextros oculos effossos habuerunt, alii dexteras suras abscissas. Unus horum erat Paphnutius Ægyptius. Et absolute videbatur ibi populus athletarum Christi et martyrum in uno loco congregatorum. De quibus et Eusebius Pamphylia tertio libro in Constantini Vita hæc ita dicit. THEODORETUS *lib. 1, cap. 7, p. 24.*

Cunctarum igitur Ecclesiarum quæ totam Europam, Libyamque, et Asiam replebant, simul erant ministrorum Dei congesta cacumina; unaque orationis domus tanquam a Deo dilatata intrinsecus ferebat C omnes in idem, Syros simul, et Cilicas, Phœnicasque, et Arabes, atque Palestinos, inter hos et Ægyptios, Thebæos, Libyas, nec non et qui ex Mesopotamia oriuntur, sed etiam Persa ad concilium venit episcopus. Verum nec Scythia defuit ex eorum choro, Pontusque, et Asia, Phrygia, et Pamphylia viros probatissimos præbuerunt. Aderant Thracæ, et Macedones, Achivi et Epirotæ, et horum quoque interioribus habitantes. Ipse autem Hispanorum valde famosus Osius unus erat, et simul plurimis assidebat. De regia vero civitate præsul Alexander propter senectutem defuit; presbyteri vero præsentibus locum ejus implebant. Talem itaque a sæculo solus unus imperator Constantinus Christo coronam vinculo pacis exornans, suo Salvatori de victoria inimicorum et hostium Deo D docibilem [*ed. et ms. Santheod., decibilem*] dedicavit; gratiarum actionis imaginem secundum nos apostolica plausione constituens. Tunc igitur ille sermo completus est: Collectos *ex omnibus gentibus, quæ sub cælo sunt, viros religiosos, inter quos erant Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes 225 Libyæ secus Cyrenen, et advenæ Romani, Judæi et proselyti, Cretes et Arabes (Act. II, 5, 9, 10, 11).* Verumtamen hoc illis decrat, quod non, sicut isti, omnes ex Dei ministris utique consistebant. In præsentibus siquidem choro multitudo erat episcoporum, numerum trecentorum excedens, sequentibus eos

presbyteris, ac diaconibus, et acolythis, quorum numerus non poterat comprehendere. Ministrorum vero Dei alii sapientiæ sermone fulgebant, alii continentia vitæ et patientia coruscabant; alii vero medio modo horum virtutibus ornabantur. Erant igitur inter eos alii temporis honorati longinquitate, alii juventute, et animi robore præmicantes, qui nuper venerant ad hujus ministerii cursum. Quibus videlicet omnibus imperator diebus quotidianis cibaria largissime ordinat expendi. Hæc itaque de his qui ibi collecti sunt Pamphili recitavit Eusebius. Cumque celebrasset imperator victricem contra Licinium festivitatem, et ipse occurrit ad Nicæam. Clarebant autem inter episcopos Paphnutius ex superiori Thebaide, et Spiritio Cyprius. Cujus autem rei causa horum memini, postea sum dicturus. SOCRATES, *lib. 1, cap. 5; edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 19.*

CAPUT II.

De libellis oblati imperatori, et ab eo jussis incendi, et de disputatione dogmatis Ariani.

Aderant itaque cum episcopis viri disputationis experti verbis, studentes prodesse concilio. Ut autem assolet fieri, plurimi sacerdotum tanquam pro causis propriis decertare collecti, tempus se invenisse putarunt quo corrigeretur quod contristabat eos; et de quibus alium unusquisque forte culpabat, libellum offerens principi, quæ in eo fuerant commissa narrabat. Cumque hoc quotidie facile proveniret, præcepit imperator certo die singulos de quibus alium culparent facere manifestum. Cumque dies constituta venisset, libellos oblatos suscipiens, « Hæc quidem accusationes, inquit, tempus habebunt proprium, id est, diem magni iudicii, Judicem vero illum qui tunc futurus est omnibus judicare. Mihi ergo homini constituto, de hujusmodi rebus non licet habere auditorium [*ms. Lyr., auditum*], sacerdotum scilicet accusantium simul et accusatorum, quos minime convenit tales debere monstrari, qui iudicentur ab aliis. Age nunc imitantes divinam clementiam in alterutrorum veniam condonantes, accusationes aboleamus alterutras; et de his quæ ad fidem pertinent agere studeamus, cujus huc gratia convenimus. » Hæc siquidem imperator dicens, unuscujusque scripturam vacare, et libellos jussit ardere; diemque defunivit qua solvi quæ erant dubia venirent. Ante constitutum vero convenientes apud semetipsos episcopi evocaverunt Arium, et propositis in communi suis opinionibus disputabant. Cumque, ut assolet, ad diversas quæstiones causa traheretur, alii quidem suadebant nihil innovandum circa antiquam fidei traditionem, et maxime quando morum simplicitas sine perscrutatione tradebatur, accedentibus ad fidei sacramentum. Alii vero respondebant non oportere sine examinatione sequi sententias antiquorum. Plurimi vero tunc convenientium episcoporum et sequentium eos clericorum, scientes disputare, hujusmodi elocutionum arte exercitati claruerunt, et imperatori atque his qui circa eum erant noti sunt facti. Ex illis enim et Athanasius tunc diaconus existens, dum

cum Alexandro esset episcopo, hujus studii pars esse maxima videbatur, nec non et quidam Græcorum philosophorum opportune harum disputationum questione participati sunt: alii quidem quale esset hoc dogma studentes agnoscere; alii vero nuper inchoante Græcorum religione deperire, Christianis infensi, dogmatis sacramenta ad verborum certamina protrahabant, ita ut contra se seditiones exercebant, certaminaque sibimet inferrent, et sæpius ex adverso contenderent. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 16. Edit. Christ. Vales. 17, p. 430*

CAPUT III.

De laico simplici confessore virum dialecticum superante, et de sene simplici, philosopho Christianum dogma pendente.

Cumque plurimi disputationis delectatione traherentur, unus quidam ex confessoribus laicis simplicem habens sensum, dialecticis obviavit, dicens: Audite igitur, Christus et apostoli non nobis artem dialecticam tradiderunt, vanamque verborum fallaciam, sed puram scientiam [*ms. Lyr., conscientiam*] fide et operibus bonis observandam. Hæc dicente juvene et animo sene, præsentibus quidem mirati sunt, dictumque probaverunt. Dialectici vero satisfactione suscepta cessarunt, rationem quippe simplicem veritatis audientes. SOCRATES, *lib. 1, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 20.*

Fertur enim et aliud: dum quidam eorum magnificentia sermonum extolleretur, et illuderet sacerdotibus, non pertulit ejus fastum [*ms. Lyr., factum*] quidam senex simplex et innocens ac probatissimus confessorum; sed accessit adversus eum proferre sermonem. Hoc itaque factum petulantibus quidem et simplicem scientibus confessorem risum movit, maturioribus vero formidinem: providentibus ne a viro verbis artifice deduceretur ad risum; verumtamen cedentibus, ut quod vellet ediceret; resistere namque ei cum talis esset, nimium verebantur. In nomine, inquit, Jesu Christi, o philosophe, audi dogmata veritatis: Unus est Deus cæli et terræ, omniumque visibilium et invisibilium Creator, qui hæc omnia Verbi sui virtute fecit, et Spiritus sui sanctitate firmavit. Hoc itaque Verbum quod nos Filium Dei nominamus, habita misericordia super homines, ab errore eos et ferali religione liberavit, passus ex muliere nasci, et cum hominibus conversari, et mori pro eis, venietque denuo judicaturus singulorum vitam. Hæc ita se habere sine perscrutatione credimus. Noli igitur inaniter laborare, quærens destruere ea quæ fide percepimus. Noli investigare modum quo fieri hæc aut non fieri potuerunt. Si enim credis consulenti mihi, ad ista responde. Obstupefactus vero philosophus: Credo, inquit. Tunc gratias pro devotione persolvens, eadem quæ senior æque sectatus [*ms. Lyr., senior testatus*] est, et prioribus consecratoribus, ut unanimes sibimet essent, persuadebat: non improvide mutatum se jurans, sed **226** ineffabili quadam virtute ad Christianitatem protinus invitatum. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 431.*

CAPUT IV.

Quomodo in conflictu Alexander Constantinopolitæ episcopus fecit philosophum obmutescere paganorum.

Dicitur autem proximum huic miraculo quiddam gestum per Alexandrum Constantinopolitanæ civitatis episcopum. Cum enim venisset imperator Constantinus Byzantium, adnotes eum quidam philosophi querebantur quasi non Deum coleret ut deceret, et circa sacra novitates exercebat, novam in republica introducendo culturam, præter quæ ejus majoribus visa sunt, et Græcorum Romanorumque principibus, quos habuerant transacta sæcula, placuerunt; volebantque cum Alexandro episcopo disputare de dogmate. Ille vero hujusmodi exercitatione verborum inexpertus erat, de vitæ qualitate confidens. Fuit enim vir magnus, et conversatione mirandus. Cumque certamen imperatore præcipiente suscepisset, convenissentque philosophi, omnibus loqui volentibus, ut unum ex se quem vellent eligere, postulavit sanctæ memoriæ pater noster Alexander: cæteros vero, quicumque essent, silentium tenere; præcepitque ut tantummodo his quæ ab utroque dicerentur, intenderent. Suscipiente siquidem uno eorum disputationis universæ negotium, ad philosophum sanctus Alexander: In nomine, inquit, Jesu Christi impero tibi imprimis ne loquaris. Et una cum ejus sermone opus impletum est. Repente namque ille homo, ut sermonem audivit, obligato ore conticuit. Putasne justum fuit considerare utrum majus hoc miraculum videretur, ut homo, et quidem philosophus, sic facile officium locutionis amitteret, an certe ut lapis violentia verbi manu divideretur, quod quidam ajunt Julianum fecisse Chaldeum? Et hæc quidem sic acta sunt ut referantur. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 432.*

CAPUT V.

De prima sessione episcoporum in Nicæno palatio, et de abdicatione Arii.

Interea sacerdotes sæpe convenientes, Arium ad medium deducebant, subtilique examinationem de ejus propositionibus agitabant. Petulanter autem in quamlibet partem metuebant proferre sententiam. Hæc itaque sacra et venerabilis turba a permixtione adversariorum non videbatur aliena. Erant enim inter eos quidam, pauci quidem, sed callidi, et breviter imitantes, celantesque calliditatem, et Arii blasphemiam non defendentes aperte. Convenientibus igitur universis, maximam domum præparavit in regalibus imperator, sedes et subsellia in ea poni præcipiens quæ sufficerent ordini sacerdotum: ita decentem præparans eis honorem, invitavit ingredi, et de præsentibus habere consilium [*ed. Niv. et Frob., concilium*]. Intravit autem et ipse princeps ultimus cum paucis, laude dignam sui magnitudinem habens, et mirabilem speciem, mirabilioreque gerens dignitatem pudoris in fronte. Minore vero sede quam aliis, posita, in medio eorum sedit: primo tamen petens hoc sibi episcoporum jussione concedi. Tum cum eo resedit sanctissimus ille chorus. Primus itaque ma-

gnus Eustathius Antiochenæ sortitus Ecclesiæ præsulatum; nomen Philegonius, cujus dudum meminimus, ad meliorem jam transierat vitam; et hunc mirabilem virum, etiam nolentem, ad regimen ejus Ecclesiæ decreto communi pontifices ac sacerdotes et omnis populus Christianus venire compulerat. Is ergo præconiorum floribus caput principis exornavit, et studio ejus, quod habebat circa sacra, benedictiones exhibuit. Post hæc autem Eusebius cognomine Pamphili. Quibus jam residentibus, famosissimus imperator protulit de unanimitate concordiaque sermones, tyrannorum crudelitatem eis rememorans, et honorabilem pacem, quæ sub eo collata est divinitus; simul et quia pessimum et valde crudele videretur, ut destructis hostibus, nulloque præsumente resistere, sacerdotes alterutros jacularentur atque confunderent, et impiis atque sine Deo personis delectationem risumque præberent: cum utique de divinis tractarent rebus, et sancti Spiritus doctrinam in scriptis haberent. Evangelici enim libri sunt, inquit, et apostolici, antiquorumque prophetarum sanctiones, quæ nos erudiant quid de sacra lege sapiamus. Expellentes igitur hostile certamen ex verbis divinitus inspiratis, solutionem questionum mente percipiamus. Hæc et his similia, tanquam filius amator patris, sacerdotibus veluti patribus offerebat; apostolicorum dogmatum studens profligare discordiam [ed., Niv. et Frob., conciliare concordiam]. Concilii vero plurima pars his quæ dicebantur obediabat; et inter alterutros unanimitatem et dogmatum salubritatem libenter amplectebantur. Pauci vero quidam, quorum jam meminimus, et super illos Minophantus Ephesius, et Scythopolites Patrophilus, Theogonius Nicænus episcopus, et Narcissus Neroniadis, quæ est secundæ Ciliciæ, quam nunc Irenopolim vocant, et cum his Theonas Marmaricensis, et Ptolemaidis Ægypti Secundus apostolicis resistentes dogmatibus, Arium defendebant: dictantes enim fidei petitionem, cœtui communi dederunt. Quæ cum lecta fuisset ab universis, repente disrupta est, et adultera fraudulentæque pronuntiata. Turba siquidem et tumultu contra eos ab omnibus habito, cunctisque prodicionem ab eis factam accusantibus pietatis, formidantes surrexerunt, et primi Arium abdicaverunt, excepto Secundo et Theona. Cum ergo fuisset impius ille destructus, concorditer universi fidem gloriamque dictantes, quæ hactenus in Ecclesiis permanet, et subscriptionibus roborantes, solvere concilium. Dolose tamen et non salubriter prædicti viri in fidei termino consenserunt; ut testantur tam quæ postea ab eis machinata sunt contra pietatis propugnatores, quam quæ ab ipsis conscripta noscuntur. THEODORETUS, lib. 1, cap. 7, p. 24.

CAPUT VI.

Relatio Eustathii Antiochiæ episcopi de Nicæno concilio.

Eustathius itaque Antiochenus episcopus, cujus primitus memini, hæc de eis retulit, docens **227** quæ facta sunt, eorumque redarguens blasphemias,

ubi illud etiam proverbiale interpretatur eloquium: *Dominus creavit me initio* [ed., principium] *viarum suarum in opera sua* (Prov. viii, 22). Pergo itaque jam hinc, et ad ea quæ gesta sunt. Cum igitur propter hæc synodus maxima in Nicæam venisset urbem, et quaereretur fidei modus, aperta quidem impudentia Eusebii scripturam protulit blasphemix, quæ coram omnibus lecta, repente cladem importabilem causa divisionis audientibus irrogavit: confusionem tamen incurabilem suo providit auctori. Cumque officina capta fuisset, indubitanter Eusebii, dirupta iniquitatis scriptura in conspectu omnium, quidam ex tractatu nomen exponentes pacis comperuerunt, omnes justam querimoniam facientes. Ariani autem metuentes ne congregato ibidem tanto concilio pellerentur, exsidentes anathematizaverunt interdictum Arii dogma, concorditer subscribentes litteris, suaque manu consentientes, et similiter se, sicut omnis synodus, sapere profiteentes. Cumque præsulibus, ut ita dicam, mala calliditatis arte prævaluissent, qui magis debuerant agere pœnitentiam, tunc quidem latenter, postea vero clare damnatas cœperunt allegare sententias: sæpe ponentes insidias eis a quibus videbantur esse convicti, volentesque zizaniorum germina radicare. Et tunc timeentes declinantesque tanti concilii cognitores, occulte postea pietatis prædicatores debellare tentabant. Sed non credimus homines sine Deo posse prævalere contra sacram adorandamque legem evangelicamque doctrinam. Nam licet admodum roborentur, rursus fortiter et magnifice devincuntur, secundum propheticam gloriosi vocem Isaia. Hæc itaque magnus Eustathius. THEODORETUS, lib. 1, cap. 8. Edit. Christoph. et Valer. cap. 7, p. 26.

CAPUT VII.

Relatio Athanasii ad Afros.

Hujus autem concertator, et veritatis propugnaculi turris Athanasius, successor Alexandri famosissimi præsulis, quando scripsit ad Afros, etiam hæc adiecit: Convenientes enim episcopi studuerunt verba quidem impietatis ab Arianis inventa perimere, hoc est, ex non existentibus, et quod dicebant, creaturam et facturam Filium; et, fuit aliquando quando non fuit; et, quia mutabilis est naturæ. Scripturarum vero manifestas posuere dictiones: quia ex Deo Filius naturaliter unigenitus est, Verbum, Virtus, Sapientia sola Patris, Deus verus, sicut Joannes ait; et sicut scripsit Paulus, *splendorem gloriæ, et figuram substantiæ* (Hebr. 1, 3), docens esse Filium Patris. Qui vero circa Eusebium erant, propria tracti vesaniam loquebantur alterutris, et dicebant: Consentianus, nam et nos ex Deo sumus. Unus enim Deus, ex quo omnia: et, *Vetera transierunt: ecce omnia nova ex Deo sunt facta* (II Cor. v, 17). Cogitabant autem et illud quod in Pastore conscriptum est: Primum omnium crede, quia unus est Deus, qui creavit universa atque perfecit, et constituit ex non exstante, ut sint. Porro alii episcopi malitiam videntes illorum, et pessimam impietatis artem, apertius et, ut ita di-

caitur, manifestius dixerunt ex Deo, id est, conscri- A
pserunt ex substantia Patris esse Filium; ut creaturæ
quidem, eo quod non habeant a semetipsis ut sint,
sed habeant principium existendi, dicantur a Deo;
Filius autem solus proprius ex substantia credatur
Patris. Hoc enim Unigeniti proprium est et veri
Verbi Patris. Hæc itaque fuit occasio ut ex substantia
diceretur Patris. Rursus autem requiruntur episco-
pis paucos eorum qui Ariani esse putabantur, si di-
cerent Filium non esse creaturam, sed virtutem et
sapientiam solam Patris, et imaginem sempiternam,
et indissimilem per omnia Patri, ac Deum verum:
capti sunt qui circa Eusebium innuentes alterutris,
quia et hæc veniunt etiam ad nos; nam et nos, in-
quiunt, imago et gloria dicimur Dei. De nobis enim
et dicitur, et dictum est: Semper enim nos qui vi- B
vimus, et virtutes multæ sunt; et egressa quidem est
omnis virtus Dei ex terra Ægypti: campa quoque
et locusta dicitur virtus magna; et rursus: *Dominus
virtutum nobiscum* (*Psal. xlv, 8*). Sed etiam proprie
nos Dei sumus. Habemus hoc non simpliciter, quando
et fratres vocavit nos. Si autem et verum Deum di-
cunt Filium, non nos contristat. Factus enim verus
est. Hæc est Arianorum corrupta mens. Sed etiam
ipsi episcopi videntes eorum dolum, collegerrunt ex
Scripturis splendorem, fontem, et fluvium, et figuram
ad substantiam pertinere. Et illud: *In lumine tuo vi-
debimus lumen* (*Psal. xxxv, 10*); et: *Ego et Pater
unum sumus* (*Joan. x, 30*). Et clarius jam ac breviter
conscripterunt consubstantialem Patri Filium. Omnia
namque prædicta hanc significationem habent. Mur- C
muratio siquidem eorum, quasi verba hæc non fuis-
sent ex Scripturarum auctoritate prolata, per eos
quoque inanis esse convincitur. Ex non scripto
namque ipsi impie proferentes, quippe quod nusquam
penitus invenitur, ex non exstantibus; et, fuit ali-
quando quando non fuit, alios culpant: propterea
ex non scriptis sermonibus, pie tamen intellectis
damnati sunt. Ipsi namque veluti de stercore repe-
rientes [*ed., Niv. et Frob., repentes*], hæc vere de
terra locuti sunt. Verum episcopi non sibi met adin-
venientes verba, sed habentes hæc a Patribus, testi-
monia conscripserunt. Veteres enim sacerdotes ante
eos pene centum triginta magnæ Romæ civitatisque
nostræ accusaverunt omnes qui dicunt facturam aut
creaturam esse Filium, et non consubstantialem Pa-
tri. Et hoc sciebat Eusebius Cæsariensis episcopus,
qui primum defendebat Arianorum sectam, novissime
vero subscripsit Nicæno concilio. Scripsit autem et
civibus suis, confirmandus, quia et antiquorum aliquos
doctos et illustres episcopos et conscriptores agno-
visset nomine consubstantialitatis usos in Patris et
Filii deitate. Isti ergo concilium metuentes, expositæ
fidei consenserunt, secundum prophetæ incorpationem,
dicentis: *Populus hic labiis me honorat, cor
autem eorum longe est a me* (*Isai. xxix, 13*). Theonas
autem et Secundus nolentes acquiescere, condemnati
sunt. Postea vero in concilium venientes, viginti
conscripserunt de conversatione ecclesiastica san-
ctiones. THEODORÆTUS, *lib. 1, cap. 8, p. 27.*

CAPUT VIII.

De Sabino Macedonianorum episcopo.

Sabino itaque non credamus, qui eos idiotas vo-
cavit et imperitos. Sabinus enim Heracleæ Thra-
censis Macedonianorum episcopus, habita conge-
stione eorum quæ per diversa concilia 228 sacer-
dotum ex scripto prolata sunt, eis qui Nicæam con-
venerunt, velut idiotis et simplicibus derogavit: non
sentiens quoniam et ipsi Eusebio cum multa proba-
tione confidenti fidem, velut idiotæ, noscitur deroga-
re. Et aliqua quidem volens præteriri, aliqua vero
mitigavit; cuncta tamen secundum propriam sumpsit
intentionem. Et laudat quidem tanquam fide dignum
testem Eusebium Pamphili; laudat simul et princi-
pem, tanquam ea quæ sunt Christianorum dogmati-
zantem. Culpat autem expositam in Nicæa fidem,
tanquam ab idiotis et nihil scientibus traditam; et
quem velut sapientem et sine mendacio testem vo-
care consuevit, ejus voces sponte contemnit. Ait
enim Eusebius: Quia ex viris Dei Nicæam conve-
nientibus, alii quidem sapientiæ sermone micuerunt,
alii continentia vitæ laudati sunt; et quoniam impe-
rator præsens omnes ad unitatem suam concordēs et
consecutores esse perstruxit. Sic ergo contraria di-
cta Sabini, nec non Eusebii, atque consortium eorum
sibimet agnoscunt. Et si quidem alicubi opus fuerit,
de Sabino memorabimus. Concordia ergo fidei a
magno in Nicæa prolata concilio, ab Eusebio clara
voce laudata, hæc est. SOCRATES, *lib. 1, cav. 5. Edit.
Christ. Vales. cap. 8, p. 22.*

CAPUT IX.

De fide Nicæni concilii.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem,
omnium visibilium invisibiliumque factorem. Et in
unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum
ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris;
Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo
vero, natum non factum, consubstantialem Patri, per
quem omnia facta sunt, et quæ in cælo, et quæ in
terra. Qui propter nos homines, et propter nostram
salutem descendit, et incarnatus et homo factus
est, passus, et resurrexit tertia die, et ascendit in
cælos, et venturus est judicare vivos et mortuos. Et
in Spiritum sanctum. Dicentes autem: Erat quando
non erat; aut, non erat antequam fieret; aut, quia
ex non exstantibus factus est; aut, ex altera sub-
stantia vel essentia dicentes esse; aut, creatum, aut
convertibilem Filium Dei, hos tales anathematizat
catholica et apostolica Ecclesia. Hanc venerabilem
fidem trecenti quidem decem et octo et agnoverunt
et amplexi sunt; et, sicut ait Eusebius, consonantes
et unanimes in scriptis explanaverunt. Quinque vero
solummodo non receperunt, verbum consubstantia-
litas reprehendentes, Eusebius Nicomedie præsul,
Theogonius Nicænus, Mares Chalcedonensis, Theonas
Marmaricenus, Secundus Ptolemaidis, dicentes con-
substantiale esse, quod ex aliquo est, aut ex parti-
tione, aut ex decursione, aut ex plantatione. Ex
plantatione quidem, sicut ex radice germen; ex de-

curusione vero, sicut paterni filii; ex partitione autem, sicut ex massa aurea annuli duo, vel tres. Secundum nullum autem horum, inquit, est Filius Dei. Propterea ergo dicebant in fide non esse consentiendum. Plurimum siquidem verbo consubstantialitatis derogantes prædicti viri, in Arii depositione subscribere noluerunt. Ideoque synodus Arium et consecutores ejus anathematizavit omnes: adjicientes neque accedere eum in Alexandriam. Præceptumque principis repente eundem Arium, et qui circa Eusebium, et Theogonium, et qui cum eis erant, exsilio deportavit. *SOCRATES, lib. 1, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 22.*

CAPUT X.

Quomodo Eusebius et Theogonius, dato pœnitentiæ libello, recepti sunt.

Eusebius igitur et Theogonius post modicum tempus exsillii, libellum pœnitentiæ porrigentes, in fide consubstantialitatis consenserunt, quod declarabimus procedentes. Tunc autem in synodo Eusebius cognomine Pamphili Cæsareæ Palæstinæ sortitus episcopatum, paululum animadvertens atque considerans, utrum oporteret suscipi terminam fidei, una cum aliis omnibus, hoc est cum universa multitudine consensit atque subscripsit, nec non et populo sub sua diœcesi constituto scripsit terminum fidei, et ubique destinavit sermonem: subtiliter consubstantialitatis nomen interpretatus; ut nequaquam penitus suspicionem adversam de eo quilibet habere potuerit. Sunt autem quæ ab ipso Eusebio conscripta sunt hujusmodi verba. *SOCRATES, lib. 1, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 23.*

CAPUT XI.

Epistola Eusebii Pamphili de fide Nicæni concilii ad Palæstinos.

Arbitramur et vos, dilectissimi, etiam aliunde didicisse, fama consueta præcurrere perfectum de his quæ gesta sunt sermonem. Sed ne ex hujusmodi auditu veritas vobis aliter nuntiatur, necessario direxit vobis primum quidem scripturam a nobis de fide propositam. Nam et Dominus noster ad prædicandum discipulos suos mittens, ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19).* De quibus et affirmamus ita se habere et ita sapere; sed etiam dudum sic habuisse, et ita sapuisse, et usque ad mortem pro hac instare fide: anathematizantes omnem sine Deo hæresim. Hæc omnia ex corde sapuisse et anima, ex quo novimus nosmetipsos, et nunc sapere et dicere coram omnipotente Deo et Domino nostro Jesu Christo cum veritate testamur: ostensuri probationibus, et satisfaturi vobis, quia et præteritis temporibus ita credidimus et prædicavimus. Hac a nobis exposita fide, nulli relictus est resistendi locus. Sed et ipse primus Deo amabilis imperator noster rectissime eam habere testatus est, et sic etiam se professus est sapere; et in hac omnes consentire et subscribere, et in his dogmatibus concordare præce-

pit, uno solummodo inscripto et inserto consubstantialitatis verbo. Quod etiam ipse interpretabatur, dicens: quia non secundum corporeas passiones consubstantiale dicitur, neque secundum divisionem, neque secundum quamdam decisionem ex Patre subsistere. Non enim posse naturam sine materia intelligibilem incorporeamque corporali aliqua subsistere passione, sed sacris quibusdam ineffabilibusque rationibus magis intelligendam. Et sapientissimus quidem atque piissimus imperator 229 ita philosophabatur. Fidei ergo explanatione dictata, quemadmodum ab eis dictum sit, ex substantia Patris, et Patri consubstantialem, non est sine examinatione derelictum. Consultationes enim et responsiones deinde movebantur, et mens perscrutabatur dictorum sensum. Et hoc ergo quod aiebant de substantia, constabat apud eos significativum quidem esse ex Patre, non tamen tanquam partem esse Patris. Propterea nobis quoque videbatur bene se habere, ut mente consentiremus piæ doctrinæ dictanti ex Patre Filium esse, non tamen partem ejus esse substantiæ. Quapropter et nos mente consensimus, neque vocem consubstantialitatis refutantes, posita præ oculis nostris pacis intentione, et ab intellectu rectissimo non cadentes. Secundum hoc etiam natum, et non factum suscepimus: quoniam, factum, commune esse dicebant opus reliquarum creaturarum factarum per Filium, quarum nihil simile habere Filium confitemur et prædicamus. Unde non eum esse facturam dicimus, quod congruit iis quæ per eum facta noscuntur, sed superius quam facturæ, totius esse substantiæ, quam ex Patre natam divina docere videntur eloquia; modo quippe generationis inenarrabili et incogitabili existente universæ naturæ factore [*ed., Niv. et Frob., factæ*]. Sic autem et consubstantialem esse Patri Filium ratio examinata cognoscit, non secundum corporum modum, neque mortalibus animantibus proximum. Nam neque per divisionem substantiæ, neque defectionem [*ed., perfectionem*] aut mutationem paternæ substantiæ vel virtutis. Illis enim omnibus ingenta natura Patris extranea est. Sed prædicandum est esse consubstantialem Patri Filium, eo quod nullam æqualitatem ad creaturas factas Dei Filius habeat; sed soli Patri genitori per omnem modum sit similis, et non sit ex alia qualibet substantia vel essentia, sed ex Patris. Quod etiam ipsum hoc modo interpretatum bene se habere visum est ad consentiendum: quoniam et priscorum episcopos aliquos, et conscriptores eloquentes et nobiles agnovimus in Paris et Filii theologia, id est divina ratiocinatione, nomine consubstantialitatis esse usos. Hæc itaque de exposita fide sint dicta, in qua universi consensimus, non sine animadversione, sed secundum sensus expositos coram ipso Deo amabili examinante imperatore, et prædictis rationibus concordantes, anathematismum post fidem in eis prolatum sine tristitia esse credidimus, eo quod non scriptis uti vocibus prohiberent. Unde pene omnis facta est confusio et indisciplina cunctis Ecclesiis. Nulla siquidem scriptura divinitus inspirata dicente, ex non ex-

stantibus; aut, fuit aliquando quando non fuit, et reliquis quæ proferebant, irrationabile nobis visum est hæc dicere vel docere: quoniam neque priori tempore hujusmodi consuevimus uti sermonibus. Hæc vobis necessario scripsimus, dilectissimi, iudicium nostræ examinationis et consensum vobis innotescentes. Et quia rationabiliter tunc quidem nos scripta quæ iam modis aliis offendebant; postea vero indubitate ea quæ erant sine contristatione suscepimus. Quapropter magnanimiter nobis sensum verborum discutientibus, placuit concordare in his quæ a nobis ipsis in fidei expositione confessa sunt.

Hæc itaque Eusebius Pamphili in Cæsaream Pælestine litteris explanavit: Alexandrinæ vero Ecclesie, et Ægyptiæ, et Libyæ, et Pentapoleos, et quæ vicinæ sunt, hæc scripsit communi decreto concilium. *SOCRATES lib. 1, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 23.*

CAPUT XII.

Epistola Nicæni concilii ad Alexandriam et Ægyptum destinata.

Sanctæ magnæque Dei gratia Alexandrinæ Ecclesie et dilectissimis fratribus per Ægyptum, et Libyam, et Pentapolim constitutis, congregati et magnam sanctamque synodum Nicææ celebrantes episcopi, in Domino salutem

Quoniam Dei gratia, et Deo amantissimi principia nostri Constantini, congregantis nos in urbe prædicta ex provinciis diversis et civitatibus, magna sanctaque synodus celebrata est, omnimodis necessario visum est ab hoc sacro sanctoque concilio etiam ad vos litteras destinare, ut noveritis quæ quidem mota et examinata, quæ vero placuerunt atque firmata sunt. Ante omnia siquidem exquisita sunt impia et iniqua et sine Deo dogmata Arii, eique consentientium, sub præsentia Deo amantissimi imperatoris nostri Constantini, et omnium decreto complacuit anathematizari impiam ejus sectam et iniquam, atque sine Deo verba, simul et nomina quibus utebatur, Filium Dei blasphemando, et dicendo: ex non exstantibus esse; et iterum, fuit aliquando quando non fuit. Quomodo enim fuit, aut quomodo iterum non fuit? Et pro libero arbitrio malitia atque virtutis capabilem Filium Dei esse dicentes, creaturam nominabant eum atque facturam. Hæc igitur omnia fatua, et auilia, et blasphema anathematizavit sanctum et universale concilium, et nec neque ad auditum impie sectæ atque furoris hujus, aut intellectum sensuum iniquorum accommodavit. Ea quidem quæ de illis gesta sunt, qualem terminum habuerint, omnia jam aut audistis, aut audietis: ne nos forte videamur vtro obloqui, propter delictum suum impropria digna portanti. Tantum etenim valuit ejus impietas, ut etiam Theonas Marmaricensis, et Secundus Ptolemaidis ea uterentur. Idem enim et illi damnati sunt. Sed quoniam ineffabilis gratia Dei illas quidem malas sectas, et blasphemias, et discordiam, et audaciam personarum, et divisionem, prædicta commotione [ed., commotione] destruens liberavit Ægyptum; relinquebantur autem quæ per petulantiam Meletii gesta sunt, et

A eorum qui ab eo sunt ordinati, etiam ex hac parte quæ placuerint synodo, vobis insinuamus, charissimi fratres. Placuit ergo Meletium quidem elementi concilio (dum subtili veraque ratione nullam veniam mereatur) manere quidem in propria civitate, nullam vero omnimodis habere potestatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in provincia, nec in qualibet civitate videri, purumque nomen tantummodo possidere. Eos autem qui ab ipso sunt constituti, mystica ordinatione firmatos habere honorem et ministerium, ut tamen sequentes sint modis omnibus universorum in singulis parochiis et ecclesiis a charissimo et comministro nostro Alexandro consecratorum; et ut his nulla potestas sit placitos sibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem Ecclesie catholice præsentis Alexandri. Gratia namque Dei et orationibus vestris in nullo schismate repertos; sed sine macula in catholica et apostolica Ecclesia permanentes, dignum est potestatem habere et eligendi quemlibet, et nomina eorum danil qui clero sunt digni; et absolute facere omnia secundum legem et sanctiones Ecclesie. Si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc proveli in honorem defuncti eos qui nuper assumpti sunt, solummodo si videantur digni, et populus eos elegerit, condecernente simul et consignante maximæ Alexandria civitatis episcopo. Hoc itaque aliis quidem concessum est omnibus. In persona vero Meletii nequaquam eadem placuerunt, propter priorem indiscipline eum, et propter procacitatem ejus, ac petulantiam voluntatem: ne ulla daretur auctoritas vel potestas homini qui posset rursus easdem indiscipline instruere. Hæc sunt præcipua et competentia Ægypto et sanctissimæ Alexandrinorum Ecclesie. Si quid autem aliud ordinatum est aut dogmatizatum, præsentem domino atque charissimo comministro et fratre nostro Alexandro, ipse præsentis vobis subtilius poterit aperire, tanquam auctor gestorum et communicator existens. Evangelizamus autem vobis et de consonantia sanctissimi Paschæ, quia vestris orationibus est correctum etiam hoc opus, ita ut omnes Orientales fratres, qui cum Judæis primitus celebrabant, consone cum Romanis, et vobiscum, et cum omnibus ab initio Pascha custodientibus, ex hoc tempore debeant custodire. Exsultantes itaque in his quæ gesta sunt, et in communi pace atque concordia, et in eo quod omnis radicatus hæresis avulsa est; cum majori honore et ampliori charitate suscipite comministrum nostrum, pontificem vestrum Alexandrum, qui nos præsentia sua lætificavit, tantumque laborem pro pace vestra etiam in hac ætate sustinuit. Orate simul et pro nobis omnibus, ut quæ bene placuerunt, firma permaneant per Dominum nostrum Jesum Christum, secundum bonam voluntatem facta, sicuti credimus, Dei Patris in Spiritu sancto, cui est gloria in sæcula. Amen.

TRINITAS CONSUBSTANTIALIS ÆTERNA DEUS EST.

THEODORETUS, *lib. 1, c. 9. Edit. Christ. Vales. c. 6, p. 30.*—SOCRATES, *lib. 1, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 27.*

CAPUT XIII.

Quod Novatianorum episcopum Acesium evocavit Constantinus ad concilium.

Ex hac igitur epistola synodi manifestum est quia non solum Arium et consortes ejus anathematizaverunt, sed etiam verba sectæ ipsius; et quia de Pascha concordantes, hæresiarcham Meletium susceperunt. Movet autem me fervor imperatoris, etiam ex alia re ejus voluntatis habere memoriam, et quemadmodum pro concordia cogitabat. Habens enim providentiam pacis Ecclesiarum, vocavit ad synodum et Acesium Novatianorum religionis episcopum. Postquam ergo scripta et subscripta est a concilio fidei definitio, requisivit imperator Acesium, si et ipse consentiret in fide et paschalis definitione festivitatis. At ille: Nihil, inquit, novi, o imperator, synodus definivit. Sic enim olim et a temporibus apostolorum ipse percepi et terminum fidei, et tempus paschalis festivitatis. Porro denuo imperatore requirente: Cur ergo te a communione separas? ille ea quæ sub Decio gesta sunt persecutionis tempore replicavit, et subtilitatem acerbissimæ regulæ deduxit ad medium: quia non oporteat eos qui post baptismum peccatum peccatum quod ad mortem esse Scripturæ divinæ pronuntiant, communicatione sacramentorum fieri dignos; sed invitandos quidem ad penitentiam, spem vero remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo solummodo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere. Hæc cum dixisset Acesius, imperator ait: O Acesi, pone scalam, et, si potes, ascende solus in cælum. Hæc tæc Eusebius Pamphili, nec alii dixerunt. Ego vero audivi a viro nequaquam mentiente, qui et valde senex erat, et tanquam qui viderat ea quæ fuerant in concilio gesta referebat. SOCRATES, *lib. 1, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 29.*

CAPUT XIV.

Quod canones ecclesiastici in Nicæa conscripti sint, et de Vicennialibus Constantini.

Synodus autem corrigere volens hominum vitam, et in ecclesiis commorantium, posuit leges quas canones appellamus. In quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, ut episcopi, presbyteri, diaconi et sabdiaconi cum conjugibus quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, honorabilis confessus nuptias, et castitatem esse dicens concubitum cum propria conjugē. Suasitque concilio ne talem poneret legem: gravem asserens esse causam quæ aut ipsis aut eorum jugalibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit. Synodusque laudavit sententiam ejus, et nihil ex hac parte sancivit; sed hoc in uniuscujusque voluntate, non in necessitate dimisit. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 22. Edit. Christ. Vales., c. 23, p. 437.* — His a concilio ita dispositis, contigit vicennialia Constantini principis provenire. Et est consuetudo Romanorum, unumquodque decennium imperatorum publica devotione celebrare. Opportunum ergo judicans Constantinus, invitavit tunc ad convi-

via synodum, et donis competentibus honoravit. Admonitisque de concordia fidei, et communi inter alterutros pace, petita ab eis oratione, valedixit universis in Nicæa: scribens absentibus quæ fuerint in concilio celebrata, et invitans ut ab omni discordia recedentes, concordarent in exposita concilii fide; quæ nihil aliud nisi Dei sententia videretur ex consonantia tantorum et talium sacerdotum sancto Spiritu constituta, et post inquisitionem subtilissimam, et animadversionem dubitationum omnium comprobata. SOZOMEN., *lib. 1, cap. 23. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 438.*

231 CAPUT XV.

Epistola Constantini de Ario et scriptis ejus.

B Victor Constantinus maximus, Augustus, episcopus et populo.

Malignos et impios Arius imitatus, dignum est ut illorum quoque suscipiat ultionem. Sicut ergo Porphyrius divinæ pietatis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferens, dignam promeruit invenire mercedem, et talem per quam in posterum esset opprobrio, et plurima completeretur infamia. Et nunc placuit Arium et consecutores ejus vocari Porphyrianos; ut quorum mores imitati sunt, eorum vocabulo perfruantur. Super hæc autem, si qua conscriptio ab Ario facta reperitur, igni tradatur; ut non solum prava ejus doctrina depereat, sed neque ulla ejus possint remanere commenta. Hoc etiam præcipio, si quis conscriptiones Arii celasse compertus fuerit, et non repente proferens igne consumperit, mortis supplicio subjacebit. Mox enim ut in hoc fuerit captus, capitalium suscipiet ultionem. Deus vos custodiat. Amen. SOCRATES, *lib. 1, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 13, p. 32.*

CAPUT XVI.

Ejusdem epistola ad Eusebium Palæstinæ de confectione sacrorum librorum, et de repurgatione domini sepulcri.

Victor Constantinus maximus, Pius, Eusebio.

Ut in nostri nominis civitate cognovimus, Salvatoris Dei nostri prospiciente solatio, maxima hominum multitudo sanctissimæ se dicavit Ecclesiæ; ut hoc cremento valde proficiente, dignum esse videatur etiam ecclesias in ea plures ædificari. Quapropter, quod visum est nostræ voluntati, decuit nos tæ notum facere sapientiæ, quatenus quinquaginta membranaceos codices bene confectos, et ad usum habiles, ab artificibus antiquariis, et perfecte artem scientibus scribi præcipias, divinarum quippe Scripturarum, quarum maxime confectionem et usum necessarium Ecclesiis esse nosti. Directæ sunt enim litteræ a nostra tranquillitate ad provinciæ judicem, quatenus omnia confectioni eorum necessaria præbere curet. Ut enim citius codices conscripti conficiantur, erit opus diligentiarum. Nam et duo publica vehicula ad deferendos eos ex auctoritate rescripti nostri te percipere convenit. Sic enim et maxime bene conscripti usque ad nostrum perducentur aspectum, uno quippe tæ Ecclesiæ hoc exsequente diacono; quæ

dum ad nos venerit, experietur nostræ munificentiam pietatis. Deus custodiat te, frater charissime.

Sufficiunt quidem hæc ad conjiciendum, magis autem aperte noscendum, quemadmodum famosissimus imperator suum studium circa sacra constituerit. Attamen adjiciam quæ etiam circa salutare sepulcrum gesserit.

Agnoscens enim quoniam elati, et circa culturam bacchantes idolorum, sepulcrum Domini sordibus operuerant: oblivioni tradere contententes memoriam salutarem; et desuper templum ædificaverant luxuriosissimæ dæmonis, id est Veneris, ut illic virginum cantibus insultarent; præcepit destrui sceleratissimum templum, ipsumque pulverem funestis sacrificiis violatum ejici, et procul a civitate dispergi; deinde sacrarium ædificari Deo maximum atque pulcherrimum, sicut designatur ex ejus epistola ad Macarium ipsius civitatis episcopum destinata. THEODRETUS, lib. 1, cap. 16, p. 43.

CAPUT XVII.

Libellus pœnitentiæ ab Eusebio et Theogonio datus.

Eusebius igitur et Theogonius pœnitentiæ libellum suum episcopis dirigentes, ab exsilio revocati sunt imperiali præcepto, et suas Ecclesias receperunt, expellentes eos qui in ipsorum locis fuerant ordinati, id est Eusebius Amphionem, Chrestum vero Theogonium. Cujus libelli exemplar hoc est.

Dudum quidem ante judicium condemnati a reverentia vestra, patienter ferre quæ decreta sunt a sancto concilio vestro debuimus. Sed quia nimis absurdum est contra nosmetipsos dare calumniatoribus de taciturnitate probationem, propterea referimus quoniam nos et in fide una cucurrimus, et sensum examinantes de consubstantialitatis sermone cuncti pacificati sumus: nequaquam sequentes hæresim, sed commemorantes [ms. Lyr., commorantes] ad cautelam Ecclesiarum quæ nostræ subveniebant menti. Et satisfaciennes eis a quibus per nos suaderi debuerat, in fide subscripsimus. Anathematismo autem non subnotavimus, non tanquam fidem accusantes, sed velut non credentes talem esse eum qui fuerat accusatus, certi de ejus ad nos directis epistolis, et inter nos disputationibus habitis. Si igitur satisfactum est sancto vestro concilio, non reluctantes, sed consentientes decretis vestris, etiam hac conscriptione satisfacimus vobis: non exsilium graviter ferentes, sed suspicionem abjicientes hæreseos. Si enim dignamini nunc in vultu vestro nos suscipere, habebitis in omnibus consonantes, et vestra sequentes pariter constituta: quando etiam eum qui in his accusatus est, placuit reverentiæ vestræ clementiam promereri atque revocari. Absurdum namque est, si is qui putatur esse reus revocatur ad satisfaciendum in quibus ei derogabatur; ut nos contra nosmetipsos præbeamus per taciturnitatem increpationis judicium. Dignamini ergo, sicut vestræ convenit venerationi, et Deo amantissimum principem commonere, et preces tractare nostras, et velociter de nobis quæ vobis conveniunt cogitare [ms. Lyr., disputare].

Hic quidem libellus est reversionis Eusebii et Theogonii. Ex verbis autem ejus conjicio quia isti quidem dictatæ fidei subscripserunt, damnationi vero Arianæ consentire noluerunt. Ex quo et Arius ante istos revocatus agnoscitur. Sed licet hoc ita se habere videatur, tamen Alexandriam accedere prohibitus est. Hoc autem ostenditur ex ejus cogitationibus, quas postea molitus invenitur, figmento suæ pœnitentiæ, sicut opportune patefiet. SOCRATES, lib. 1, cap. 10. Edit. Christoph. Vales. cap. 14, p. 43.

232 CAPUT XVIII.

De dedicatione et ornamento civitatis, et de cultu Jerosolymorum, et ligno crucis, atque clavis quibus transfixus est Dominus.

Imperator interea post concilium degebat tætus. Celebrata ergo festivitate publica Viceconsularium suorum, mox ad erigendas ecclesias festinus accessit. Hoc itaque faciebat per singulas civitates et in urbe cognominis sui. SOCRATES, lib. 1, cap. 12, edit. Christ.

Nam cum ei omnia prospere cederent, propriam voluit habitare civitatem. Veniensque ad campum ante Ilium positum juxta Hellespontum super Ajacis tumulum, ubi Achivi contra Trojam pugnantes habuerunt castra, civitatem designavit portasque fecit quæ hactenus videntur a navigantibus. Hæc agenti per noctem Deus apparuit, monens ut alium quaereret locum, eumque monens ad Byzantium Thraciæ, illic eum habitare jussit. SOZOMENUS, lib. 11, cap. 2. Edit. Christ. Vales. cap. 3, p. 44.

Quæ cum primitus Byzantium vocaretur, auxit et maximo eam muro circumdedit, et diversis ornatam fabricis æquam imperiali Romæ constituit (AN. DOM. 333); et denominatam Constantinopolim, appellari secundam Romam lege firmavit, sicut lex ipsa in marmorea platoma noscitur esse conscripta, et in Strategio juxta equestrem statuem ejus est constituta. In hac quoque civitate duas quidem ædificavit ecclesias, quarum unam nominavit Irenem, aliam vero appellavit Apostolorum. Non solum autem, sicut dixi, auxit Constantinus Christianorum dogmata, sed etiam paganorum templa destruxit. Simulacra namque ornata publice in Constantinopolitana urbe proposuit, et tripodas Delphicos in circo ad spectaculum dedit, qui cum ipso videantur aspectu, referuntur. SOCRATES, lib. 1, cap. 12. Edit. Christoph. Vales. cap. 16, p. 45.

Interea mater imperatoris Helena, cujus cognomine vicum Drepani princeps civitatem dixit Helenopolim, admonita per somnum ad Jerosolymam properavit; et quondam Jerusalem desertam sicut pomorum custodiarium inveniens, requisivit sepulcrum Christi. Quod licet difficillime, tamen invenit (AN. DOM. 325). Itaque repente templum illud sceleratissimum deici jussit. Et palam facti Domini monumento, apparuerunt circa id suffossæ tres cruces, et clavi, simul et titulus litteris Hebraicis, Græcis Latinisque conscriptus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. SOCRATES, lib. 1, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 64.

Dicitur autem quia etiam mortuus crucis tactu **A** ædificabantur ecclesie. SOZOMEN., *lib. II, cap. 2; edit. Christ. Vales. cap. 5, p. 445.*

O ter beatum lignum in quo Deus extensus est!

Tunc ergo quæ crux esset Domini, quæ latronum, dubitare coperunt. Proinde Macarius, civitatis præsul, hujusmodi tractatu dubitationem solvit. Mulieri namque nobilitate claræ, longa ægritudine fatigatæ, unam illarum crucum cum oratione promptissima adhibens, virtutem Salvatoris agnovit. Mox enim ut mulierem crux attingit, passionem ævissimæ ægritudinis effugavit, et femine salutem restituit. SOZOMEN., *lib. II, cap. 1; edit. Christ.*

Sic itaque mater imperatoris quod cupiebat agnosceus, de clavis quidem quibus manus Christi fuerant perforatæ, videns in galeam immisit imperatoris: filii capitis providentiam gerens, ut jacula bellica submoveret; alios freno equino permiscuit, et cautelam imperatoris agens, et veterem prophetiam adimplens. Olim enim Zacharias clamaverat propheta, dicens (*Cap. XIV, 20*): *Et erit quod in freno est sanctum Domino omnipotenti.* Salutaris vero crucis partem quidem aliquam regalibus distribuit. THEODORETUS, *lib. I, cap. 18, p. 48.*

Quam Constantinus suscipiens, et credens salvari civitatem ubi hæc particula servaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini posita super columnam porphyriticam devote condidit. SOCRATES, *lib. I, cap. 13; edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 47.*

Reliquam vero partem in argentea theca clausam civitatis tradidit sacerdoti. Et undique congregans artifices, maximas illic ornatasque ædificavit ecclesias. **C** His ita gestis, convivio exhibito virginibus sacris, et ipsa ministerium ancillæ gerens, ultra octogesimum annum ætatis agens, et his similia faciens reliit ad filium. Et cum lætitia transivit e sæculo, multa filio pietatis mandata committens, novissimis benedictionibus adimpleto. THEODORETUS, *lib. I, cap. 18, p. 48.*

Post hæc igitur imperator curam maximam Christianorum habens, paganorum superstitiones aversabatur; removitque monomachias, et suas imagines in templis poni præcepit; et cubitum quo mensuratur Nilus, non jam in templum Serapidis annis singulis, sed in ecclesiam portari sancivit. SOCRATES, *lib. I, cap. 14; edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 48.*

In omnibus itaque volens similem monstrari Romæ Constantinopolim, frustratus non est. Nam et corporibus et divitiis major effecta est. Quod ideo provenisse credo propter amorem Dei, quem civitas gerit, et habitatorum circa indigentes auxilium. In tantum namque fides crevit, ut multi quidem Judæorum civium, pagani vero pene omnes Christianam illic converterentur ad fidem. In qua urbe, crescente tempore, religio noscitur ampliata; neque aræ, neque pagana templa, aut sacrificia facta sunt, nisi sub Juliano brevi tempore; quod mox probatur extinctum. Hanc igitur tanquam nuper conditam Christi civitatem Constantinus suo nomine dedicavit: multis eam et magnis ornans ecclesiis. Juvabatque Divinitas imperatoris vota, et apparitionibus multis indicabatur quia sanctæ salutaresque essent quæ illic

A ædificabantur ecclesie. SOZOMEN., *lib. II, cap. 2; edit. Christ. Vales. cap. 5, p. 445.*

CAPUT XIX.

De loco ubi Vesta olim colébatur, et nunc archangeli basilica stat., et de miraculis quæ illic pro Christi nomine celebrantur.

Insignis itaque locus ex illo tempore claruit peregrinis et urbeis, ubi olim quidem Vesta colébatur, postea vero ecclesia facta est; qui locus nunc Michaelium nuncupatur, in dextera positus parte navigantium a Ponto ad Constantinopolim, distans ab ea navigio quidem stadiis fere triginta et quinque; per terram vero circumneuntibus omnem sinum usque ad septuaginta et amplius tenditur. Sortitus est igitur is locus appellationem nunc usque servatam, eo quod illic manifeste cernitur apparere Michaeli divinum archangelum: quod etiam ego justus eximie verum **233** esse confirmo. Ostendit igitur hoc ita esse et am multis aliis virtus divina per ipsarum rerum experimenta. Quidam enim in causis crudelibus aut inevitabilibus periculis, alii vero in languoribus aut ignotis passionibus incidentes, hic orantes ad Deum, liberari promeruerunt. Sed quæ singulis et quomodo illic miracula contigerint, narrare longum est. Quæ vero provenerint Aquilino nobis noto, et in causis forensibus socio, partim ab eo audiens, partim ipse cognosceus necessario pauidam: Cum eum ardentissima febris rubris cholericis mota [*ms.*, rubris coloribus nota] comprehendisset, æstuanti poculum dederant medici, quod evomuit; moxque cum vomitu diffusæ cholerae superficiem vultus ejus simili sui colore tinxerunt. Quamobrem quidquid comederet et biberet evomebat. Cumque hoc diu pateretur, nec esca ad nutrimenta proficeret, hæsitabat ars medicorum; et dum morti vicinus esset, jussit suis ut eum ad locum hunc ducerent: credens aut illic se mori aut languore privari. Jacentique per noctem divina virtus apparens præcepit ut quidquid comederet, in hujusmodi potionem tingeret, quæ esset ex pipere, et vino, et melle confecta. Quo facto, ab ægritudine liberatus est; quippe cum medicis ratione medicinæ videatur esse contrarium calida pocula cholericis exhibere.

Audivi enim et Probianum virum in palatio habentem militiam medicorum, crudeli podagrae passione detentum, ibi doloribus liberatum, eique apparuisse sanctam mirabiliter visionem (*An. Dom. 339*). Cum enim dudum paganus esset, factus postea Christianus, aliquatenus dogma sequebatur. Totius vero salutis causam, id est sacratissimam crucem, volebat adorare. Hanc habenti sententiam divinæ virtus apparens, et signum monstravit crucis, quod erat positum in altario ejusdem ecclesie. Et aperte palam fecit, quia ex quo crucifixus est Christus, omnia quæ ad utilitatem humani generis facta sunt, quolibet modo præter virtutem adorandæ crucis gesta non essent, neque ab angelis sanctis, neque ab hominibus piis. SOZOMEN., *lib. I, cap. 2, edit. Christ. Vales. cap. 3, p. 445.*

CAPUT XX.

De templorum destructione.

Cum itaque populi et civitates ad cultum Christianæ

nitatis accederent, et cæteri pro filiis et uxoribus me-
tuentes ne quid mali paterentur si contradicerent,
quieti vacarent, nudati solatio multitudinis templo-
rum cultores et sacerdotis simulacra apud se reposita
pretiosissima tradiderunt, et hæc Jovis fulmina vo-
cabantur; et per semetipsos hæc educebant ex ady-
tis et templorum latentibus locis: quæque prius in-
visibilia apud eos erant, et solis sacerdotibus mani-
festa, facta sunt omnibus valde vilissima. Aliæ vero
imagines et statuæ ex pretiosissima confectæ materia,
igne crematæ sunt, et pecuniæ publicæ [*F. leg. publicæ*]
sociatæ. Quæ vero ex ære mirabiliter facta videbantur,
ad Constantinopolim sunt advecta ornatus causa (*An.
Dom. 335*), et hactenus in publico collocata, et per
plateas, et in circo, atque regalibus, id est Pythia di-
vinatoris Apollinis, et musæ Heliconides, et Delphici
tripodes. Spoliataque sunt januis templa, et alia la-
quearibus sunt nudata, alia vero neglecta ad sordes
usque ruinamque perducta sunt. Tunc itaque per-
ierunt et penitus sunt eversa, id est, in Ægea Ciliciæ
templum Æsculapii, et in Aphacis juxta montem Li-
banum, et Adonim fluvium Veneris domus: utraque
apud illos insignia; eo quod Ægeatæ gloriarentur,
quasi languentes corpore curarentur apud eos, dæ-
mone noctibus apparente atque curante. In Aphacis
autem, quod per invocationem quamdam certo die
de summitate Libani montis ignis fulgens veluti sidus
in proximum flumen velociter occumbebat, quod di-
cebant Venerem esse. *SOZOMEN., lib. II, cap. 4; edit.
Christ. Vales. cap. 5, p. 449.*

CAPUT XXI.

De conversione barbarorum.

Interea cum multitudo nimia gentium ex Thracia
transiisset in Asiam, et alii aliunde barbari egissent
contra Romanos, multi sacerdotum Christi captivi
cum eis erant. Cumque languentes curarent, et dæ-
mones effugarent, Christum solummodo nominantes,
et Filium Dei invocantes, insuper et conversatione
philosophantes inculpabili, et omnem maculam vir-
tutibus evincentes, admirati barbari virorum vitam,
simul et opera egregia, bene se sapere crediderunt,
et Deum habere propitium, si meliores imitarentur
homines, et sicut ipsi placarent Deum. Et constituen-
tes sibimet ex eis bene agendi rectores, edoceban-
tur, et baptizabantur, et consequenter in ecclesias
occurrebant. *SOZOMEN., lib. II, cap. 5. Edit. Christ.
Vales. cap. 6, p. 451.*

CAPUT XXII.

*Quod Eusebius Nicomediensis Constantinopoleos inva-
serit episcopatum, et de litteris Constantini adversus
eum.*

Fautores igitur Arii nequissima non relinquere
consilia. Hujus enim causa in confessione fidei etiam
manibus consenserunt, qui postea imitati sunt gesta
suporum. Nam cum sanctissimus Alexander, qui suis
orationibus Arium fuerat jaculatus, id est Byzantii
pontifex, sic enim tunc vocabatur Constantinopolis,
ad meliorem transiatus fuisset vitam, Eusebius de-
fensor impietatis, parvipendens regulas quas ante

A paululum cum aliis pontificibus ipse conscripserat,
repente Nicomediam deserens Constantinopolitanam
arripuit sedem, regulis e diverso clamitantibus, epi-
scopos et presbyteros non licere ex alia civitate trans-
ire ad aliam. Sed mirum non est ut qui sic insanit
adversus Unigenitum deitatem, licenter etiam alias tran-
sgrediantur leges. Non enim tunc solummodo hanc
novitatem fecit, sed etiam olim aliud simile perpe-
travit. Qui dum in Beryto esset episcopus, transilivit
in Nicomediam, et ex ea denuo post concilium insa-
nia apertæ impietatis exactus est, et cum eo Theogo-
nius Nicænus. Quod imperator Constantinus litteris
manifestum fecit. Ego vero huic operi finem episto-
læ inserere judicavi. Scripsit enim hæc Nicomediensibus:
Quis est hic qui ita populum docuit innocen-
tem? Eusebius utique tyrannicæ crudelitatis excultor.
Quod enim ubique tyranni noscatur esse cliens, ex
multis rebus apparet. Hoc namque veracium episco-
porum testatur interitus, **234** hoc etiam Christia-
norum crudelissima persecutio clamat aperte. Nihil
enim de injuriis mihi factis nunc aio, per quas quando
maxime adversarum partium insidiæ discurrebant,
iste etiam oculos contra me habebat intentos. Cui
hoc defuit solum, quod non et armatum ministerium
tyranno licenter exhibuit. Neque me quisquam putet
ad horum probationem minus instructum. Judicium
namque manifestum est, quia presbyteros et diaco-
nos sequentes Eusebium aperte constat a me depre-
hensos. Sed hæc quidem transeo quæ nunc non indi-
gnationis gratia, sed ad illorum confusionem a me
prolata [*ed., probata*] noscuntur. Hoc solum formido,
hoc cogito, quod vos ad communionem criminis vo-
cari conspicio. Propter Eusebii namque seductionem
et subversionem, conscientiam percipistis a veritate
separatam. Sed erit hujus rei non tarda salubritas, si
episcopum fidelem et integrum nunc sumentes, respi-
ciatis ad Deum. Quod utique ad præsens in vobis est
studium, et istud in vobis esse oportuerat; et dudum
in vestro pendere iudicio, nisi prædictus Eusebius
pessima consociorum suorum tuitione venisset huc
[*ms. et edit. V., hic*], et ordinem rectitudinis impu-
dentissime confundisset. Sed quoniam de memorato
Eusebio apud vestram charitatem nos breviter loqui
debet, audite. Meminit vestra patientia factum in Ni-
cæa civitate concilium: cui et ego ipse conscientie
meæ cultum decenter exhibui, nihil aliud volens
quam concordiam omnibus fabricari, et præ cunctis
arguere et removere hanc causam, quæ principium
quidem habuit per Arii Alexandrini superbiam, cor-
roborata vero est per Eusebii pravum pestiferamque
votum. Sed ipse Eusebius, o amabilem atque charis-
simil cum quanta putatis discussione [*ed., Niv. et Frob.,
discursione*] (quippe conscientia sua victus), cum
quanta confusione mendacio utique declarato dege-
bat? Inmittens quidem mihi diversos, qui pro eo de-
poscerent; petens vero a me quoddam solatium, ne
tanto malo convictus, suo honore privaretur. Testis
est mihi Deus hujus rei, qui et in me et in vobis be-
nigno amore consistat. Nam etiam me ille devertit,
et indecenter arripuit, quod vos quoque nostis. Tunc

enim omnia gesta sunt sicut ipse desiderabat, quia omne malum in sua conscientia recondebat. Sed ut cetera perversitatis ejus omitam, quid maxime cum Theogonio nequitiae suae participare egerit, audite, depono. Alexandrinos quosdam a nostra fide recedentes huc [ms. et ed. V., hic] destinari praeceram, quoniam horum ministerio mentis flammam urgebat. Sed isti benigni et optimi nimis episcopi, quos simul concilii veritas ad poenitentiam reservabat, non solum receperunt eos, et apud se reservaverunt, sed etiam malis eorum voluntatibus communicare decreverunt. Quapropter hoc circa istos ingratos decrevi peragere, ut abrepti procul deportarentur exsilio. Nunc itaque vestrum est ad Deum illa fide respicere, qua semper et fieri convenit, et esse decet, et agere. Episcopos enim purificatos, et orthodoxos, atque clementes nos gaulemus habere. Si quis autem ad memoriam illorum pestilentium, aut ad laudem improvide praesumit forsitan excitari, repente in sua presumptione ministri Dei hoc est meo opere comprimetur. Dominus vos custodiat, fratres charissimi. THEODORETUS, lib. 1, cap. 18 et 19, p. 49.

CAPUT XXIII.

Quod rursus Eusebius apud Constantinum impetrata venia pro Arianis egerit.

Tunc igitur isti et damnati, et e civitatibus sunt expulsi. Et in Nicomedia quidem Amphion [ed., Apion] episcopus ordinatus est, in Nicæa autem Chrestus. Sed rursus consuetae machinationes exercentes, et imperatoris clementiam accessibilem suis fallacis invenientes, restituti sunt, prioreinque potentiam receperunt. Eusebius etenim, sicut jam dixi, etiam Constantinopolitanum tenuit tyrannice praesulatum, et potiorum percepit praesumptionem, frequenter ad imperatorem veniens, et fiduciam ex crebra colloquutione mercatus, contra veritatis propugnatores saevas contentiones instituit. Et primum quidem cupere se Hierosolymorum loca professus est, et imperatorem, tanquam famosissimum visurus aedificationis opus, provida cogitatione captavit. Quapropter cum multo honore dimissus est, imperatore vehicula et alia ei distribuente solatia. Profectus igitur est cum eo et Theogonius Nicænus, particeps malignorum consiliorum ejus, sicuti jam diximus. THEODORETUS, lib. 1, cap. 20 et 21. Ed. t. Christ.

CAPUT XXIV.

Qua fraude Eustathius Antiochenus sit episcopatu depositus et in exsiliū deportatus, et qui post eum fuerint ordinati.

Venientes autem in Antiochiam, et amicitiarum induti vultum, maxima mulcatione [ed., Niv. et Frob., ministracione] politi sunt. Veritatis enim propugnator magnus Eustathius largam eis hospitalitatem fraternitatis exhibuit. Cumque ad sacratissima loca pervenissent, et concordēs viderent eos, hoc est, Eusebium Cæsariensem, Scythopolitam Patrophilum, et Actium Lydæ, Laodicæ Theodotum et alios qui legeram Ariani se ceperant, nuntiaverunt eis quod cogita-

verant, et cum eis venerunt ad Antiochiam. Et schemam quidem sub nonore praemittebatur adventus eorum; quod vero propinabatur, erat pietatis bellum. Mulierem namque prostantem mercede negotiantes [ed., Niv. et Frob., conducentes], et linguam ejus sibi impendi persuadentes, ad concilium venerunt (An. Dom. 331). Proinde alios omnes foras ire praecipientes, ter miseriam introducere mulierem. At illa infantulum sub mamilla demonstrans, aiebat ex concubitu Eustathii illum se et concepisse et generasse, eunque clamabat saepius impudentem. Is autem, qui calumniae ejus tam manifestæ conscius erat, jussit ut hanc rem si qui scirent deducerent [ed., deducerentur] ad medium. Illa vero dicente nullum se habere accusationis testem, jusjurandum ei justissimi judices intulerunt; lege scilicet aperte clamante (Deut. xix, 15): In duobus aut tribus testibus credi esse veracia, quæ dicuntur; necnon et Apostolo praecipiente (ITim. v, 19), ut nullus adversus presbyterum inscriptionem [ed., accusationem] factam extra duos aut tres testes accipiat. Sed isti sacras continentibus leges, contra talem virum accusationem sine testimonio receperunt. Cum ergo illa mulier jusjuramento 235 præbisset, adiecit: affirmans quia infans ille de concubitu esset Eustathii. Tunc itaque tanquam adversus adulterum isti amatores veritatis protulere decretum, aliis quippe de pontificibus (cum utique multi adessent, et pro apostolicis dogmatibus repugnarent, et omnimodis quæ fuerant concinnata nescirent) aperte reclamantibus, et magnum Eustathium collaudantibus, decretumque illorum iniquum suscipi prohibentibus. Hoc itaque facto, velociter hujus notæ [ed., Niv. et Frob., noxæ] concinnatores ad imperatorem profecti sunt, eique persuaserunt quia vera fuisset inscriptio [ed., accusatio], et depositionis Eustathii justa sententia quem tanquam adulterum atque tyrannum expelli fecerunt, exercitorem pietatis simul et castitatis egregium. Et ille quidem per Thracias ad Illyrici deductus est civitatem. Isti vero prius quidem pro eo ordinaverunt Eulalium. Quo, tempore pauco, vivente, Eusebium Palæstinensem illuc [ms. et ed. V., illic] migrare voluerunt; eoque fugiente mutationem, et simul imperatore prohibente, fecerunt Euphronium. Quo etiam, anno et paucis mensibus in episcopatu defuncto, Placito illius Ecclesiae tradiderunt pontificatum. Isti vero omnes pestem Arianam habuere celatam. Propterea namque multi pie viventium, et sacerdotum, et reliquorum, ecclesiastica relinquentes collegia, apud semetipsos conveniebant. Quos universi Eustathianos appellabant, quia post egressum illius seorsum congregabantur. Porro mulier illa ter misera passionem crudelissimi languoris incurrens, manifestavit insidias; et illam tragœdiæ compositionem pariter enudavit, non duobus vel tribus, sed multis valde [ed., admodum] sacerdotibus, quæ concinnata videbantur insinuans. Ait enim pro pecuniis illam se facere praesumpsisse calumniam. Jusjurandum tamen non om-

* Alter codicum Græcorum πλάκωντιον habebat, alter δλακτιον.

nino fuisse falsum, quia ille infans de quo juraverat filius erat. cujusdam Eustathii nomine, fabri ferrarii. THEODORETUS, *lib. 1, cap. 21, p. 52.*

CAPUT XXV.

De divisione Antiocheni populi propter Eustathium.

Tunc igitur in Antiochia gravis seditio de Eustathii depositione surroxit, et postea de episcopatus electione tantus ignis accensus est, ut pene civitas universa deperiret, populo in duas partes dissidente. Et aliis quidem Eusebium Palaestinae transferri contententibus in Antiochiam, aliis autem studentibus ut reverteretur Eustathius. Erat enim in utraque parte et populus civitatis, et militaris manus, et tanquam

A adversus hostes ita cuncti commovebantur, ut pene usque ad gladios pervenirent, nisi Deus et timor principis cobilberet. Nam imperator suis epistolis seditioem compescuit. Eusebius autem Palaestinae repudiavit [*ms. Theod., repe.lavit*]; quod admiratus imperator scripsit ei: propositum laudans, eumque beatum clamans, et quod non unius civitatis, sed totius orbis potius digne decerneretur episcopus. De caetero autem per annos octo dicitur Antiochenae Ecclesiae vacasse sedes. Tandem vero studio inimicorum Nicenae fidei, ordinatur Euphronius. Illis igitur in hoc volumine rite contextis, tempus est ut sequentis libri ordinetur [*ed., ordiamur*] initium. SOCRATES, *lib. 1, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 24, p. 59.*

LIBER TERTIUS.

236 CAPUT PRIMUM.

De conversione gentis Indorum atque Persarum.

In temporibus religiosi principis Constantini, et Indorum gentes et Iherorum Christiani dogmatis rudimenta susceperunt. Sed etiam Armenios tunc primum audi vi Christianos effectos. Aiunt enim Tiridatem regem tunc gentis illius ex quodam mirabili signo Dei, quod circa ejus domum evenit, Christianum fuisse factum, et omnes simul ejus ditioni subiectos una praecipione jussisse ut similiter Deo col'a submitterent. Unde et apud caeteros confines Christianum dogma transivit, et multitudine dilatatum est. Apud Persas autem initium Christianitatis aestimo celebratum, dum quidam eorum occasione commercii ad Ostroinos et ad Armenios venientes, ut assolet, sanctis illis colloquerentur viris, eorum virtutes experirentur. SOZOMEN., *lib. II cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 454.*

CAPUT II.

Quomodo Iudaei Christianos accusaverint apud Persas, qui, et quanti, et quibus modis passi sint apud Persas.

Cumque tempore procedente crescerent, et ecclesias et sacerdotes pariter caeterosque ministros habere coeperunt. Hoc autem factum non mediocriter contristabat magos, qui religionem Persarum, veluti quaedam sacerdotalis tribus, per successionem generis ab initio commissam habere noscuntur. Affliciebatur enim id etiam Iudaeos naturaliter quodammodo Christiani dogmatis inimicos. Quapropter accusaverunt apud Saporem tunc regem Symeonem archiepiscopum Seleucia et Ctesiphontis civitatum in Perside regalem, tanquam amicus esset Caesari Romanorum eique Persarum negotia depalaret. Creuens autem derogationibus his Sapores, primum quidem tributis immensis Christianos affliciebatur, eo quod plurimos eorum agrosaceret, qui paupertatem magis eligerent; crudelibusque viris hujusmodi exactiones injunxit, quatenus ex egestate pecuniarum, et nimietate exactorum vim passi, propriae religionis jura contemnerent. Post haec autem sacerdotes ministrosque Dei gladiis minacibus interemit, ecclesias subvertit, et vasa ea-

B rum omnia publicavit. Symeonem vero deduct jussi ad se, tanquam proditorem Persarum regni atque religionis. Magi siquidem, auxiliantibus sibi Iudaeis, cum festinatione sanctas ecclesias destruebant. Symeon autem comprehensus, ferroque victus, ad regem usque deducitur. Qui vir effectus est magnus, et omni fortitudine pretiosus. Nam cum eum torquendum Sapores jussisset introduci, neque timuit, neque adoravit. Pro qua re vehementius esseratus rex, inquisivit cur non adorasset, quippe quod prius facere consueverat. Ad quem Symeon: Prius quidem non victus adducebar, ut negarem veri Dei culturam, et nihil in hoc dubitans, quae sunt solemnia regis inplebam; nunc autem fas mihi non est hoc agere. Veni namque pro nostro dogmate et pietate decertaturus. Haec dicentem praecipit rex adorare 237 solem, et facienti plurima se daturum cum maximo honore munera compromisit; reluctantem vero interminatus est esse moriturum et omnem Christianorum gentem. Cumque nec terroribus potuisset movere Symeonem, nec mulcere promissionibus, sed fortiter permaneret, nunquam quoque adoraret solem, ne proditor suae religionis existeret, praecipit eum in vinculis retineri, credens eum posse longo tempore declinare. Cumque duceretur ad carcerem, vidit eum Ustazades [*al., Ustazanes, et Ustazares*] senior quidam eunuclus, nutritor Saporis, et major regiae domus, Et consurgens adoravit eum. Sedebat namque ante januas regis; quem Symeon increpavit injuriose, et cum furore clamavit, aversatusque despexit. Is enim dum Christianus esset, non ante multum tempus vim passus adoraverat solem. Quo facto, repente flens eunuclus, cum gemitu vestem quidem claram qua indutus erat exutus est, et lugubrem accipiens amictum, ante domum regiam sedebat flens atque gemens: Heu! inquit, qualem credam esse circa me Deum, quem ego negavi, dum pro hac causa dudum amantissimus Symeon neque verbum mihi reddidit, et sic aversatus cum furore transiverit? Cumque haec Sapores audisset, evocans eum, causam luctus inquisivit, aut si qua ei circa domum aerumna conigerit. Respondens Ustazades, ait: O rex, nihil in hujus saeculi domo infortunii

passus sum. Utinam pro his quæ mihi nunc even-
runt, in universas calamitates alias incidissem! Lugeo
namque cur vivo, qui dudum mori debueram. Video
solem, quem tibi parere volens, non voto meæ vo-
luntatis, adoravi. Quapropter pro utroque me mori
justissimum est: quia et proditor sum Christi, et te
quoque decepi. Et ille quidem hæc dicens, juravit
coeli et terræ Creatorem, suam ulterius non se mu-
tare sententiam. Sapores autem admiratus eunuchi
constantiam, amplius sæviebat adversus Christianos,
tanquam maleficiis hæc agere prævaleret. Parcens
autem seniori, nunc lenitate, nunc minis omni vir-
tute eum se subvertere judicabat. Cumque nil ageret,
Ustazade proficiente nunquam se fore sic fatu-
m, uti pro Deo creatore cunctorum illa coleret potius quæ
a Deo creata sunt, tunc ira commotus, jussit gladio
caput ejus abscondi. Cumque duceretur ad necem,
rogavit spiculatorem ut paululum sustineret, tanquam
aliquid regi mandaturus, et vocans quemdam fidelium
eunuchorum, jussit ut diceret hæc Satori: Pro
favore quem hactenus a juventute habui circa ve-
stram domum, o rex, patri tuo et tibi ministrans
studio competenti, testibus non indigeo, tu namque
bene nosti. Pro omnibus ergo quæ aliquando vobis
impendi, redde mihi compensationem hujusmodi,
ne quis ignorantium putet me supplicium sustinere
tanquam infidelem regni aut male cuiuspiam volun-
tatis, sed ut potius manifestum fiat quod agitur,
præco clamans denuntiet universis, quia Ustazades
capite truncatur, non regis inimicus, sed Christianum
se esse professus, et Deum proprium apud regem
negare contemnens. Hæc quidem eunuchus regi nunti-
avit. Porro Sapores juxta petitionem Ustazadis
præconem clamare fecit. Estimabat enim alios posse
a Christianitate revocare Christianos, si mente perci-
perent quia nulli parceret Christiano, qui senom
nutritorem et devotum suæ familiaritatis occideret.
Ustazades autem studuit clamari causam suæ necis,
credens quia cum per terrorem adorasset solem,
multos Christianorum deduxerit ad timorem: nunc
autem cognoscentes pro religione mortuum, imitato-
res multos suæ virtutis efficeret. Hoc itaque modo
Ustazades gloriosissima morte translatus est. *Sozo-
men., lib. II, cap. 8. Edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 153.*
— Symeon autem id cognoscens in carcere, gratificos
pro eo hymnos obtulit Deo. Altera vero die, quæ erat
sexta feriæ septimanæ majoris, in qua ante Resur-
rectionis festivitatem annua salutaris Passionis me-
moriam celebratur, etiam Symeonem decrevit rex ferro
perimere. Deductus enim rursus e carcere ad pala-
tium regis, nimis intrepide loquebatur Satori de
dogmate; et nec illum nec solem passus est adorare.
Eademque die similiter interimi jussi sunt et alii
centum in carcere constituti. Novissime vero Symeo-
nem occidi præceptum est, ita ut mortem videret
universorum. Erant etenim horum alii quidem epis-
copi, alii presbyteri, alii diversorum ordinum clerici.
Cumque omnes ducerentur ad mortem, adveniens
summus princeps magorum, interrogabat eos, si vel-
lent vivere, et regis religionem colere, et solem

A pariter adorare. Cumque hanc nullus eligeret vitam,
spiculatores circa necem martyrum laborabant. Syme-
onem autem assistens confortabat universos, et de
resurrectione ac pietate loquebatur, atque de sacris
Scripturis adhibens fidem, dicebat: Vitam quidem
veram esse sic mori, mortem vero manifestam negare
Deum: adjiciens quia post paululum etiam nullo
perimente sponte mors accidit. Ille est enim omnibus
natis finis inevitabilis. Post hæc autem perpetuitas
non omnibus similiter accidit, sed velut ex quodam
pondere omnem rationem reddent homines hujus
vitæ et eorum quæ bene gesserint retributionem, et
pœnas malorum sine dubitatione recipient. Majus
autem omnium bonorum nihil est ac beatius quam
eligere mori pro Deo. Hæc dicente Symeone, et tan-
quam filios edocente, incertaminibus sacris modo quo
decebat unusquisque exercitatus alacriter currebat
ad necem. Cumque omnes centum spiculator trans-
isset, novissime venit ad Symeonem, et Abedecallam,
et Ananiam: ambo namque senes, cani, sub ejus
Ecclesia constituti, cum eo fuerant comprehensi, et
erant in vineulis. *Sozomen., lib. II, cap. 9. Edit. Christ.
Vales. cap. 10, p. 158.* — Tunc itaque Puscicus, qui
super omnes artifices regis erat ibi consistens, et
videns Ananiam trementem cum præpararetur ad
necem, ait: Paululum, o senex, claude oculos, et
securus esto, mox enim Christi videbis aspectum.
Cumque dixisset hoc, repente comprehensus, ductus
ad regem, et Christianus esse manifestatur, eo quod
pro dogmate fuisset locutus libera intentione marty-
ribus. Tunc rex extraneo quodam et crudeli modo
eum mori præcepit, ita ut perforata cervice exindo
linguam ejus ejicerent. Hoc itaque facto, quibusdam
accusantibus etiam filiam ejus, virgo sacra tunc com-
prehensa perempta est. Sequenti vero anno, die quo
Passionis Christi memoria celebrabatur et exspecta-
batur Resurrectionis festivitas, crudelissima Saporis
præceptio per omnem Persarum cucurrit terram:
morte condemnans eos qui se profiterentur esse
Christianos. Quo tempore fertur ultra numerum
multitudinem Christianorum gladio cecidisse: alios
namque per civitates et castella diligenter magi re-
quirentes, celatos inveniebant; alii vero sponte,
nullo dicente, semetipsos offerebant, ne **238** faci-
litate Christianum negare viderentur. Igitur dum
omnes Christiani sine paritate [ed., neque ulli
parceretur] perimerentur, etiam multi in ipsis regali-
bus sunt occisi, cum quibus et Azanes eunuchus
regi maxime gratus. Quod dum Sapores audivisset,
tristis factus, hanc generalem peremptionem removit,
et solummodo præceptores religionis jussit occidi.
Ilo siquidem tempore, ægritudine incurrente regina
*Sozomen., lib. II, cap. 10. Edit. Christ. Vales. cap.
11, p. 159.* Symeonis episcopi soror, nomine Tharhua,
comprehensa est cum famula suam sequente vitam,
quas contigit teneri per insidias Judæorum accusan-
tium, quasi maleficia reginæ fecissent, propter Sy-
meonis mortem. Regina vero (cum soleant largientes
hujusmodi rebus [ed., *Niv. et Frob.*, spebu] aure:
accommodare) suspecta est veram esse detractionem.

et maxime a Judæis factam, cum et ipsa smilia sa-
peret, eosque sine mendacio et sibi faventes arbitra-
retur. Sumentes autem magi Tharbuam et alias,
mortis acerbæ perculere supplicio. Stipitibus enim
alligatas, serraque findentes per medium, eas crudeli
noce laceraverunt, et quasi expiantes reginam, per
medios stipites transire fecerunt. Ferunt autem istam
Tharbuam speciosam valde fuisse, et a magis qui-
busdam adamatam, et latenter ad concubitum petitam,
promissa mercede salutis suæ et aliarum, si consen-
tiret ad vitium. Quæ nec auditum luxuriæ passa est
sustinere, sed injuriis pro turpi petitione relatis,
alacriter accessit ad mortem, ne traderet sanctam
virginitatem. Cumque circumirent magi et principes
corum universam provinciam secundum Saporis præ-
ceptum, ut sacerdotes et doctores dogmatis apprehenderent
Christiani, puniebant episcopos et presbyteros, et maxime per
regionem Adiabonorum. Hic namque locus est Persicus, et
perumque Christianorum. *Sozomen., lib. II, cap. 11. Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 460.* — Hoc enim tempore et Aceptsinam
episcopum apprehenderunt, et multos clericorum
ejus; tenentesque præsullem, sufficere sibi crediderunt,
alios nudatos substantiis dimittentes. Jacobus
autem quidam presbyter Ponti [*ms.*, sponte] sequē-
batur Aceptsinam, et supplicans magis, identidem
meruit irretiri. Tunc enim et seni alacriter serviebat,
et ejus cladem aliquatenuis levigabat, plagasque ut
poterat curare non desinebat. Post paululum vero
pœnis crudelibus eum magi torserunt, cogentes ut
adoraret solem. Quo respuente, miserunt eum rursus
in vincula. Sed et multos alios presbyteros et
diaconos habebant in carcere post flagella. Paucis
tempore prætereunte, princeps magorum de eis
consuluit regem; acceptaque potestate ut ageret quod
vellet, si solem non adorarent, mandavit eis in
carcere regiam voluntatem. Quibus aperte respon-
dentibus nunquam se fore proditores Christi, nec
adorare solem, sine ulla parcitate eos verberibus
lanxavit. Cum quibus Aceptsinas pro confessione
dogmatis viriliter est defunctus. Quidam vero Arme-
norum cum essent obsides apud Persas, corpus ejus
offerentes latenter, sepulturæ debite tradiderunt.
Alii vero licet non minus flagellati, præter spem
vixerunt; et non mutantes voluntatem, denuo ad
vincula sunt reducti, cum quibus erat Aithalas; qui
dum nimis tenuis cæderetur, humeri sunt disjuncti,
ita ut mortuas postea manus portare videretur,
alique ejus ori cibos offerrent. Sub hoc itaque regno
testimonio bonæ vitæ translati sunt presbyteri, dia-
coni, monachi et sacræ virgines, et in aliis officiis
Ecclesiæ constituti, ac pro dogmate laborantes in-
numeræ multitudines. Eodemque tempore passus est
una cum Marea Bichor episcopus atque clerici circiter
ducenti et quinquaginta, qui cum eo capti a Persis
fuerant comprehensi. Tunc etiam Milesius nomine
martyrio coronatus est, qui primam quidem militabat
apud Persas, postea vero relicta militia conversatio-
nem zelatus est apostolicam. *Sozomen., lib. II, cap. 12. Edit. Christ. Vales cap. 13, p. 461.* — Dicitur enim

quia dum in civitate Persica episcopus fuisset ordina-
tus, multa sæpe sit passus, et plagatus atque tractus,
virili mente susinuerit. Cumque nulli potuisset illic
suadere ut Christianus esset, graviter ferens maledixit
civitati, et exinde discessit. Post paucum vero
tempus primatibus ejus loci in regem peccantibus,
superveniens exercitus cum trecentis elephantis civi-
tatem subvertit, et velut desolatam regionem arantes
seminibus tradiderunt. Milesius autem episcopus
solummodo peram circumferens, quæ sacrum codicem
Evangeliorum habebat, perrexit orationem facturum
ad Hierosolimam, et inde in Ægyptum, ut videret
monachos ibidem conversantes. Qualis igitur iste
sanctus, et miraculorum fuerit operator, Syri sunt
testes, qui ejus actus vitamque scripserunt. Fertur
itaque eorum qui tunc martyrio coronati sunt sub
regno Saporis, virorum ac feminarum fuisse millia
quasi sexdecim. *Sozomen., lib. II, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 14, p. 462.*

CAPUT III.

Epistola Constantini ad Persarum regem pro Christianis.

In Perside vero fautoribus pietatis Constantinus
Augustus sponte prospexit. Agnoscentes enim eos ab
impiis vehementer affligi, eorumque regem erroribus
servientem [*ed.*, sævientem] diversa eis inferre peri-
cula, scripsit ei per legatos, qui tunc aderant, monita
pietatis: rogans ut cultores Dei apud eum digno
honore potirentur. Sed melius studium pii principis
per ejus litteras valebit agnosci.

EPISTOLA CONSTANTINI IMP.

Ad Saporem regem Persarum.

De providentia Dei erga homines.

Sacratissimam custodiens fidem, veritatis luce par-
ticipatus sum: luminis veritate gubernatus, sacram
cognosco fidem. Denique per hæc, sicuti res ipsæ
confirmant, venerabilem religionem esse conspicio,
et doctrinam agnitionis sanctissimi Dei omnibus
offerentem, hujusmodi cultum me habere profiteor.
Quia hujus Dei virtutem in auxilio habens, inchoans a
sinibus Oceani, omnem terrarum orbem firmissima
spe salutis obtinui; ita ut universi qui per tot tyrannos
cladibus quotidianis fuerant subjugati, et ad obscuri-
tatem usque perducti, resumentes communium rerum
vindictam, rediviva quodammodo curatione resurge-
rent. Hunc Deum colo cujus signum Deo dicatus meus
exercitus portat in humeris, et a quo dum justo
sermone aliquid poscitur, impetratur. Ex ipsis autem
tropæi insignibus beneficia repente suscipio. Hæc
itaque Deum immortalis memoria me honorare pro-
fiteor, euniquè summa puraque mente super omnia
esse credo. Hunc inclinatis genibus invocabo, **239**
fugiens cunctum abominabilem sanguinem et omnes
horribiles ac fugiendos, omnemque terrenam flam-
mam nimis evito. Quibus omnibus nefandus et inef-
fabilis error multos gentium, ac genera universa
prostravit, et inferno contradidit. Quæ enim Deus
omnium propter homines providentia suæ clementiæ,
utilitatis causa, produxit in mundum, hæc ad inu-

cujusque desiderium trahi non patitur. Sed puram tantummodo mentem et immaculatam animam ab omnibus [ed., hominibus] exigit, virtutis et pietatis actus exquirat, mansuetudinis et clementiæ delectatur operibus, mites amat, habet odio turbulentos, diligit fidem, punit perfidiam, omnemque potentiam cum fastu despicit, superbiorum purit asperitatem, ad fastum elevatos interimit, humilibus autem ac patientibus magna retribuit. Sic itaque etiam regnum justum magnipendens adjutorio suæ virtutis extendit, sapientiamque regiam pacis tranquillitate custodit. Non ergo videor mihi errare, frater mi, hunc esse constendum Deum omnium principem atque patrem, quem multi regnantes apud nos vesanis erroribus seducti, denegare tentaverunt. Sed illos omnes finis comprehendit exitialis, ita ut omne genus hominum post eos exurgens, clades eorum pro maledictionis exemplo proponere videatur. Horum igitur unum esse reor Valerianum, quem velut quædam virgæ iracundiæ diviniæ de nostris terris expollens, vestris partibus tradidit puniendum. Qui scilicet verecundiæ suæ fumosissimus [ed., Niv. et Frob., nobilissimum], apud nos tropæum demonstrasse cognoscitur. Sed hoc quidem in bonam partem conversum est, ut in nostro sæculo hujusmodi supplicium fieret manifestum. Vidi namque et ego illorum finem qui nuper nefandis præceptionibus Deo devotum populum turbaverunt. Quapropter multas Deo refero gratias, quoniam integra providentia omne genus humanum, colens legem diviniam, reddita sibi pace decenter exsulat. Unde etiam nobis ipsis credo quoniam optime cauteque universa proveniunt, quando per illorum puram probabilemque religionem diviniamque concordiam, universa in se dignatur erigere. Igitur de tali hominum collegio, id est Christianorum (pro quibus mihi omnis est sermo), quam nunc libenter credis audire, quando etiam eminentia loca Persidos per eos amplius quam cupio decorantur? Tu ergo optime gubernaveris, si fueris sicut illi, et habueris commune quod illi. Sic enim habebis omnium Dominum mitem, placidumque, atque propitium. Hos igitur, quoniam tantus ac talis existis, commendo tibi quoniam et pietate probaris insignis. Hos dilige competenter, et facito clementiæ tuæ participes, tibi simul et nobis iurabitur gratiæ immensa jura per fidem.

Hæc igitur optimus imperator pietate decoratus egit, curam non solum subjectorum habens, sed etiam eorum qui sub alienis gubernaculis regebantur. Quapropter et ipse divina protectione potitus est, et universam Europam atque Libyam, super has etiam maximam Asiæ partem tegens, subjectos habuit ubique devotos. Sed etiam barbarorum alii quidem sponte serviebant, alii devicti. Ubique triumphi videbantur, et victor credebatur in omnibus imperator. THEODORETUS, *lib. 1, c. 24, p. 56.*

CAPUT IV.

De Alexandri pontificis Alexandrini fine, et initio præsulis Athanasii.

Inter hæc Alexandro mirabili sene, qui Arii prostraverat blasphemias, defuncto, post menses quinque

A Nicæni concilii, Alexandrinorum Ecclesiæ suscepit Athanasius præsulatum. Cujus persecutiones, fugas, contumelias, crebraque pericula transferre distuli, quæ Rufinus suo nobilitavit eloquio. THEODORETUS, *lib. 1, c. 26, p. 59. An. Dom. 328, Baron. 526.*

CAPUT V.

Quæ contra Athanasium gesta sint, et quomodo conjugerit ad principem.

Post plurima vero consilia turbis seditionibusque completa, et clamores accusatorum poscentium ut Athanasius tanquam magus violentus et indignus sacerdotio damnaretur, directi ab imperatore metuentes ne eum aliqua invasione perimerent, latenter eum de concilio subtraxerunt. At ille sciens non sibi fore tutum contra tot accusatores agere, iudicibus etiam inimicis, synodum relinquens, venire festinavit ad imperatorem. SOZOMEN., *lib. II, cap. 24. Edit. Christ.*

Igitur Athanasius ad principem veniens, omnem præsumptionem contra se factam episcoporum edocuit. At illi ad Mareotem convenientes, quosdam concordantium sibi met sacerdotum miserunt ad principem, id est, Theogonium Nicænum, atque Theodorum Perinthium, Maria Chalcedonensem, Narcissum Cilicem, et similes horum, mendacia texentes, et quædam commenta figentes, et nudas valde calumnias, quasi veras accusationes sibi met componentes. Quo facto venerunt ad Æliam civitatem. Præceperat enim imperator ut omne concilium a Tyro veniret ad Æliam. Nec non et alios undique congregari præceperat, quatenus templa ædificata dedicarentur. Misit itaque pariter devotos viros [ed., Niv. et Frob., iudicum] pietate ac fide clarissimos, omnia largissime expendi præcipiens, non solum pontificibus ac sacerdotibus, sed etiam egentibus universis, qui undique concurrebant. Porro sacrat exornatum etiam sacrum altare palliis regalibus atque vasis, auro et pretiosis lapidibus decoratum. THEODORETUS, *lib. 1, cap. 30, pag. 61.*

CAPUT VI.

Quomodo sit Arius ab exilio revocatus, et qualem libellum dederit Constantino, et de fraudibus Ariariorum.

Imperator interea Arium de exilio revocavit, iustique ut quod de Deo crederet, scriptura corrente proferret. Tunc ille novitatem nominum quam prius adinvenerat declinans, aliam explanationem contexit, simplicibus verbis eam et divina lectione confirmans, iusjurandum quoque præbuit ita se credere, et hæc etiam mente sapere, nihilque aliter intelligere. Textus enim ejus expositionis hujusmodi est :

240 Püssimo et Deo amantissimo Domino nostro imperatori Constantino Arius et Euzoios presbyteri.

Sicut præcepit Deo amabilis pietas tua, domine imperator, exponimus nostram fidem, et scriptis profiteremur coram Deo sic credere et nos, et omnes qui nobiscum sunt, sicuti subjectum est. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et Dominum

Jesus Christum Filium ejus, qui ex eo ante omnia secula natus est, Deum Verbum, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis, et quæ in terra, qui venit, et carnem assumpsit, et passus est, et resurrexit, et ascendit in cœlos, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos; et in Spiritum sanctum, et carnis resurrectionem, et vitam futuri sæculi, et in regnum cœlorum, et in unam sanctam catholicam Dei Ecclesiam, quæ a finibus usque ad fines est. Hanc autem fidem percepinus ex sanctis Evangeliiis, dicente Domino discipulis suis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxvii, 49). Si autem non hæc ita credimus atque suscipimus, verè Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sicut omnis catholica Ecclesia, et sanctæ edocent Scripturæ, quæ per omnia sequimur, judex noster erit Deus et nunc et in futuro die. Quapropter tuam pietatem rogamus, Deo amabilis Imperator, ut dum ecclesiastici sumus, et fidem et sensum Ecclesiæ sanctarumque Scripturarum habemus, aniri nos per pacificam et Dei cultricem pietatem tuam matri nostræ Ecclesiæ jubeatis, questionibus utique et superfluitatibus inquisitionum sublatis; ut et nos, et sancta Ecclesia ad invicem pacificati, solennes orationes pro pacifico pioque imperio, et omni tuo genere omnes communiter celebremus.

Hanc fidei expositionem alii quidem dicebant artificiose compositam; ut videretur princeps placari sermonibus, et ita Arii dogmatibus circumferri; quatenus per expositionem ei fiducia præberetur, et duramque haberet intellectum. Arbitratus autem imperator Arium et Euzoium similia credere his qui in Nicæa convenerant, valde gavisus est. Non tamen sibimet persuasit ut eos in Ecclesiæ communionem susciperet ante judicium atque probationem congruarum personarum secundum Ecclesiæ legem; sed destinavit eos ad episcopos tunc Hierosolymis congregatos, scribens ut fidem eorum expositionis examinarent, et clementem super eis debentem proferre sententiam; sive recte credentes invidiæ gratia essent injustitiam passi, seu dum non haberent unde iudices suos culpæ peterent, per penitentiam revocarentur. Porro sumpta occasione, fautores Arii per scripta imperatoris eos in communionem susceperunt. Et cum hoc fecissent, ipsi imperatori rescripserunt, et Ecclesiæ Alexandinæ, et in Ægyptum, et Thebaidam, et Libyam, episcopis universis et clericis præcipientes ut eos alacriter susciperent, imperatore testante rectam eorum esse fidem, quam etiam propriæ epistolæ subjecerunt. Hæc quidem in Hierosolymis gesta noscuntur. *ΣΟΖΟΜΕΝ., lib. II c. 26. Edit. Christ. Valles. c. 27, p. 484.*

Athanasius autem fugiens de Tyro, Constantino-polim venit, et quæ passus est adito imperatore narravit: petens ut quæ in Tyro fuerant gesta, examinarentur sub ejus quoque præsentia. Porro Constantinus imperator rationabilem petitionem ejus judicans, hæc scripsit episcopis qui in Tyro convenerant. *ΣΟΖΟΜΕΝ., lib. II, cap. 27. Edit. Christ. Valles. c. 28, p. 486.*

CAPUT VII.

Epistola Constantini evocantis episcopos, ut Athanasii causam ipse cognosceret.

Igitur imperator directa sacra epistola concilium evocavit, ut in sui præsentia Athanasii examinaret causam, cujus verba sunt hæc:

Victor Constantinus pius episcopis in Tyriorum urbe collectis.

Ego quidem ignoro quæ vestro concilio turbulenter atque cum tempestate decreta sunt. Apparet enim quoniam quadam tumultuosa indisciplinatione veritas est oppressa; vobis quippe non considerantibus quæ Deo placent, propter jurgia quæ contra proximos vestros habetis, et vota vestra invincibilia esse contenditis. Sed erit opus divinæ Providentiæ, quatenus et hæc contentio aperte deprehensa possit evacuari, atque nobis palam fieri, si quid illic convenientes sive qualibet gratia, aut inimicitiarum causa gessistis. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad meam reverentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem per vosipsum possitis ostendere. Verum qua gratia hæc scripserim vobis, vosque ad me litteris evocaverim, per ea quæ sequuntur agnosceatis. Pergenti jam mihi ad cognominis nostri felicissimæ patriæ civitatem, dum essem consensurus in equum, repente Athanasius episcopus in media platea cum quibusdam sacerdotibus quos circa se habebat, sic inopinatè nos adiit, ut nobis daretur subito causa cujusdam formidinis. Testis enim mihi inspector omnium Deus est, quoniam neque cognoscere eum quis esset prima fronte prævalui, nisi quidam nostrorum, et quis esset et quam pertulisset injustitiam tunc narrasset. Et ego quidem neque confabulatus cum eo sum illo tempore, nec qualibet locutione participatus. Dumque ille se audiri deposceret, ego vero refutarem et pene repelli eum præciperem, cum majori fiducia nihil aliud a nobis quam vestrum postulavit adventum; ut vobis præsentibus quæ passus est necessario possit suis gemitibus explanare. Unde quia mihi rationabile videtur, et temporibus opportunum, scribi vobis libentius hæc præcepi, ut omnes quicumque apud Tyrum concilium celebrastis, inlesinenter ad expeditum nostræ mansuetudinis concurrere festinetis: ipsis operibus ostensuri puritatem et rectitudinem vestri iudicii coram me videlicet, quem Dei ministrum proprium nec vos abnegatis: quosiam et imperator minister sum Dei. Igitur ubique pacificatur Dei nomen, et integre benedicitur per meam in Deo culturam etiam apud ipsos barbaros qui veritatem hactenus ignorabant. Certum namque est quia qui veritatem ignorat, neque Deum scire potest. Veruntamen, nec prædictum est, etiam barbari per me fidelem ministrum recognoverunt, et Dominum metuere didicerunt, quem utique protectorem meum ubique ac provisorem ipsis operibus est ostensum. Unde præcipue etiam Deum sciunt. Et illi quidem 241 propter nostrum timorem reverentur Deum. Vos autem, qui sancta mysteria ejus clementiæ proferre debetis, non dicam custodire, sed nihil amere, nisi quæ ad contentionem noscatur et odia

pertinere, et, ut absolute dicam, quæ ad humani generis tendere videntur interitum. Sed festinate, sicuti dixi, ad nos venire continuo, scientes quoniam omni virtute agere conabor, quatenus quæ in lege Dei sunt, ea præcipue sine aliqua titubatione serventur. Quibus utique neque vituperatio, neque mala superstitio poterit implicari, dispersis utique, ac palam contritis, et penitus exterminatis sacratissimæ legis inimicis, qui sub schemate sancti nominis blasphemias varias et diversas injiciunt. *SOCRATES, lib. 1, c. 22. Edit. Christ. Vales. c. 34.*

CAPUT VIII.

Quod venientes episcopi Ario faventes Athanasio detraxerint, ita ut in exsilium mitteretur

Hæ siquidem litteræ ad æstuationem perduxerunt eos qui fuerant in synodo congregati, quoniam plures quidem ad proprias redierant civitates. Qui vero circa Eusebium, et Theogonium, et Marin, Patrophilum, et Ursacium, et Valentin erant, ad Constantinopolitanam venientes urbem, nequaquam de calice fracto, aut altari subverso, aut Arsenio perempto, quod in synodo concinnaverant, quæstionem fieri permiserunt; sed aliam invenere detractionem, suggerentes imperatori, quoniam Athanasius interminaretur non se missurum ab Alexandria frumenta * solemnitè ad Constantinopolitanam urbem. Et hæc se audisse dicebant, Athanasio dicente ad Amanium, Anubionem, Arbathionem, et Petrum, episcopos. Multum itaque derogatio prævalet quando derogator creditur sibi dignus. Hac subreptione ad furorè perductus imperator, Athanasium relegavit exsilio, et habitare eum præcepit in Galliis. Aiunt enim quidam hoc imperatorem propterea fecisse, ut unirentur Ecclesiæ: quoniam Athanasius communicare Arianis evitabat. Et ille quidem debebat in Treveri Galliarum. *SOCRATES, lib. 1, cap. 23 Edit. Christ.*

Sed nemo miretur si tantus vir deceptus excessit, sacerdotibus falsa loquentibus; cum divinus quoque David propheta, non a pontifice, sed a servo Siba contra Miphiboseth mendacia loquente, deceptus sit. *THEODORETUS, lib. 1, cap. 33, p. 66.*

CAPUT IX.

Quomodo Marcellus Ancyranus depositus sit, et de Asterio sophista.

Igitur episcopi in Constantinopolitana urbe congregati, Marcellum Ancyre Galatiæ deposuerunt pro hujusmodi causa. Asterius quidam in Cappadocia exercens artem sophisticam, eam relinquens, Christianitatem se promittebat asciscere; tentavitque libros conscribere, qui feruntur hactenus, et per quos Arii dogma firmatum est. Dicebat enim Christum sic esse Virtutem Dei, sicuti dictum est apud Moysen: Locustam et campas virtutem Dei; et his multa similia. Conveniebat autem is Asterius frequenter apud episcopos qui Arianam præcipue non evitabant se-

ctam. Nam et ad concilia concurrebat, episcopatum in aliqua civitate quærens. Sed sacerdotio quidem frustratus est, eo quod persecutionis tempore sacrificasse probaretur. Cumque circumiret Syriæ civitates, libros quos consuerat ostendebat. Hæc agnoscens Marcellus, contra eum scribere volens, mensuram contrarietatis excessit. Purum namque hominem, sicut Samosatenus Paulus, præsumpsit dicere Dominum Christum. Hæc agnoscens qui tunc Hieroglymis convenerant, de Asterio quidem nullum habuere sermonem, quoniam neque erat in ordine sacerdotum; Marcellum vero tanquam sacerdotio functum rationem exigentes libri sui, eumque comperientes Samosateni dogmate maculatum, jusserunt ut a tali secta recederet. Qui reprehensus, librum se promisit exurere. Cumque hoc studium fuisset [*ed., Niv. et Frob., deferbuisset*] lentatum, episcoporum collegium, evocante Imperatore, venit ad regiam civitatem, præsentibusque Eusebio et qui cum eo erant episcopis, in urbe Constantinopolitana rursus studium de Marcelllo fiebat. Et dum Marcellus, sicut promiserat, illicitam conscriptionem nollet incendere, eum de episcopatu deposuerunt. In cujus locum Basilium in Ancyram direxerunt. Sed hanc quidem conscriptionem Eusebius tribus destruxit libris, superstitionem ejus valde redarguens. Postea vero Marcellus in Sardicensi concilio recepit episcopatum, dicens non intellectum suum librum, et propterea quasi Paulianum fuisse depositum. *SOCRATES, lib. 1, cap. 24. Edit. Christ.*

CAPUT X.

Quomodo Arius, dum studet ab Alexandro Constantinopoleos in communionem suscipi, extinctus sit.

Igitur dum post concilium Hierosolymitanum Arius venisset in Ægyptum, Alexandrina Ecclesia ejus evitante communionem, rursus venit ad Constantinopolitanam urbem, concurrentibus illic consecratoribus ejus, et obediens Eusebio Nicomediensi episcopo, et concilium celebrare volentibus. Horum studium sentiens Alexander tunc Constantinopolitanus episcopus, nisus est solvere tale conamen. Dumque hoc non valuisse implere, aperte Arii nisibus interdixit: non licere eum ecclesiasticum esse dicens, nec infirmam sententiam episcoporum pene totius terræ secum convenientium in Nicæna urbe. Eusebius autem et qui circa eum erant, dum primo sermonibus flectere nequissent Alexandrum, postea cum terrore minabantur: quia nisi susciperet Arium, certa die ipse quidem deportaretur exsilio; Arius autem in communionem susciperetur universorum. Et post hæc ab alterutris recesserunt. Illi quidem definitam diem exspectantes, ut suas minas implerent; Alexander autem orabat ne ad perfectum verba Eusebii pervenirent. **242** Maxime autem ei terror ingerebatur, eo quod imperatori jam pene suaserant ut faceret quod ipsi volebant. Ante unum vero constitutum diem prosternens semetipsum sub altari, tota

* Constantini senioris liberalitate Constantinopolim mitterebatur ex Alexandria sermo octoginta millia

moliorum frumenti propter pauperes. Eaque res videtur episcopo fuisse commissa.

114 nocte jacuit pronus : rogans Deum ut impediret terminum inimicorum ejus. SOZOMEN., lib. II, cap. 28. *Edit. Christ. Vales. cap. 29, p. 488.*

Hæc igitur Alexander pronus orabat. Imperator autem de Ario experiri volens, eum ad palatium evocavit, percunctatusque est si Nicæni concilii decreta servaret. Ille vero nihil moratus, repente scripsit decreta fidei, per subscriptionem arte callida circumveniens. Et imperator quidem miratus, ei intulit jusjurandum. Qui etiam hoc fraudulenter egit, quodammodo jusjurandum arte deludens. Quod autem audivi de hac machinatione, conscribo. Fertur enim conscripsisse Arium sectam suam in charta quam sub ala ferebat : unde vere se jurare credidit, dicens sic se sapere sicut scripsisset. Hoc enim ita factum audiens ego conscripsi ; quia vero et jusjurandum præbuit, ex epistolis imperatoris agnovi. Credens igitur imperator, suscipi eum ab episcopo Constantinopolitane urbis Alexandro in communionem præcepit. Erat enim tunc sabbatum. Et sequenti die eos communicare exspectabat alterutris ; sed præsumptiones Arii judicia Dei secuta sunt. Nam dum egressus ex imperiali fuisset aula, obsequiis honorabatur satellitum Eusebii, et per mediam tunc civitatem perspicuus apparebat. Cumque venisset juxta locum cui est vocabulum Constantini forum, ubi columna porphyretica collocata est, terror eum subito ex quodam conscientie secreto constrinxit, et cum formidine secuta est ventris effusio. Percunctatusque si secessus esset in proximo, et agnoscens esse post Constantini forum, perrexit illuc. Quo facto, defectus eum quidam cum effusione corripuit, et una cum stercorebus meatus quoque prolapsus est. Tunc ergo concidit, et sanguinis multitudo cum subtilibus intestinis subsequenter effluxit ; decurrebantque pariter cum splene etiam interna jecoris. Et ita factam est, ut repente sequeretur et mors. Secessus vero ubi talia gesta sunt, in Constantinopolitana urbe monstrabatur, sicuti dixi, post Constantini forum atque macellum in porticu constitutum : omnesque transcuntes digito notabant locum, detestabilem Arii recordantes interitum. SOCRATES, lib. I, cap. 25. *Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 73.*

Post aliquod tempus quidam fautorum Ariane vesanie dives ac potens studium habuit ut eundem locum a publico compararet. Et destruens quod erat primitus, domum ibi constituit, quatenus oblivio facti procederet, et per successionem hujusmodi memoria deriperet. Fama tamen per cunctam cucurrit civitatem, et orbi terrarum mortem Arii declaravit. SOZOMEN., lib. II, cap. 28. *Edit. Christ.*

CAPUT XI.

Quod prius Ariani cum orthodoxis conveniebant atque communicabant, et de lege Constantini qua jussit hereticorum oratoria ecclesiis applicari.

Arii vero dogma, licet apud multos disputationibus extolleretur, nondum tamen in proprium discernebatur populum, aut in nomine constabat auctoris ; sed omnes simul in ecclesia conveniebant atque communicabant, præter Novatianos, et qui vocantur

A Phryges, et Valentinianos, et Marcionistas, et Paulianos, et qui alias hæreses colebant. Contra quos omnes imperator posita lege sancivit auferri eorum oratoria et ecclesiis applicari ; et neque in domibus privatorum eos congregationes patiebatur, nec publice celebrare. Melius enim judicabat in ecclesia catholica communicandum, et in eam cunctis convenire suadebat. Propter quam legem arbitror hæresis memoriam fuisse destructam. Nam priorum principum temporibus Christi cultores licet sectarum diversitate differrent, apud paganos tamen Christiani esse putabantur, et similiter passionibus subiacebant, ac semetipsos propter communes persecutiones examinare non poterant, et propterea facile inter se convenientes missas celebrabant. Et licet essent pauci, non tamen videbantur esse divisi. Post hanc vero legem neque publice in ecclesias poterant convenire, neque lateater, dum episcopi civitatum et clerici observantes talia prohiberent. Hinc ergo plurimi metuentes ad Ecclesiam se catholicam contulerunt. Alii vero manserunt in sua sententia, non tamen successores hæresis reliquerunt. SOZOMEN., lib. II, cap. 30. *Edit. Christ. Vales. cap. 32, p. 492.*

CAPUT XII.

Quomodo et ubi imperator Constantinus imperatores tres filios reliquerit, et percepto baptismate sit defunctus.

Cumque religiosissimus imperator potius Christianitate gauderet, et veri [ed., vere] Dei testimonio fidem Nicænam roborari cognosceret, in his que fuerant de Ario gesta letabatur. Qui cum tres habuisset filios, eos Cæsares nuncupavit, et singulos eorum per decenos annos imperii sui principes esse constituit. Id est, primum quidem filium sui nominis Constantinum Hesperiarum partium in Jecennali suo fecit habere principatum ; secundum vero avi nomine Constantium in vicennialibus suis Cæsarem in Oriente constituit ; juniorem vero Constantem in suis tricennialibus ordinavit. Anno vero post hæc transacto, ingressus sexagesimum quintum ætatis annum, ægritudine captus, ex urbe Constantinopolitana, quasi ad calidas aquas egressus est. SOCRATES, lib. I, cap. 25. *Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 74.*

Qui cum Nicomedie degeret, languore gravatus, nec ignorans vite hujus incertum, gratiam sacri baptismatis est adeptus. Distulerat enim usque ad illud tempus (An. Dom. 359), in Jordane fluvio hoc promereri desiderans. Porro autem tres filios imperii reliquit hæredes, et Athanasium magnam reverti præcepit in Alexandriam, licet Eusebius prærens esset, et niteretur contraria suadere. THEODORETUS, lib. I, cap. 25, p. 65.

Nicomedie in suburbano sacri baptismatis donis initiatus est. SOZOMEN., lib. II, cap. 32. *Edit. Christ. Vales. cap. 34, p. 945.*

Ita facto testamento, tribus filiis hæredibus constitutis, est defunctus. Corpus autem imperatoris in aureo loculo collocatum, ad Constantinopolim est devectum, et in palatii celso loco repositum. Quod in multis honoribus atque veneratione quasi viveret ha-

no dari, qui inter alios videbatur esse vicinior, et prius venire posse credebatur. Hinc iste Constantio factus notus, tradito testamento accepit ad eum ingrediendi fiduciam. Qui videns facilem Constantii voluntatem, et velut calamum ventis accedentibus agitari, præsumpsit contra evangelica dogmata bellum assumere, et adversus Ecclesias asperrimam erigere tempestatem. Dicebat enim esse culpabiles qui consubstantialitatis vocem, quæ scripta non inveniretur, in fidei doctrina posuissent, quod inter sacerdotes et eos discordiam generaret. Hinc ergo Athanasium et ejus sectatores accusans, insidias instruebat. Hujus cooperatorum erant Eusebius et Theogonius, et Theodorus Perinthius, qui eloquentior videbatur, et scripsit explanationes Evangeliorum, quem plurimi Heracleiotes vocant (*An. Dom. 341*). Isti namque sæpius videntes imperatorem, reversionem Athanasii multorum causam asserabant esse malorum; et non solum Ægyptum, sed etiam Palæstinam, et Phœnicen, vicinasque gentes ejus gratia dicebant esse turbatas. Proinde hujusmodi verbis levissimam obsidentes imperatoris intentionem, suaserunt ut Athanasium ab Ecclesia rursus expelleret. Qui agnoscens eorum consilium, ad partes Hesperias abiit. THEODORETUS, *lib. II, cap. 3, p. 70.*

CAPUT VI.

Quid de Athanasio Julius decrevit episcopus.

Verum Eusebius ejusque consortes calumnias in Athanasium factas Julio Romano pontifici destinaverunt. Qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Ille continuo evocatione suscepta venit: calumniarum vero sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facile suum posse capi mendacium. Sed videntes oves pastore desolatas, lupum super eas pro pastore constituerunt, id est, Gregorium, qui sex annis bestiis ferocibus crudeliter usus, pœnam malitiæ suæ solvit, ab omnibus amarissime lauiatus. THEODORETUS, *lib. II, cap. 4, p. 71.*

CAPUT VII.

Quod Constans imperator partes siverit Athanasii.

Athanasius autem veniens ad Constantem, postquam Constantinus junior fuerat bello defunctus, Arianae cohortis cum genitu referebat insidias, et bellum contra apostolicam fidem gestum, patrisque ejus nomen maxime concilii ab illo celebrati memorabat, et quoniam communi lege synodus roborata videretur. Hæc insinuando cum lacrymis, ad patrum zelum excitavit imperatorem. Mox namque ut hæc audivit, mandavit fratri, monens ut paternæ pietatis inviolabilem servaret hæreditatem, cum et ille pietate gubernando regnum, et Romanorum evicisset tyrannos, et gentes positas in circuitu subjugasset. THEODORETUS, *lib. II, cap. 5; edit. Christ. Vales. cap. 4, p. 72.*

CAPUT VIII.

De morte Alexandri Constantinopolitani pontificis, et

de ordinatione apud orthodoxos Pauli, apud Arianos Macedonii.

Ea siquidem tempestate Constantinopolim altera, priore superior, turba ex hujusmodi causa processit. Alexander Constantinopolitanæ præsul Ecclesiæ, post decertationem cum Ario terminatam ex hac vita recessit, episcopatus 246 tricesimo tertio, vitæ anno nonagesimo et octavo (*Anno Dom. 326*), nullumque in suum constituit locum; sed mandavit ut unum ex duobus quos ipse nominaret eligerent. Et siquidem vellent docibilem simul, et vitæ optinæ testimonio decoratum, Paulum a se presbyterum ordinatum, virum quidem ætate juvenem, sed sapientia senem, episcopum sibi met ordinarent. Si vero ex habitu solummodo reverentiæ eligere vellent, Macedonium facerent, tunc diaconum existentem, qui ætate senior videretur. Ex hac causa major contentio pro episcopi ordinatione surrexit, Ecclesiamque turbavit, cum populus utique in duas divisus esset partes, aliique defenderent Arianum dogma, alii vero Nicæni decreta concilii. Igitur donec Alexander viveret, Homousiani pontifices potiores erant Arianorum, quia illi quotidie convicti minuebantur. Cum vero Alexander obiisset, contentio rursus ex utraque parte commota est. Quapropter Homousiani Paulum ordinare pontificem, Ariani vero Macedonium. Et in ecclesia quidem Irene cognomine quæ est vicina justa basilicam Sophiam, Paulus est ordinatus, in qua potius Alexandri sententiâ prolata videbatur. SOCRATES, *lib. II, cap. 4; edit. Christ. Vales. cap. 6, p. 85.*

CAPUT IX.

Quod remoto Paulo Eusebius Nicomediensis Constantinopoles invaserit episcopatum, et de Antiochæno concilio, et ordinatione Eusebii in Alexandriam, et post eum Gregorii, et de transformatione Nicæni concilii.

Post paululum vero tempus imperator ad Constantinopolim veniens, indignatur ob ordinationem factam Arianorum episcoporum; constitutoque concilio Paulum quidem removeri fecit; Eusebium vero ex Nicomedia migrantem Constantinopolim, episcopum esse decrevit. Quo facto Antiochiam profectus est imperator. Eusebius itaque nullo modo cessare patiebatur, sed omnia commovebat, donec suum propositum perduceret ad effectum. Egit ergo ut in Antiochia Syria synodus fieret, sub occasione quidem dedicationis ecclesiæ quam pater Augustorum fabricari cœperat [*ms. Lyr., fecerat*], et post ejus obitum Constantius decimo anno eam a tempore foundationis expleverat: pro veritate autem ad subversionem atque destructionem Nicæni concilii. Ad quam synodum convenerunt ex civitatibus diversis episcopi nonaginta. Maximus tamen Hierosolymitanus Macarii successor non adfuit: cogitans quia ei posset subripi, ut in damnationem subscriberet Athanasii. Sed neque Julius interfuit maxime Romæ præsul, neque in locum suum aliquem destinavit; cum utique regula ecclesiastica jubeat non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari. Fit ergo synodus in Antiochia sub præsentia Constantii principis,

consulatu Marcellini et Prohini (*id est, anno Dom. A 340 secundum Cassiod., vel. 541 secundum Baron.*). Erat autem quintus annus mortis Constantini patris Augustorum. Præsidebatque tunc Ecclesiæ Antiochenæ Placitus successor Euphronii. Fautores igitur Eusebii operæ pretium judicantes Athanasio derogare, primum quidem calumniati sunt quasi extra regulam fecisset quam tunc ipsi decreverant: quoniam non ex sententia communis concilii episcoporum receperat sacerdotium, sed sibimet arrogando in Ecclesiam fuisset ingressus. Deinde quoniam ejus adventu turbata genera, plurimi seditione sint mortui; et quia aliqui ab Athanasio cæsi, iudicibus dicebantur esse contraditi. *SOCRATES, lib. II, cap. 5; edit. Christ. Vales. cap. 7 et 8, p. 84.*

Hac derogatione tunc habita constituerunt episcopum in Alexandria, primo quidem Eusebium cognomento Emisenum. *SOCRATES, lib. II, cap. 6; edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 85.*

Quo ordinato, et in Alexandriam ire metuente, Gregorium fecerunt episcopum. His ita gestis, transformaverunt fidem, nihil quidem culpantes Nicæni concilii; sed principium præbentes, quatenus frequentibus conciliis alia subinde mutant et recitantes, terminus fidei paulatim in Arianam vesaniam repedaret. *SOCRATES, lib. II, cap. 7; edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 86.*

CAPUT X.

Epistola Antiocheni concilii de fide, et de bello Francico, et de Antiochiæ terræmotu.

Nos neque sequaces Arii fuimus; quomodo enim episcopi presbyterum sequeremur? Neque aliam quampiam fidem absque exposita antiquitus susceptionis. Sed etiam nos examinatores et cognitores ejus fidei facti sumus; et iudicavimus potius quam secuti sumus. Didicimus enim ab initio credere in unum Deum omnium, Deum universorum intelligibilem sensibilemque creatorem et provisorem, et in unum Filium unigenitum ante omnia sæcula existentem, et cum suo genitore manentem, per quem omnia facta sunt visibilia et invisibilia; et qui in novissimis temporibus per bonam voluntatem Patris descendit, et ex sancta Virgine carnem assumpsit, et omnem voluntatem Patris sui implevit: passus est, et resurrexit, et in caelos ascendit, et in dextera Patris sedet, venturus iudicare vivos et mortuos, et rex permanet in æternum et Deus. Credimus et in Spiritum sanctum. Si autem adjiciendum est, credimus et carnis resurrectionem et vitam perpetuam. Hæc in prima scribentes epistola civitatibus dirigebant. Sed post paululum aliam in Antiochia dictaverunt. Eodem tempore etiam rempublicam eontigit valde turbari. Gens namque Francorum circa Gallias constituta Romanis erat infesta. Tunc enim etiam terræmotus maximus in Oriente factus est, et præcipue in Antiochia, quæ anno jugiter est commota. *SOCRATES, lib. II, cap. 7; edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 86.*

CAPUT XI.

Quomodo Gregorius Alexandriam venerit, et fugerit Athanasius, et quæ mala per Gregorium gesta sint.

Interea Gregorium deducebat in Alexandriam Syrius magister militiæ, et cum eo armati milites numero quinque millia, quibus etiam aderant Arianæ sectatores ibi morantes. Sed quomodo Athanasius ecclesia pulsus, ne caperetur effugit, arbitror esse dicendum. Erat enim vespera, 247 et populus in vigiliis observabat: sperabaturque futura collectio. Inter hæc venit magister militum, et circa ecclesiam per cohortes suos milites ordinavit. Athanasius autem videns quæ fiebant, cogitavit ne propter se ulla læsio populo proveniret. Et præcipiens diacono ut compleret orationem, rursus psalmum fecit imponi. Dumque consonantia psalmodiæ celebraretur, per unam januam ecclesiæ egrediebantur omnes. Quo facto, milites quidem sine commotione steterunt. Athanasius autem inter medios psallentium illæsus abscessit. Et hoc modo fugiens, Romam profectus est. Porro Gregorius Alexandriam tunc præsedet Ecclesiæ. Alexandrinorum vero plebs non terens quod erat gestum, ecclesiam quæ Dionysii nuncupatur incendit. *SOCRATES, lib. II, cap. 8; edit. Christ. Vales. cap. 11, p. 88.*

CAPUT XII.

Quod mortuo Eusebio Paulus in ecclesiam rursus introductus sit, et ab Arianis Macedonium institutus.

Eusebius autem legationem misit ad Julium Romanæ urbis episcopum, rogans ut contra Athanasium iudex esset. Sed quæ de Athanasio decreverat Julius, Eusebius non occurrit agnoscere: quia dum paucum tempus vixisset post concilium, vita privatus est. Quapropter Constantinopolitæ Paulum rursus in ecclesiam introduxerunt. Idem et Ariani in ecclesiam quæ nunc dicitur Pauli ordinaverunt Macedonium. Et hoc gercebant fautores Eusebii successoresque præsumptionis, id est, Theogonius Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleæ, et reliqui. Sed Ursacius et Valens hæretici, postea libellum poenitentiae Julio offerentes episcopo, et consentientes consubstantialitatis verbo, communicare meruerunt. *SOCRATES, lib. II, cap. 9, edit. Christ. Vales. cap. 11 et 12, p. 89.*

CAPUT XIII.

Quomodo Hermogenes magister militum volens Paulum ab ecclesia pellere, a populo sit percipit, et quæ vindicta processerit.

Interea propter Macedonium ingens præliorum flamma surgebat, et intestinum bellum Christianorum in civitate multi sanguinis effusione pullulabat. Quod cum audisset Constantius Antiochiæ positus imperator, Hermogeni magistro militum Thraciarum injunxit ut Paulum ecclesia pelleret. Qui Constantiopolim veniens, maximas turbas egit [*ed., commovit*]: cogens ut pelleretur episcopus. Facta autem seditione, populus erat preparatus ad ultionem. Cumque Hermogenes insisteret ut militari manu ex-

perelleret Paulum, accensus populus, ut fieri solet in talibus, irrationabiliter ei resistebat, ejusque domum incendentes, ipsumque trahentes interemerunt. Hæc gesta sunt consulatu Constantii tertio et secundo Constantis (id est, anno Dom. 341). Quo tempore Constans quidem Francos Romanorum subjecit imperio. Constantius autem de interitu Hermogenis agens, ab Antiochia veredis Constantinopolim venit, et Paulum quidem expulit civitate [ed., urbem damno multavit], urbi vero damna concussit, auferens ei framenti a suo patre collati ultra quadraginta millia modiorum, quæ quotidie frangebantur. Nam pene octoginta millia per dies singulos, urbe Alexandria mittente, primo ministrabantur. Hoc itaque facto Macedonium distulit statuere urbis episcopum; irascebatur enim et adversus eum, non solum quia præter ipsius voluntatem fuerat ordinatus, sed quia propter seditiones inter eum Paulumque factas plurimi perierant, simul et magister militum fuerat interemptus. Dimittens ergo eum missas facere in ecclesia solum in qua fuerat ordinatus, denuo est profectus in Antiochiam. SOCRATES, lib. II, cap. 10; edit. Christ. Vales. cap. 12 et 13, p. 90.

CAPUT XIV.

Quomodo Gregorius ab Alexandria sit remotus, et Georgius Arianus ibi fuerit evocatus.

Ariani præterea Gregorium removens ab Alexandria tanquam odibilem, et quia propter eum factum fuisset incendium, nec non et quia minus eorum sovebat errorem, evocaverunt Georgium Cappadocem Arianae vesaniae. SOCRATES, lib. II, cap. 10; edit. Christ. Vales. cap. 14, p. 91.

CAPUT XV.

Athanasio, Paulo et aliis orthodoxis episcopis Romæ constitutis, quid Orientalibus Julius Romanus scripserit.

Igitur Athanasius relinquens Alexandriam, Romam profectus est. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Constantinopolitanum pontificem illuc una concurrere, et Marcellum Ancyrae, Asclepamque Gazæ. Qui dum Arianis esset adversus, inscriptionem passus ab his, quasi subvertisset altare, damnatus est. Pro quo Gazæorum Ecclesia Quintiano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites episcopus, ob aliam accusationem Ecclesia sua privatus, debebat in urbe Roma. Cognoscens ergo Romanus episcopus crimina singulorum, et omnes Nicæno concilio concordare comperiens, eos in communionem suscepit, tanquam omnium curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulisque reddidit suas ecclesias, et orientalibus scripsit episcopis: culpans quia non recte tractassent viros inculpabiles, de suis ecclesiis eos expellentes, et quod constituta Nicæni concilii minime conservarent. Quorum paucos ad certam diem sibi met adesse præcepit, ut coram eis ostenderet justum se super eis protulisse decretum. Et de cætero non se passurum interminat, nisi ab hujusmodi turbis et novitate cessarent. Et ille qui-

dem hæc scripsit. Athanasius autem et Paulus epistolæ Julii orientalibus episcopis direxerunt, et singuli eorum suas sedes adepti sunt. SOZOMEN., lib. III, cap. 7; edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 507.

248 CAPUT XVI

Quid Orientales Julio rescripserint.

Verum pontifices Orientis graviter hoc ferentes, et in Antiochia congregati (An. Dom. 346), Julio rescripserunt epistolam, ornato quidem stylo compositam, ironia vero maxime plenam, et non sine interminationis qualitate confectam. Fatebantur enim circa omnes Romanorum Ecclesiam esse munificam [ms. Santheod., unicam], veluti quæ apostolicam haberet curam, et antiquitus mater pietatis existeret, licet ab Oriente ad eam prædicatores dogmatis advenissent. Se vero non propterea secundo loco habendos existimabant, eo quod non magnitudine aut multitudine abundantem ecclesiarum, cum vitæ qualitate non cederent; crimenque Julio importabant, eo quod Athanasii sectatoribus communicasse videretur, et tanquam eorum contumelias irrogasset, eorumque sententiam destruxisset; et veluti injustum ejus factum ecclesiasticisque sanctionibus dissonans arguebant. His ita conscriptis, addiderunt quia si susciperet Julius damnationem ab eis factam, et ordinatos episcopos in damnatorum loco firmaret, pacem cum eo et communionem haberent. Si vero placitis ipsorum resisteret, contraria celebrarent; quippe cum orientales episcopi non restitissent, dum Novatus a Romana perelleret Ecclesia. De his autem quæ præter commune placitum de concilio Nicæno gesserant, nihil ei rescribere maluerunt. SOZOMEN., lib. III, cap. 6; edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 507.

CAPUT XVII.

Quid Athanasio Alexandriam remeante provenerit.

Hæc itaque orientales episcopi Julio Romano pontifici rescripserunt. Cum vero Athanasius Alexandriam fuisset ingressus, compressio populæ partis Georgii, qui illic fuerat ordinatus episcopus, vehemens facta est. Et ex hoc dicebant turbas et necesse hominum provenisse, et hujusmodi crimina in Athanasium velut auctorem sceleris referebant, cum hæc in certaminibus frequenter eveniant. Ob quam causam Sabinus Macedoniæ præsul hæreseos, Athanasium frequenter accusat. Qui si cogitaret quanta mala contra Athanasium et Homousianos Ariani gesserunt, aut quanta concilia propter eum celebrata sunt, aut quanta contra omnes Ecclesias Macedoniæ hæresiarches gessit, erubescens forte tacuisset. SOCRATES, lib. II, cap. 11; edit. Christ. Vales. cap. 13, p. 91.

CAPUT XVIII.

Quomodo Paulus denuo Constantinopoli sit expulsus, et quæ necesse introducto in Ecclesiam Macedoniæ sint facta.

Constantius igitur imperator in Antiochia degens, cum audisset rursus Paulum Constantinopolitanum

recepisse sedem, iratus sacra sua misit ad Philippum, qui tunc habebat maximam inter alios iudices potestatem et post principem secundus appellabatur, ut Paulum ecclesia pelleret, et Macedonium introduceret. Præfectus autem Philippus seditionem populi metuens, arte est usus adversus Paulum, et jussionem quidem principis celavit. Simulans autem publicum se habiturum esse tractatum, processit ad thermas vocabulo Zeuxippas, ibique cum honore quasi necessario vocavit Paulum. Cumque venisset, repente præfectus sacra monstravit imperatoris, et episcopus quidem illic injustam sententiam patienter tulit. Porro præfectus metuens multitudinis impetum, quæ ibi convenerat, propter timoris famam, unam fenestram thermarum jussit aperiri, per quam ad palatium ductus Paulus, et missus in payem ad taliã paratam, velociter ductus est in exsilium. Jussitque præfectus ut Thessaloniciæ servaretur, ex qua Paulus fuerat oriundus; quatenus illic licenter viveret, et in aliis Illyrici civitatibus, non tamen ut ad partes Orientis accederet. Hoc itaque modo Paulus inopinabiliter de Ecclesia pulsus est. Philippus autem a thermis ad ecclesiam properabat, cum quo Macedonius residens in vehiculo cum præfecto simul et militibus armis indutus. Hoc facto terror populum apprehendit, et ad ecclesiam concurrerunt universi Homousiani simul et Ariani. Cumque præfectus cum Macedonio ad ecclesiam pervenisset, et populum et milites irrationabilis timor invasit. Cumque esset nimia multitudo, nec posset introire præfectus, milites cœperunt populum violenter impellere; et cum propter angustiam loci recedere non valerent, putantes eos milites sibi velle resistere, evaginatis gladiis in eorum necibus grassabantur. Tunc ergo, sicut fertur, perempti sunt circa tria millia centum et quinquaginta. Alii a militibus interfecti, alii vero compressione sunt mortui. His actis Macedonius tanquam nihil mali gerens, sed veluti mundus et innocens a præfecto magis quam ab ecclesiasticis regulis traditum sibi percepit episcopatum. Tantisque necibus ipse et Ariani Ecclesiæ jura tenuerunt. Hoc tempore imperator majorem ecclesiam fabricabat quæ nunc Sophia vocatur, et est copulata ecclesiæ quæ dicitur Irenê, quam pater imperatoris, cum esset prius modica, ad pulchritudinem magnitudinemque perduxerat; quæ modo velut sub uno circuitu contineri noscuntur. *SOCRATES, lib. II, cap. 12; edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 92.*

CAPUT XIX.

Denuo de calumniis contra Athanasium.

Interea contra Athanasium alia machinatio fabricata est. Ecclesiæ namque Alexandrinorum, Augustorum pater eroganda pauperibus frumenta donaverat; quæ dixerunt Athanasium vendere, et suis utilitatibus applicare. Quod imperator credens, eum jussit occidi. Hoc sentiens Athanasius, latenter effugit. Tunc igitur Julius Romanæ urbis episcopus cognoscens Arianorum insidias adversus Athanasium ma-

chinatas, postquam Eusebii litteras susceperat, evocavit Athanasium, cum audisset locum ubi erat absconsus. Inter hæc suscepit etiam litteras Ægyptiorum episcoporum, asserentium falsa esse quæ contra Athanasium dicebantur. Quo facto Julius rescripsit eis qui fuerant in Antiochia congregati, culpans eos primum de injuriis litterarum, deinde cur eum ad synodum suam non vocassent, canonibus quippe jubentibus extra Romanum nihil decerni pontificem; insuper quia latenter corrumpere fidem, et quia Tyri gesta per subreptionem fuerint et arte composita; et quia contra [*ms. Santheod.*, contraria] jus ex una parte confecerint monumenta gestorum, referens et falsitatem de Arsenio concinnatam. Epistolas ipsas ponere, propter fastidium longæ lectionis omisi. Post paucum itaque tempus, Paulus a Thessalonica simulans se habere iter ad Corinthum, in Italiam venit, una cum Athanasio actus suos imperatori Constanti indicavit. *SOCRATES, lib. II, edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 94.*

CAPUT XX.

De legalis orientalium episcoporum ad Constantem directis pro his quæ gesta erant.

Imperator autem fratri suo Constantio scripsit ut aliquos orientalium episcoporum satisfacturos de quorundam damnatione dirigeret. Quapropter eliguntur tres, Narcissus Irenopolites [*ms. et ed. V.*, Ihermipolita], Cilix episcopus, Theodorus Heracliae Thraciæ, et Marcus Arethuse Syriacæ. Qui venientes in Italiam, facta propria vindicabant, nitentes imperatori persuadere orientalis concilii justam esse sententiam. Cumque fidei suæ confessionem exigerentur, fidem quidem Antiochiæ expositam celaverunt. Aliam vero conscribentes confessionem obtulerunt, multo tamen a Nicæno concilio dissonantem. Videns autem Constans injuste gravatos homines, nec crimina fuisse vera pro quibus dicebantur a communionem suspensi, sed gestum propter dissonantiam fidei; cum satisfacere nequissent pro quo venerant, remisit eos ad propria. Post tres autem annos rursus orientales episcopi Occidentalibus aliam epistolam direxerunt, quam multorum versuum nominaverunt conscriptionem, eo quod ultra priores prolixo eloquio confecta videretur. In qua de substantia quidem Dei nullam fecere memoriam. Eos autem qui dicunt ex non existentibus Dei Filium, aut ex alia essentia, et non ex Deo, et quia fuerit aliquando tempus aut sæculum quando non erat, abdicarunt. Porro Eudoxium Germanicæ episcopum, Martyrium atque Macedonium portitores epistolarum, occidentales noluerunt suscipere sacerdotes, dicentes dogmata Nicæna sufficere, et nihil ulterius oportere tractari. Cumque Constans a fratre petens ut Athanasius suam reciperet sedem, resistentibus hæreticis nihil impetrare valisset, tunc Athanasius et Paulus adeuntes poposcerunt fieri synodum, eo quod pro defensione rectorum dogmatum expulsi probarentur. *SOZOMEN., lib. III, cap. 9. Edit. Christ. Vales. cap. 40, p. 510.*

CAPUT XXI.

Quod Constans fratrem pro fide moverit, et quod Constantius Sardicæ concilium convocari præceperit.

Quod audiens Constans, scripsit fratri: monens ut paternæ pietatis inviolatam servaret hæreditatem, cum et ille imperium gubernando et Romanorum tyrannos evicisset, et in circuitu gentes barbaræ subjugasset. His litteris motus Constantius, præcepit Sardicæ, quæ est civitas Illyrici, et orientales et occidentales convenire pontifices. Multæ siquidem etiam aliæ passionem medicinam synodicam requirebant. Nam et Paulum Constantinopolitanæ urbis episcopum, pro rectis dogmatibus Ariani ad periculum mortis usque perduxerant, tanquam seditiosis auctorem, et alia quædam adjecerant quæ calumniatoribus sunt amica. Quem tamen tunc populus Sardicæ propter inimicorum insidias abduci non est passus. Paulo post autem defuncto Constante, flectentes Ariani levissimam principis voluntatem, et a regia civitate pellentes Paulum, eum ad civitatulam Cucusenam, quæ tunc erat Cappadociæ, nunc vero secundæ Armeniæ, migraverunt [ed., transtulerunt]. Sed non sufficit in hoc cuncta turbantibus vita Pauli mirabilis, licet in solitudine constituti. Mittentes enim ministros necis, eum morti violentissimæ tradiderunt. Et hoc beatus Athanasius refert in satisfactione [ed., Niv. et Frob., apologia] propriæ fugæ, ita dicens. THEODORETUS, *lib. II, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 4, p. 72.*

CAPUT XXII.

Athanasii relatio de nece Pauli Constantinopolitani episcopi.

Episcopum namque Constantinopoleos Paulum persequentes atque comperientes, palam suffocandum esse censuerunt in Cucuso Cappadociæ, habentes auctorem Philippum præfectum. Erat enim eorum hæreseos tunc patronus, et consiliorum minister iniquorum. Hujusmodi enim crudelitates blasphemia Arii germinavit. Contra Unigenitum namque vesaniunt ministri præsumptionum ejus. Hoc itaque modo Paulo defuncto, magisque ad cœlestia regna perducto, Macedonium statuerunt episcopum, quasi consecratorem suum: quoniam proxime [ms. Lyr., maxime] sancto Spiritui blasphemabat. Sed paulo post expulerunt et eum, dum creaturam non confiteretur eum quem Filium Scripturæ dicunt. Quapropter respondendo illis [ed., damnatus ab illis], hæresis propriæ auctor apparuit: consubstantialiam quidem nec iste Patri Filium esse dicens, similem tamen per omnia Genitori docens, creatum vero Spiritum aperte denominans. Hæc itaque non multo post, sicuti diximus, acta sunt. THEODORETUS, *lib. II, cap. 5, p. 75.*

CAPUT XXIII.

De conventu episcoporum in concilio Sardicensi.

Undecimus itaque annus erat ab obitu patris duorum Augustorum: eos autem tunc fuere Ruffinus et Eusebius, quando celebratum est Sardicense con-

cilium [An. Dom. 347]. Ex Hesperis ergo partibus convenerunt episcopi quasi trecenti, sicut Athanasius ait. Ex Orientalibus sex et septuaginta tantummodo, sicuti Sabinius dicit. Inter quos annoverabatur et Ischyras, tanquam Marcoti episcopus, quem damnatores Athanasii in episcopio [ed., in episcopum] hujus provinciæ produxerunt. Excusaverunt se etenim alii per infirmitatem corporis; alii angustas inducias accusantes, et ob hoc 250 Julium Romanum culpantes episcopum: dum utique ante annum et sex menses synodus fuerit prædicata, et Athanasius Romæ degeret, expectans iudicium synodale. Cum ergo Sardicæ Orientales convenissent, ad aspectum Occidentalium venire nolebant, dicentes non aliter se ad verba venturos, nisi suo collegio Athanasiacos et Paulianos expellerent. Dumque Protogenes Sardicensis episcopus, et Osius Cordubæ Hispaniæ non paterentur a concilio removeri Pauli defensores et Athanasii, illi repente discesserunt. Et venientes ad Philippopolim Thraciæ, seorsum fecere concilium, et aperte jam consubstantialitatem anathematizaverunt; et sectam inæqualis substantiæ epistolis conscribentes, ubique miserunt. Qui autem in Sardicæ convenerant, primum quidem horum damnare vesaniam, deinde accusatores Athanasii dignitate privaverunt; et terminum fidei Nicenæ corroborantes, et tractatum de divini substantiæ inæqualitate respicientes, consubstantialitatem apertius tradiderunt, etiam ipsi ubique scripta propria dirigentes. Ex utraque ergo parte arbitrati sunt recte se facere; Orientales quidem, eo quod a se damnatos illi susciperent; Occidentales autem, quoniam ante cognitionem damnatores effugerant; et quoniam hi quidem Nicenam servabant fidem, illi vero eam adulterare præsumperant. Reddiderunt ergo locum Paulo et Athanasio, nec non et Marcello Ancyri Galatiæ, quidudum, sicuti jam dictum est, fuerat condemnatus. SOCRATES, *lib. II, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 20, p. 101.*

CAPUT XXIV.

Litteræ Sardicensis concilii ad universos episcopos.

Quæ vero Sardicæ gesta sint [An. Dom. 350], concilii litteræ clarius edocebunt, quas propter modum explanationis huic scripturæ interponere non omisi.

Sancta synodus Dei gratia Sardicæ congregata ex urbe Roma, Hispaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiris, Thracia, Rhodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrygia, Pamphylia, Lydia, insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Libya, Galatia, Paestina et Arabia, universis episcopis et comministris sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Multa quidem ac sæpius ministri Arianae vesaniæ præsumperunt adversus Dei servos et rectam fidem custodientes. Adulteram namque doctrinam propo-

nentes, orthodoxos expellere sunt conati; et intantum insurrexerunt adversus fidem, ut neque auditus Deo amabilium lateret imperatorum. Igitur gratia Dei cooperante, etiam ipsi piissimi principes ex diversis nos provinciis et civitatibus colligentes, sanctum hoc concilium in Sardicensium celebrari urbe præceperunt, quatenus, ablata omni discordia, et omni perfidia procul expulsa, sola Christi pietas apud omnes inviolata servetur. Venerunt enim Orientales episcopi a piissimis imperatoribus invitati, præcipue propter famam quæ de charissimis nostris fratribus et comministris fuerat divulgata, id est, Athanasio Alexandrino, et Marcello Ancyre Galatiæ, et Asclepa Gazæ; forsan etiam ad vos ipsos detractiones hujusmodi pervenerunt: quoniam [ed., quomodo] etiam nostras aures ventilare conati sunt, ut ea quæ contra innocentes referunt, vera esse credantur, et iniqua hæc hæreseos celetur opinio. Sed hæc diutius facere permissum non est. Etenim præsul Ecclesiarum Dominus est, qui pro his, et pro universis mortem sustinuit, et propter eas ascensum ad cælos nobis omnibus condonavit. Dudum itaque Eusebius, et Maris, et Theodorus, atque Theognianus, Ursacius, et Valens, et Minophantus, et Stephanus, scripserunt Julio comministro nostro Ecclesiæ Romanæ pontifici contra prædictos consacerdotes nostros, id est, Athanasium episcopum Alexandriæ, et Marcellum episcopum Ancyre Galatiæ, et Asclepam Gazæ. Scripserunt quoque ex aliis partibus episcopi, testimonium perhibentes puritati Athanasii consacerdotis nostri; et ea quæ ab Eusebio et consecratoribus ejus gesta sunt, nihil aliud quam mendacis et calumniis plena esse firmantes. Cum utique evocati a charissimo et consacerdote Julio, et non occurrentes, sicut ex scriptis ejusdem episcopi Julii comprobatur, aperte videantur calumniatores existere. Nam si de gestis contra eos habitis præsumpsissent, non retardarentur occurrere. Verumtamen etiam ex his quæ fecerunt in hoc sancto magnoque concilio, eorum machinatio evidenter apparet. Venientes enim in Sardicensium civitatem atque videntes fratres nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam et cæteros, ad iudicium accedere timuerunt; et non semel, non secundo, sed etiam frequenter citati, vocationibus obedire noluerunt; congregatis videlicet in concilio Osio longævo (qui propter ætatem, atque confessionem, tantumque laborem, omni honore dignus apparuit) et reliquis, sustinentibus et invitantibus eos ingredi iudicium; ut quæque contra absentes consacerdotes diffamaverant atque conscripserant, præsentibus ostenderent. Sed, sicuti prædiximus, evocati non venerunt, ut etiam in hoc calumniam propriam ostenderent; et quodammodo respuendo justum iudicium, insidias suas et molimina proclamarent. Nam qui de suis dictis confidunt, etiam ad faciem probare non fugiunt. Quia vero non occurrerunt, nullum vestrum de eis ignorare confidimus. Et si forsan rursus illic quidquam machinari voluerint, sciant omnes quoniam nihil habentes quo possint consacerdotes nostros arguere, absentibus

A detrahunt, præsentibus effugiunt. Fugerunt enim, obarissimi fratres, non solum propter calumniam adversus istos instructam, verum quia suos pro diversis criminibus accusatores occurrisse viderunt. Proferbantur enim vincula et catenæ. Venerant homines ab exilio et consacerdotes, nec non cognati pariter et amici eorum, qui propter istos mortui dignoscuntur. Et quod est admirandum, aderant episcopi, quorum unus quidem catenas gestabat et vincula quibus victus fuerat propter eos. Alii vero eorum insidiis mortem sibi testabantur indictam, quoniam ad tantam superbiam sunt perducti, **251** ut etiam episcopum occidere conarentur, quem nisi fuga liberasset, obierat. Venit etiam consacerdos noster beatus Theodulus, fugiens eorum molimina, quibus fuerat iussus occidi. Alii vero gladiatorum vulnera demonstrabant, alii famem se ab eis passos ingemiscebant; et hæc non quilibet homines testabantur, sed omnes Ecclesiæ, pro quibus hi qui occurrerunt et qui legatione fugebantur, insinuant violentiarum pestes, armatos milites, populos cum fustibus, iudicum terrores, falsarum litterarum objectiones. Lectæ sunt namque litteræ Theognii contra consacerdotes nostros Athanasium, Marcellum et Asclepam, ut etiam imperatores morisso viderentur. Quas litteras diacones Theognii vulgaverunt; super hæc autem virginum nuditates, ecclesiarum incendia, carceres contra sacerdotes nostros adhibitos. Quæ omnia non pro alia re, nisi pro [ed., prælia non nisi pro] detestabili Arianorum hæresi commisisse noscuntur. Quisquis enim eorum respicisset ordinationem atque communionem, his necessario subdebatur injuriis. Conspicientes igitur facinororum suorum angustias, confusi recesserunt. Et ulterius hæc non valentes abscondere, in Sardicensium venerunt urbem, ut per adventum suum quasi talia se nequaquam perpetrasse monstrarent. Videntes autem quibus calumnias irrogaverant, et oppressos a se simul accusatores, et increpationes præ oculis suis habentes, evocati ad iudicium ingredi nequiverunt. Athanasio quippe, Marcello, et Asclepa, nostris consacerdotibus fiducialementer agentibus, et nimis ingemiscentibus, et imminantibus atque provocantibus eos, et promittentibus, non solum se calumnias evidenter ostendere, sed etiam quæ in eorum Ecclesiis deliquissent; illi vero tanto conscientie terrore constricti sunt, ut fugerent, et per fugam suas calumnias aperirent, delictaque sua iudicii declinatione faterentur. Et licet non solum ex prioribus, sed etiam ex istis malitia eorum atque calumniarum patefiant: tamen, ut neque per fugam occasionem alterius iniquitatis accipiant, curavimus contra veritatem facta eorum molimina examinare. Et hoc proposito, ex his quæ gesta sunt eos calumniatores invenimus, et nihil aliud nisi adversus consacerdotes nostros insidias institutas. Nam Arsenium, quem dicebant ab Athanasio peremptum, hic vivit, et inter vivos commorari dignoscitur; ex quo etiam alia probantur esse conflictata. Quia vero etiam calicem divulgaverunt fractum a Macario Athanasii presbytero, testati

sunt qui de Alexandria et Mareote venerant, nihil tale fuisse gestum. Sed etiam episcopi Ægypti Julio consacerdoti nostro scribentes, valde firmabant quia neque suspicio fuisset hujusmodi. Proinde dixerunt monumenta adversus eos fuisse confecta, quæ tamen probatum est ex una parte celebrata: in quibus gestis pagani examinabantur et catechumeni; ex quibus unus catechumenus inquisitus, ait intus se fuisse quando Macarius venerat ad eundem locum. Alter autem interrogatus, dixit illum famosissimum Ischyram tunc ægrotasse, et in cella jacuisse; ut ex hoc appareat nihil gestum ex omnibus sacramentis, eo quod et catechumeni intus fuissent, et Ischyras [ms. *Santhead et ed. V.*, Squires] non adesset, sed jaceret ægrotus. Is namque malignissimus Ischyras mentitus, eo quod Athanasius quosdam sacros incendisset libros, illo tempore ægrotasse declaratus est quando Macarius ibi fuit. Unde etiam ex hoc calumniator apparuit. Denique pro hujusmodi calumniæ mercede dederunt Ischyrae nomen episcopi, qui neque presbyter fuerat aliquando. Duo namque presbyteri qui cum Meletio aliquando degebant, et postea a beato Alexandro episcopo civitatis Alexandrinæ suscepti sunt et cum Athanasio constituti, testati sunt nunquam illum presbyterum fuisse Meletii, neque habuisse Meletium in Mareote ecclesiam vel ministrum; et qui penitus neque presbyter fuerat, nunc eum velut episcopum produxerunt, ut eo nomine in suis calumniis terrere viderentur auditores. Lectæ sunt enim et litteræ consacerdotis nostri Marcelli, et inventa est Eusebii similitumque nequitia. Nam ea, quæ, veluti querimoniam faciens, Marcellus dixit, hæc tanquam ipse confirmaret accusaverunt. Hæc ergo sunt lecta, et reliqua, et præcedentes pariter quæstiones; rectaque hujus viri fides inventa est. Non enim a sancta Maria, sicut isti firmabant, dedit Deo Verbo principium, neque finem habere asseruit ejus imperium; sed regnum ejus et sine principio, et sine termino esse conscripsit. Asclepas autem comminister obtulit monumenta Antiochiæ confecta sub accusatorum præsentia, et Cæsariensis Eusebii, et ex sententia judicantium episcoporum se ostendit innocuum. Recte siquidem, o charissimi fratres, evocati frequenter, obedire noluerunt, recte quoque fugerunt. Conscientia namque sua perterriti, per fugas suas calumnias indicaverunt; et quæ præsentibus accusatores super eis dixerant, etiam probaverunt. Ad hæc autem etiam eos qui dudam accusati propter Arianam hæresim fuerant, et projecti non solum susceperunt, sed etiam in majori ordine posuerunt, diacones ad presbyteratum promoventes, presbyteros ad episcopatum, non ob aliud, nisi ut impietatem seminare et dilatare potuissent et fidei corrumpere pietatem; sunt autem horum principes, Eusebius, Theodorus Heracleæ, Narcissus Neroniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodicæ, Acacius Cæsareæ Palæstinæ, Minophantus Ephesius, Ursatius Sigiduni [ed. *Frob.*, Mygdoni] Mysiæ, Valens Mirsi Pannoniæ. Isti namque convenientes cum Orientalibus non sinebant eos nec in sanctum concilium in-

A gredi, nec omnino accedere ad ecclesiam Dei. Et venientes in Sardicam conciliabula apud semetipsos per loca singula faciebant, et acta quædam cum terroribus concinnabant; quatenus nihil penitus ad iudicium perveniret, neque sanctum possemus celebrare concilium. Hæc omnia cognoscere potuimus a consacerdotibus nostris Macario Palæstino et Asterio Arabiæ, qui cum eis venerant, et ab eorum perfidia recesserant. Hi namque ad sanctum concilium venientes, violentiam quam passi sunt narraverunt, nihil dicentes apud eos agi rectum: insuper adjicientes quia dum essent rectæ fidei, prohibiti fuissent ab eis ad hæc loca venire, et propter interminationem vix ab eis intercedere [ed. *Niv. et Frob.*, discedere] potuissent. Ob hanc causam Sardicam venientes, in una domo cuncti manserunt, neque brevi tempore a se recedere patientes. Quia vero nos tacere non decuit, nec sine vindicta relinquere calumnias, vincula, necesse, vulnera, concinnationes falsarum epistolarum, verbera, nuditates virginum, exsilia, destructiones ecclesiarum, incendia, migrationes a minoribus civitatibus ad majores Ecclesias, et præ omnibus **252** adversus rectam fidem nunc Arianam vesaniam per eos crudeliter insurgentem. Propterea charissimos quidem fratres nostros et comministros Athanasium Alexandrinæ civitatis episcopum, et Marcellum Ancyrae Galatiæ, et Asclepam Gazæ comministrantes Christo, innocios et puros esse decrevimus: scribentes ad uniuscujusque parochiam, ut singularum Ecclesiarum populi cognoscentes sui episcopi puritatem, eum se episcopum et habere et sperare cognoscant; eos autem qui in eorum Ecclesiis luporum instar ingressi sunt, id est, Gregorium in Alexandria, Basilium in Ancyra, Quintianum Gazæ, nec episcopos nominandos, nec Christianos, nec quamlibet penitus cum eis habendam esse communionem, nec eorum litteras habendas, nec scribendum eis. Theodorum vero Heracleæ Europæ, et Narcissum Neroniadis Ciliciæ, Acacium Cæsareæ Palæstinæ, et Stephanum Antiochiæ, Ursacium Sigiduni Mysiæ, Valentem ex Mirsia Pannoniæ, Menophantum Ephesi, et Georgium Laodicæ, licet metuentes ab Oriente non venerint, tamen eo quod a beatorum memoriarum Alexandro civitatis Alexandrinæ pontifice sint damnati, et eo quod secum Arianos habeant, et propter crimina eis illata, generali eos decreto sanctum concilium episcopatu deorsum; et decrevimus non solum episcopos eos non esse, sed neque communionem cum fidelibus promereri. Eos enim qui dividunt a paterna substantia et divinitate, et alienant Verbum a Patre, dividi ab Ecclesia catholica convenit, et esse alienos a nomine Christiano. Sicut igitur a nobis et omnibus anathema, eo quod verbum veritatis videantur esse cauponati. Apostolicum namque præceptum est: *Si quis vobis annuntiaverit præter quod accepistis, anathema sit (Galat. 1, 9)*. His ergo nullum communicare denuntiate; nulla enim *communio luci ad tenebras (II Cor. vi, 14)*. Hos pellite procul ab omnibus [ms. *Lgr.*, ab hominibus]; nulla enim *concordia Christo ad Belial*. Servate vos, fratres charissimi, ut neque scribatis eis,

neque eorum scripturas suscipiatis. Studete simul, vos charissimi fratres et comministri, tanquam spiritu præsentes nostro concilio consentire, atque subscriptione vestra decernere, quæ ab omnibus ubique comministris nostris consonantia una serventur. Abdicamus autem illos, et extra terminos Ecclesiæ catholicæ procul abjicimus, qui non affirmant ^a, quia Deus est Christus, sed aiunt, verus Deus non est, quia Filius est; sed verus Filius non est, ne genitus sit simul et ingenuus. Sic enim se intelligere natum profitentur, quia sic dixerunt, quod natum est factum est. Et quia cum Christus ante sæcula sit, dederunt ei principium atque finem, quod non in tempore, sed habet ante sæcula. Proinde duæ viperæ ex aspidè Ariana progressæ sunt, Valens et Ursacius, qui gloriantur, et non dubitant se dicere Christianos: profitentes quoniam Verbum, et quoniam Spiritus, et vulneratus, et interfectus, et mortuus est, et resurrexit; quodque cohors studet hæreticorum, diversas esse substantias Patris, et Filii, et Spiritus sancti pronuntiant, et eas esse divisas. Nos autem hanc percepimus, et eruditum sumus, hanc habemus catholicam apostolicamque traditionem, et fidem atque confessionem, unam esse ^{*} substantiam nominantes Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et si quærant quæ sit Filii substantia, profitemur eam esse quæ Patris: indubitanter nunquam Patrem sine Filio, neque Filium sine Patre fuisse credentes, nec esse potuisse, quod est Verbum Spiritus. Absurdum namque est dicere, aliquando Patrem non fuisse Patrem. Patrem enim sine Filio neque nominari, nec esse potuisse. Est enim ipsius Filii testimonium: *Ego in Patre, et Pater in me* (Joan. xiv, 11); et, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Nullus nostrum negat natum: sed quibus natum ^b? Omnibus quæ invisibilia et visibilia nuncupantur. Opifex est archangelorum, et angelorum, et mundi, et humani generis, quoniam ait: *Omnium artifex sapientia docuit me* (Sap. vii, 21). *Et omnia per ipsam facta sunt* (Joan. i, 3). Non enim semper esse potuerat, si sumpsisset exordium: quandoquidem Verbum, quod semper est, non habet initium. Deus autem nunquam terminum habet. Non dicimus Patrem Filium esse, neque rursus Filium Patrem esse; sed Pater Pater est, et Filius Patris est Filius. Confitemur virtutem esse Patris Filium. Confitemur Verbum Dei Patris esse, præter quod aliud non est, et Verbum verum Deum, et sapientiam, et virtutem, verumque Filium tradimus. Et non sicut cæteri filii nominantur, ita Filium dicimus: quoniam illi aut gratia regenerationis dii erunt, aut eo quod digni flant, filii nuncupantur, neque propter unam substantiam quæ est Patris et Filii. Confitemur item et unigenitum et primogenitum; sed unigenitum Verbum dicimus, quod semper fuit, et est in Patre; primogenitum autem quantum ad hominem. Sed tamen differt a creatura communi:

^a Ed. Froh. et Niv., qui affirmant: Quod Deus est Christus, sed verus Deus non est; Quod Filius est, sed verus Filius non est; Quod genitus est, simul et ingenuus.

quoniam et primo genitum a mortuis. Confitemur unum esse Deum. Confitemur unam Patris Filiique divinitatem; neque quisquam negat aliquando Patrem Filio majorem, non propter aliam essentialiam, non propter differentiam, sed quia ipsum nomen Patris majus est filio. Hæc autem illorum blasphemia atque corruptibilis interpretatio est; hac gratia eum dixisse contendunt: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30), propter concordiam et unanimitatem. Sed reprobovimus omnes catholici intellectum eorum fatuum et abjectum, sicuti mortalium hominum. Qui, quoniam corrumpi cæperunt, offendentes discordare noscuntur, et ad permutationes ascendunt: hoc modo distantiam et discordiam inter Patrem Deum omnipotentem et Filium esse posse dicentes; quod absurdum est intelligere, et aliquatenus arbitrari. Nos autem et credimus et affirmamus, et sic intelligimus, quoniam sacra Scriptura locuta est: *Ego et Pater unum sumus*, propter essentialitatem, quæ est una et eadem Patris et Filii, et credimus semper sine principio et sine termino hunc regnare cum Patre, et non habere nec tempus, nec defectum ejus imperium, quia semper est; nunquam enim esse cæpit, ideoque nec deficere poterit. Credimus et percipimus Paracletum sanctum Spiritum, quem nobis ipse Dominus promisit et destinavit, et eum credimus missum. Sed is passus non est, sed homo, quo indutus est, quem assumpsit ex Maria Virgine, qui pati potuit sicut mortalis. Deus autem immortalis est. Credimus quia tertia die resurrexit, non Deus in homine, sed homo in Deo resurrexit, quem et obtulit Patri suo donum, quem utique liberavit. **253** Credimus autem quoniam opportuno tempore atque definito omnes et de omnibus ipse judicabit. Tanta siquidem eorum stultitia, et ita crassitudine tenebrarum eorum mens excæcata est, ut nequeant lumen cernere veritatis, nec intelligere qua ratione dictum est: *Ut et ipsi in nobis unum sint* (Joan. xvii, 21). Palam vero est cur dixit unum: quoniam apostoli Spiritum sanctum Dei acceperunt; sed tamen ipsi non erant spiritus, nec aliquis eorum aut Verbum, aut Sapientia, aut Virtus, aut Unigenitus erat. *Sicut ego et tu*, inquit, *unum sumus, sic et isti in nobis unum sint* (Ibid.). Certissime igitur Scriptura divina hoc distinxit: In nobis, inquit, unum sint; non ait, sicut nos unum sumus ego et Pater; sed discipuli in semetipsis conjuncti et copulati unum sint, et fidei confessione, in gratia et pietate Dei Patris, et Domini et Salvatoris nostri confessione et charitate unum esse possint.

Ex his litteris agnoscitur et accusatorum calumnia, et priorum iniquitas iudicum, et dogmatum vera salubritas. Non solum enim de divina nos beati Patres docuere natura, sed etiam eruditionem dispensationis explanaverunt. THEODORETUS, lib. ii, cap. 8, edit. Christ.

^b Ed. Froh. et Niv., Sed genitum ante omnia, quæ invisibilia, etc.

^{*} Redundat, ut mihi videtur, aut esse aut nominantes. Epit.

CAPUT XXV.

De legatis Sardicensium ad Constantium destinatis, et de nefanda machinatione contra eos a Stephano Antiocheno præsule concinnata.

Hæc Constans agnosceus, doluit quidem, levitatem fratris inspiciens, et infremuit adversus instigatores malorum et imperatoris facilitatem ita decipientium. Duos autem episcopos ex Sardicensi concilio electos cum litteris misit ad fratrem, cum quibus et magistrum militum Salianum pietate justitiaque fulgentem. Litteræ vero non solum monitionem habuerunt atque consilium, sed etiam interminationem pio principi concedentem. Primum quidem enuntiavit fratri ut episcopis præberet auditum, et iniquitates a Stephano aliisque præsumptas agnosceret, nec non et Athanasium gregi proprio restitueret; patefacta quidem calumnia, priscorumque iudicium iniquitate et crudelitate revelata; adjecitque, quia nisi vellet quod justum est facere, ipse ad Alexandriam pergeret, et Athanasium ovibus desiderantibus restauraret, inimicorumque catervas procul expelleret. Hanc autem epistolam Constantius in Antiochia suscipiens, promisit se facturum quæ qualitas temporis annuebat. Sed in his perterriti veritatis impugnatore, nefandissimum machinati sunt malum. Applicuerant etenim sacerdotes a concilio destinati remotiore in loco. Magister vero militum aliam mansionem acceperat.

Porro Stephanus tunc Antiochenus episcopus, cum aliis tyrannidis cooperatores, naves naufragio præparabat, cum quibus assertores rectorum dogmatum variis nitebatur absorbere calumniis. Horum itaque erat dux quidam juvenis Onager nomine, cum asperitate veniens [*ed.*, licenter vivens], et iniqua conversatione congaudens, qui non solum in plateis diversos tormentis afficiebat, et fistibus lacerabat, sed etiam domos impudenter invadens, viros ac mulieres honestissimas abstrahabat. Et ne longius ejus extendam calliditatem, contra optimos viros præparatam narrabo præsumptionem. Is enim Onager ad quamquam fornicariam veniens, ait quosdam nuper venisse peregrinos, et noctem habere necessariam meretricis. Porro sumens quindecim indisciplinatos, et eos in vicino episcoporum metato celans, perrexit cum meretrice ad januam ubi illi viri quiescebant. Eamque apertam inveniens, persuasit uni puerorum, pecunia data, ut mulierem introduceret intra januam quam ipse monstrabat, ibi quippe uterque sacerdotum dormire videbantur, eamque mulierem interius præcepit accedere: ipse vocaturus socios est egressus. Contigerat enim unum seniore episcopum Euphratam nomine in loco exteriori dormire. Vincentius autem (sic enim dicebatur alter) in interiori cubiculo quiescebat. Cumque intra ostium puella venisset, sonum pedum Euphratas cognoscens, dum esset obscurum, quis ambularet interrogavit. Illa vero loquente, conturbatus Euphratas, demonemque pulans esse mulieris imitatum vocem, repente Salvatorem Christum ad suum vocavit auxilium. Onager autem dux iniquitatis hujus, hoc facto

A cum sociis est ingressus, iniquos clamans eos, et iniquitatis iudices destinatos. Multoque clamore facto, concurrerunt et servi, surrexitque Vincentius, et claudentes januam domus, septem quidem calumniatorum comprehendere potuerunt. Onager vero cum reliquis fugit. Delenta tamen est cum illis et mulier. Diluculo autem magistrum militum qui cum illis venerat, excitantes, ad palatium processerunt. Et præsumptiones Stephani proclamantes, dicebant jam non egere iudicio, neque verberibus iniquitates ejus. Magister vero militum præcipue clamitabat: rogans ut juberet imperator non synodice, sed judicialiter potius iniquam examinari præsumptionem: promittens primum se episcoporum clericos traditurum, et oportere etiam ministros Stephani ita contradi. Cumque ille impudenter contenderet, dicens clericos non subdendos esse verberibus, placuit et imperatori et iudicibus, ut intra palatium causæ proveniret examinatio. Et primum quidem interrogare mulierem, quis eam ad metatum deduxisset episcoporum. Quæ dixit quemdam juvenem ad se venisse, et adventum indicasse peregrinorum, et quod opus haberent, et quia vespere veniens deduxisset eam ad habitaculum quoddam, eamque intra januam domus et porticum introire præcepit. Adjecit etiam inquisitionem episcopi, et terrorem factum, et orationem ejus, et supervenientium repentinas invasiones.

Hæc iudices agnoscentes, captum inter alios juvenem ad medium deduxerunt. Qui non expectans necessitatem verberum, machinatum consilium patefecit, et Onagram hæc omnia perpetrasse confessus est. Qui deductus ad medium, Stephanum dixit hæc omnia præcepisse. Sic igitur Stephani cognoscentes iniquitatem, presentibus tunc episcopis permiserunt ut eum damnarent, et ab ecclesia procul expulsus est. Non tamen ab Ariana peste Ecclesia liberata est. Nam Leontius post eum ordinatur, genere Phrygius, voluntate nequissimus. Verum Constantius ea quæ contra episcopos fuerant machinata, experimento cognoscens, scripsit Athanasio maximo et semel, et secundo, et tertio, invitans eum ut a 254 partibus remearet Hesperis, sicut ipsis litteris indicatur. THEODORETUS, *lib. II, cap. 8, 9 et 10, p. 83, 84.*

CAPUT XXVI.

Epistola Constantii ad Athanasium, ut ad eum veniret.

Constantius victor Augustus Athanasio episcopo. Plurimum te circumferri et fluctuari ferocibus maris undis nostræ mansuetudinis clementia non permisit. Patria quippe terra nudatum, et privatum propriis rebus, errantemque per loca invia bestiarum, indefecta nostra pietas non despexit. Ideoque tibi diu distuli scribere voluntatis meæ propositum: sperans sponte te ad nos forte venturum, et laborum satisfactionem a nobis exigere. Verumtamen, quoniam forte timor impedivit voluntatis tuæ propositum, litteras largitate plenissimas ad tuam beatitudinem [*ms. Lyr.*, benignitatem] destinavimus, ut sine metu nostris aspectibus velociter tuam præsen-

tiam præbere festines; quatenus desiderio tuo potius, experiaris nostram clementiam in propriis restitutus. Hac etenim causa et dominum meum fratremque Constantem Victorem Augustum pro te rogavi, ut tibi potestatem ad nos tribuat veniendi, ut ambobus nobis annuentibus, restitutus in patria, habeas maximum gratiæ nostræ pignus. SOCRATES, *lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 107.*

CAPUT XXVII.

Alia epistola ejusdem pro eadem re.

Constantius Victor Augustus Athanasio episcopo.

Licet prioribus nostris litteris significaverimus, quatenus sine sollicitudine ad nostrum debeas venire comitatum, eo quod maxime velimus te ad propria destinare; tamen et nunc has litteras ad tuam direximus sanctitatem; per quas invitamus ut sine aliqua incredulitate vel metu ascendens, publicis vehiculis ad nos venire festines, ut quæ desideras possis adipisci. SOCRATES, *lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 108.*

CAPUT XXVIII.

Tertia Constantii epistola pro eodem.

Constantius Victor Augustus Athanasio episcopo.

Dum in Edessa degeremus, præsentibus presbyteris tuis placuit ut ad te destinatis presbyteris ad nostrum debuisses festinare comitatum; quatenus videns nostrus aspectus, repente properares ad Alexandriam. Sed quoniam plurimum præterit tempus ex quo suscipiens a nobis litteras non occurristi, propterea etiam nunc commoneo te festinavimus, ut vel nunc tuam præsentiam nobis velociter præsentare contendas, et ita possis patriæ tuæ restitui, tuæque securus oratione frui. Ad plenam vero cognitionem Achitum diaconum destinavimus, a quo possis agnoscere etiam nostri animi voluntatem, et quoniam ea quæ optas poteris impetrare.

Has epistolas in Aquileia suscipiens Athanasius, illic enim relicta Sardica morabatur, mox recurrit ad Romam, et ostendens litteras episcopo Julio, in maximo gaudio Ecclesiam fecit esse Romanam. Putabatur enim etiam Orientis imperator eorum fidei consentire, eo quod ad se Athanasium fiducialiter evocaret. Julius autem in Alexandriam clericis atque plebi hæc de Athanasio scripta direxit. SOCRATES, *lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 108.*

CAPUT XXIX.

Epistola Julii ad Alexandrinos pro Athanasio.

Julius archiepiscopus presbyteris, et diaconibus, et plebi, habitantibus in Alexandria, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

Congraudeo vobis et ego, dilectissimi fratres, quoniam fructum vestræ fidei ante oculos jam videtis. Hoc etenim vero gestum quilibet inspiciet in fratre et coepiscopo nostro Athanasio, quem propter puritatem vitæ suæ et vestras orationes restituit vobis Deus. Ex hoc itaque creditur puras et charitate plenas orationes vestras ascendisse semper ad Deum. Memores enim estis promissionum cælestium atque dilectionis quam ex doctrina prædicti fratris mei

A Athanasii didicistis, et integrum cognovistis secundum insitam vobis fidem quam percepistis: quoniam non usque ad finem is a vobis possit abduci, cujus orationes in sanctissimis animabus vestris tanquam præsentibus semper habuistis. Ergo non plurimis mihi verbis opus est vobis scribere. Quæcunque enim vobis a me potuerint dici, hæc jam fides vestra processit, et divina gratia communis orationis nostræ vota complevit. Congraudeo siquidem vobis; iterum enim dico, congraudeo, quoniam inexpugnatas animas in fide servastis. Sed etiam ipsi fratri meo Athanasio non minus congraudeo: quia licet multam sit passus tristitiam, neque una hora vestri desiderii et charitatis oblitus est. Nam licet corpore ad tempus a vobis sit abstractus, tamen spiritu vobiscum semper degere videbatur. Et ego quidem, charissimi fratres, omnem tentationem contra eum surgentem reor sine gloria non fuisse. Nam et vestra, et ejus fides cognita est universis et comprobata. Si enim non tanta et talia provenissent, quis crederet quia aut vos tale judicium tantamque charitatem circa talem exhibuisset episcopum, aut ille potuisset tantis circumdari virtutibus, per quas spe cælesti fraudatus non est? Promeruit igitur quolibet modo et nunc, et in futuro etiam confessionis gloriosum martyrium. Frequenter enim terra marique plurimum æstuatus, omnem pravitatem Arianae conculcavit hæreseos; et crebro per invidiam usque ad periculum impulsus contempsit mortem, munitus omnipotente Deo et Domino Jesu Christo Salvatore nostro: sperans et inimicitias declinare, et consolationi vestræ restitui: deferens vobis majora tropæa ex fortissima conscientia, pro quibus 255 et usque ad terminos terræ lotius apparuit gloriosus. Fiduciam itaque habens sui propositi cælestisque doctrinae, clarificatus est immortalis iudicio, et ad vos revertitur. Diligendus igitur apud vos clarior nunc est, quam tunc quando profectus a vobis est. Nam si materias pretiosas, id est aurum atque argentum, ad purgandum ignis probat, quid dignum dici poterit de tali tantoque viro, qui cum tantas tribulationes et pericula devicisset, redditur nunc vobis immaculatus: non a nobis solummodo, sed comprobatus ab omni concilio? Suscipite siquidem nunc, fratres charissimi, cum omni divina gratia pastorem vestrum ac præsullem, tanquam vere D Athanasium, cum his qui tantis laboribus ejus participes sunt effecti; et gaudete fruentes orationibus qui pastorem vestrum, ut ita dicam, esuritis atque sitiitis, quando etiam ipsi vestram sanctitatem salutaribus scripturis cibastis atque potastis. Nam cum degeret in peregrinis, vos ei consolatio fuistis, et in persecutione atque periculis refovistis eum fidelissimis vestris animabus et mentibus. Ego siquidem jam exulto considerans et ratione prospiciens in ejus reversione uniuscujusque vestrum gaudium, et plebis votivas occurSIONES, et concurrentium gloriosam festivitatem; et qualis ille vobis erit dies et quantus, remeante scilicet fratre meo, et quiescentibus priscis malis quorundam machinatione sarcitis; nec non pretiosa ac votiva reversione cunctos in quadam

plenissimi gaudii lætitia copulante. Hujusmodi vero gaudium usque ad nos magnitudine sua pertingit : quibus divinitus hoc etiam constat esse concessum, quatenus et nos debeamus ad laudem tanti viri consurgere. Sed melius est ut epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens, et ejus unigenitus Filius Dominus et Salvator noster Jesus Christus hoc gaudium vobis præbeat in æternum : dignum tribuens præmium admirabili vestræ fidei, quam circa pontificem vestrum glorioso testimonio demonstratis ; ut et vos et qui vobiscum sunt hic et in futuro meliora possideatis : *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I Cor. II, 9)*. Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et cum quo omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum, Amen. Valere vos opto, charissimi fratres. *SOCRATES, lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 109.*

CAPUT XXX.

Quid Constantius petierit Athanasium, et quid Athanasius Constantium, et quomodo, orthodoxis pontificibus recipientibus suas Ecclesias, hæretici sint expulsi.

His itaque litteris confidens Athanasius, ad Orientem venit. Quem Constantius imperator non tunc moleste suscepit ; sed eum circumvenire tentabat, molitione submissus Arianorum, et dixit ad eum : Sedem equidem tuam decreto concilii nobisque consentientibus recepisti ; sed quia sunt aliqui in Alexandria populi tuam declinantes communionem, unam eos in civitate ecclesiam habere permittit. Ad hanc propositionem Athanasius mox occurrit, et ait : O imperator, potestatem habes jubere simul et agere quæcunque volueris. Sed etiam ego beneficium a te deosco, quod mihi concedi precor. Principe vero continuo se daturum esse pronuntians, repente subjunxit Athanasius, idem beneficium sibi largiri petens, quod quærebat imperator accipere. Unam enim et ipse ecclesiam postulabat dari per singulas civitates declinantibus Arianorum communionem. Igitur Athanasii sententiam inutilem sibi cognoscentes Ariani, hoc quidem differendum esse dixerunt, et agendum quod placeret imperatori : quia imperator Paulo, et Athanasio, et Marcello, et Asclepæ Gazzæ, et Lucio Adrianopoleos secundum ea quæ in concilio Sardiceno placuerant, proprias restituerat sedes. Unde principalia sacra [id est, sacræ litteræ principis] per singulas civitates ad eorum mittebantur ecclesias, quibus jubebatur ut eos repente susceperent. Igitur in Ancyra, expulso Basilio, et pro eo introducto Marcello, non fortuita turba provenit, quæ derogationem contraria sapientibus irrogavit : Asclepam vero continuo Gazzæi susceperunt. In Constantinopolitana civitate Macedonius ad modicum tempus Paulo successit, apud semetipsum in Ecclesia remota collectiones agens. Pro Athanasio tamen solo imperator episcopis, et clericis, atque plebi scripsit, ut eum libenter susceperent. Insuper etiam quæ contra eum in judiciis acta fuerant, aliis litteris aboleri jussit. Quæ vero de ambabus rebus scripta

A sunt, hæc esse noscuntur. *SOCRATES, lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 111. (An. Dom. 350.)*

CAPUT XXXI.

Epistola Constantii per quam omnia gesta contra Athanasium habita sunt cassata.

Victor Constantius Maximus, pius, episcopis et presbyteris catholicæ Ecclesiæ salutem.

Reverendissimus episcopus Athanasius non est Dei gratia derelictus ; nam licet brevi tempore humana fuerit probatione submissus, tamen debitum providentiæ universa perspicientis [Ms. Lyr., prospicientis] noscitur suscepisse decretum : recipiens voluntate Dei nostroque judicio patriam suam, pariter et Ecclesiam cujus divino nutu præsul exstabat. Huic enim consequenter oportebat nostram adesse mansuetudinem ; quatenus omnia adversus eum, et ejus communicatores definita, omnisque suspicio et illusio contra eum gesta, de cætero sit inanis et vacua ; et relevatio, quam dudum clerici ejus habuerunt, competenter firma permaneat. Sed etiam hoc ejus gratiæ adjiciendum esse censuimus, quatenus omnes ordinis sacri cognoscant, concessum omnibus sibi conjunctis, ut sine timore sint, sive episcopi, sive sint clerici ; sufficit enim unicuique circa eum rectæ voluntatis unio. Quicumque enim meliori judicio atque parte constituti, hujus eligunt communionem, hos omnes præcipimus ad instar præcedentis providentiæ, etiam nunc voluntate Dei, nostræ gratiæ largitatem adipisci. *SOCRATES, lib. II, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 112. (An. Dom. 350.)*

256 CAPUT XXXII.

Epistola Constantii ad Alexandrinos, ut reciperent Athanasium.

Victor Constantius Maximus, Pius, populo Alexandrino Ecclesiæ catholicæ salutem.

In omnibus perhibentes nostræ æquitatis intentionem, scientesque quoniam diu providentiæ vestri contemplatoris estis alienati, id est, pontificis Athanasii, qui propter insertam rectitudinem, suorumque morum probitatem cunctis innotuit, eum denuo ad vos destinare censuimus. Hunc itaque consuete et competenter suscipientes, et apud clementem Deum adiutorem orationum habentes, vobis congruam simul et nobis placitam concordiam atque pacem secundum Ecclesiæ sanctionem ubique probatæ [Ms. Lyr., prolatæ] sufficienter festinate servare. Non enim rationabile est aliquam discordiam inter vos agitari, aut tumultum nostrorum temporum disciplinæ contrarium ; et hoc quidem abesse a vobis omnino volumus. Orationibus autem sufficienter, eo scilicet præsule et adiutore apud Deum, vos instare solemniter admonemus ; quatenus tali proposito ad omnium vota perveniente, etiam gentiles idolorum errori hactenus servientes, ad cognitionem sacræ religionis sub alacritate festinent. O charissimi nobis Alexandrini, rursus igitur admonemus ut in his quæ dicta sunt persistatis, et omnes episcopum decreto

superno noſtraque ſententia deſtinatum libenter et pie A ſuſcipiatis, et toto animo totaque voluntate amplectendum exiſtimetis. Hoc enim et vos decet, et noſtræ manſuetudini noſcitur convenire. Ut autem omnis turbæ ſeditionis occaſio perimatur, iudicibus apud vos habitis, litteris noſtris præcipimus, quatenus omnes, quos ſeditioſos agnoſcerint, legitime vindictæ ſubſciant. Utraque igitur perſpicientes, et noſtram cum Deo ſententiam, et rationem profeſſionis veſtræ, nec non et ſupplicium contra ſeditioſos indictum, competenter et congrue ſacræ religionis iura ſervate. Prædictumque Deo amabilem virum omni reverentia et honore colite; et orationes una cum eo pro vobis ipsis et noſtræ vitæ favore [*Ms. Theod.*, fautori] omnium Salvatori Deo letanter offerite. SOCRATES, lib. II, cap. 18. *Edit. Chriſt. Vales. cap. 23, p. 113.*

CAPUT XXXIII.

Epistoſa Conſtantii pro Athanaſio, ut aboleretur quidquid contra eum geſtum eſt.

Victor Conſtantius Auguſtus Neſtorio ſalutem,

Eadem vero forma præſidibus Auguſtorum Nicææ, Thebaidis et Libyæ ſcriptum eſt. Quidcunq; dudum ad læſionem et injuriam Athanaſio epiſcopo communicantium reperitur actum, hoc nunc aboleri præcipimus. Nam et miniſterium quo privati fuerant ejus clerici, eoſdem ruruſus volumus obtinere. Hanc itaque præceptionem noſtram ſervari cenſemus; quatenus Athanaſio epiſcopo ſuæ Eccleſiæ reſtituto, communicatores ejus habeant miniſterium quod ſemper habuerunt, quod etiam reliqui clerici habere noſcuntur, ut et ipſi gaudio potiuntur. SOCRATES, lib. II, cap. 18. *Edit. Chriſt. Vales. cap. 23, p. 114.*

CAPUT XXXIV.

Quomodo Athanaſius Alexandriam ſit reverſus.

Tantis et talibus epiſtoliſ munitus ſanctiſſimus Athanaſius, per Syriam aggreſſus venit in Palæſtinam, apprehenſenſque Hieroſolymam, et epiſcopo Maximo innotescens geſta Sardiceni concilii, et quia Conſtantius imperator illorum decreto iudicioque conſenſerat, præparavit ut epiſcoporum illic habitantium ſynodus ageretur. Maximus autem in nullo ſignis de Syria atque Palæſtina univerſos evocavit epiſcopos. Factoque concilio reſtituit et ipſe beato Athanaſio communionem et dignitatem. Scripſitque etiam ipſa ſynodus Alexandrinis, et omnibus in Ægypto, et Libyis epiſcopis, clericis atque plebi, ea quæ de Athanaſio geſta atque decreta ſunt. Ob quam rem valde Maximo detraxerunt Athanaſii derogatores epiſcopi: quoniam primitus deponens eum, ruruſus ex pœnitentia tanquam nihil fuiſſet actum, ſententiam pro Athanaſio protulit, quæ cum communionem ei dignitatemque præberet. Hæc agnoſcentes Urſacius et Valens, qui circa Arianum dogma ſtudioſe primitus ardentem habuerant, declinantes a priori voluntate Romam profecti ſunt, libellumque pœnitentiæ Julio offerentes epiſcopo, et in conſubſtantialitatis conſenſere ſermone, et litteras Athanaſio direxerunt, ſequæ ei de cætero communicare profeſſi ſunt. Sic itaque tunc Urſacius et Valens geſtis Athanaſii ſuperati, converſi [*Ms. Lyr.*, reverſi] ſunt.

Athanaſius ergo per Peluſium pergebat ad Alexandriam. Transiens autem per civitates, edocebat ut Arianos univerſi declinarent, et conſubſtantialitatis dogma complecterentur. In quibusdam vero eccleſiis ordinationes fecit. Et hoc fuit initium alterius querelæ adverſus eum, quia in aliorum eccleſiis ordinare præſumpſit. Hæc itaque de Athanaſio provenerunt. SOCRATES, lib. II, cap. 19. *Edit. Chriſt. Vales. cap. 24, p. 114.*

CAPUT XXXV.

Quibus occaſionibus tunc reſpublica turbabatur, et de diſiſione Antiocheni populi propter fidem.

Interea reſpublica fortuitis caſibus urgebatur: unde quæ ſunt capitularia non eſt incongruum breviter explanare. Igitur quia, ædificatore Conſtantinopolitanæ civitatis moriente, tres ejus filii imperium ſuſceperunt, in præcedentibus eſt narratum. Sciendum autem quia cum iſtis imperavit conſobrius eorum, nomine Dalmatius, vocabulum patris habens; qui dum paululum imperaſſet, a militibus interemptus eſt, non jubente Conſtantio ut occideretur, nec tamen prohibente. Dum vero Conſtantine minor fratris partes invaderet, et ipſe a militibus congreſſione facta peremptus eſt. Hoc autem jam sæpe dictum eſt. Poſt mortem vero Conſtantini minoris, Perſicum 257 contra Romanos motum eſt bellum, in quo Conſtantius proficere non valebat; nam cum nocte prælium circa fines Romanorum atque Perſarum fuiſſet geſtum, validiores tunc Perſæ ad breve tempus inventi ſunt. Quo tempore neque C Chriſtiani ſub quiete degebant, ſed per Athanaſium de conſubſtantialis verbo circa Eccleſias erat pugna. SOCRATES, lib. II, cap. 20. *Edit. Chriſt. Vales. cap. 25, p. 115.*

Denique apud Antiochiam non concordabant in profeſſione ſua clerus et populus; ſed per choros, ut eſt conſuetudo, ad hymnos dicendos Deo in fine psalmodum monſtrabant propriam voluntatem. Et hi quidem Patri et Filio, ſicut æqui honoris, gloriam dicebant; hi vero Patri in Filio, per interpoſitionem præpoſitionis, Filium ſecundum eſſe monſtrantes. Hiſ ita geſtis, hærens quid ageret Leontius, qui illo tempore ex hæreſi adverſa ſedem Antiochiæ gubernabat, cum prohibere non præſumeret eos qui ſecundum traditionem Nicæni concilii psallerent Deo: quia metuebat ne ſeditio naceretur in populo, hæc dixiſſe fertur, tangens caput ſuum jam canum: Hac, inquit, nive ſoluta, lutum congeretur immenſum. Per hoc oſtendens quod ſe defuncto ſeditionem populo generaret illa diſcordia quæ in hymnis fiebat, non patientibus ſuis ſucceſſoribus cum populi varietate ſentire. Athanaſius igitur veniens ad Ægyptum, innotuit ſynodales epiſtolas Julii Rom. pont., inſuper et ſynodalem Maximi Hieroſolymitani, quæ talia continere dignoſcuntur. SOZOMEN., lib. III, cap. 19. *Edit. Chriſt. Vales. cap. 20, p. 533.*

CAPUT XXXVI.

Epistoſa Hieroſolymitani concilii ad Ægyptiacos epiſcopos.

Sancta ſynodus Hieroſolymis congregata per Ægy-

ptum, Libyam et Alexandriam constitutis presbyteris, diaconibus et plebi, fratribus desideratissimis, in Domino salutem.

Cunctorum Deo digne gratias agere non valemus, fratres charissimi; in quibus enim miracula semper egit, etiam modo cum Ecclesia vestra fecit: pastorem vestrum, et dominum, consacerdotemque nostrum Athanasium vobis sua pietate restituens. Quis enim aliquando speravit oculis carnalibus intueri, quem nunc et nos et vos inspicitis, respicientes quem videre desiderastis? Sed vere orationes vestrae a Deo omnium sunt auditae, qui curam habet Ecclesiae suae, et vestras lacrymas atque gemitus semper inspexit; quapropter vestras audivit preces. Eratis enim sicut oves abjectae et fatigatae, non habentes utique pastorem. Propterea visitavit vos coelitus Pastor verus, et de propriis ovibus curam gerens, restituit vobis quem noscimini concupisse. Ecce enim et nos omnia pro ecclesiastica pace facientes, vestraeque dilectioni conspirantes, in ejus amplexu praecessimus; et communicantes ei per eum vos alloquimur, scriptaque praesentia destinamus. Itaque secundum gratifica vota vestra, scitote nos quoque cum eo vinculo charitatis obstrictos. Debetis ergo etiam pro pietate Deo amabilium nostrorum imperatorum incessanter orare, quoniam et ipsi cognoscentes vestrum desiderium, eum vobis restituere destinarunt. Omni ergo honore tensis manibus suscipientes illum, gratificas orationes offerte Deo, qui vobis talia condonavit. Festinate siquidem semper in Deo gaudere, et glorificare Dominum, per quem et cum quo Patri est gloria in saecula saeculorum, Amen. Veniens igitur Athanasius in Aegyptum, quos quidem agnovit Arianorum sectatores deposuit. Quibus a se depositis, Ecclesias eorum praecipit fidem tenere Niceni concilii, eamque summo studio custodiri. SOZOMEN., lib. III, cap. 21. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 535.

CAPUT XXXVII.

De Magnentio tyranno, et de Britannone atque Nepotiano.

Sic itaque se rebus habentibus Magnentius tyrannus circa partes eversit Hesperias (an. Dom. 352); qui Constantem imperatorem Occidentalium partium, facto dolo, circa Gallias interemit. Quo gesto, intestinum inflammatum est bellum. Magnentius etenim tyrannus cunctam tenebat Italiam, Africamque, et Libyam, simul et Gallias. In Illyrico vero et in Sirmio aliud rursus a militibus exortum est bellum per tyrannum nomine Britannionem. Sed etiam Romam tumultus non fortuitus detinebat. Fratruelis namque Constantini Nepotianus nomine imperium assumpsit, monachorum virtute suffultus, et Nepotianum quidem Magnentii milites deposuerunt; Magnentius autem procedens, universas partes vastabat Hesperiae. Horum igitur omnium malorum immensa confusio brevi tempore generata est. Quarto enim anno post Sardicense concilium, haec acta noscuntur consulatione Sergii et Nigriani (id est anno Dom. 350). His itaque nuntiis apparebat quia ad Constantium solum imperii jura pervenissent; quo propectu, contra ty-

rannos semetipsum quo poterat praeparabat. SOCRATES, lib. II, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 116.

CAPUT XXXVIII.

De insidiis contra Athanasium gestis, et de levitate Constantii.

Advrsari siquidem Athanasii opportunum se tempus invenisse judicantes, rursus adversus eum machinabantur. Tunc imperatori Constantio suggererunt quia omnem Aegyptum subvertisset et Libyam. Invidiam vero maxime auxit ejus, eo quod ordinationes in parochiis fecisset alienis. Athanasius interea, dum venisset ad Alexandriam, synodum Aegyptiorum congregavit episcoporum. Qui consona decreverunt Sardicensi concilio atque Hierosolymis celebrato. Constantius igitur imperator, dudum et ipse Arianorum secta praecipue, omnia quae paulo ante ei placuerant in contrarium demutavit. Et primum quidem Ecclesiae Constantinopolitanae pontificem Paulum deportari jussit exilio; quem deducentes, in Cucuso Armeniae suffocarunt. Marcello autem denuo projecto, Ecclesiam Ancyranam Basilius rursus invasisit. Lucius autem Adrianopoleos ferro vinctus, in carcere moritur. Tantumque valuerunt quae de Athanasio dicebantur, ut in immensum furorem cadens imperator, eum ubicunque reperiretur juberet occidi: cum quo Theodulum et Olympium praesules Ecclesiarum Thracensium. Igitur Athanasium voluntas imperatoris non latuit, sed praesentens, fuga dilapsus est et minas principis declinavit. Cujus fugam dilataverunt Ariani, praecipue Narcissus Neroniadeus episcopus, Georgius Laodiciae, et Leontius tunc Antiochena praesal Ecclesiae. Is enim cum presbyter esset, dignitate privatus est, quia cum muliere Eustolia nomine degens, et turpem suspicionem celare volens, genitalia sibi met abscondidit, et de caetero quidem fiducialiter cum muliere vivebat. Postea vero studio imperatoris Constantii in Antiochena Ecclesia ordinatur episcopus post Stephanum, qui primitus successerat Placito. Haec igitur de his dicta sufficiant. SOCRATES, lib. II, cap. 21. Edit. Christ. Vales. cap. 26, p. 116.

CAPUT XXXIX.

De Macedonio ejusque crudelitate.

Eo tempore Constantinopoli Macedonius tenebat ecclesias, Paulo scilicet amputato praedicto modo. Qui de imperatore praesumens, Christianis commovit bellum, et non minus quam quod tyranni eo tempore faciebant: suadens enim imperatori ut ei ecclesias vastanti ferret auxilium, egit ut lege firmarentur quaecunque pessime agere nitebatur. Muniens enim semetipsum monasteriis plurimis, quae ipse propria voluntate in Constantinopolitana urbe constituit, et pactis episcoporum in circuitu positorum, frequenter dicitur afflixisse Pauli dogmata sapientes. Et primum quidem expulit eos ex ecclesiis, deinde vero communicare sibi cogit, ita ut plurimi plagarum immanitate deficerent, alii vero substantiis, alii humana

civilitate privarentur, aliis in frontibus characteres ponerentur, ut essent hujusmodi signo notati. Hæc itaque faciebant per omnes Orientis urbes, præcipue tamen Constantinopoli. Quam persecutionem primo tardantem Macedonius auxit episcopus. Hælladicæ vero civitates Illyrici, necnon et Hespericæ partes manebant immotæ. SOCRATES, *lib. II, cap. 22. Edit. Christ. Vales. cap. 27, p. 117.*

LIBER QUINTUS.

259 CAPUT PRIMUM.

Quod defuncto Constante rursus Ariani Constantium adversus Athanasium excitaverint.

Brevi siquidem tempore prætereunte, defuncto Occidentis imperatore Constante, Constantium fautores Arii compulerunt, Athanasii ad eum memoriam revocantes, quasi ipse fuisset qui ei fratrem fecerit inimicum, ita ut pene disruptis naturæ vinculis usque ad bella descenderent. Illis incitantibus Constantius motus, non solum expelli, sed etiam perimi sacratissimum Athanasium imperavit. Et mittens quemdam Sebastianum ducem cum maxima militari manu, velut erroneum jussit interimi. Quomodo autem et ille cum exercitu venerit, et iste diffugerit, ipse qui passus et mirabiliter liberatus est melius enarrabit; nam in satisfactione suæ fugæ sic ait. THEODORETUS, *lib. II, cap. 15, p. 87.*

CAPUT II.

Quid Athanasius in satisfactione suæ fugæ retulerit.

Verumtamen exquirant modum etiam discessionis, et agnoscant a suis. Erant enim Ariani cum militibus concurrentes ut eos accenderent et ignorantibus nos ostenderent; et licet sine ulla compassione sint, vel audientes tamen confusi quiescant. Erat itaque jam nox, et aliqui populorum ad vigiliis venerant, expectabatur futura die collectio. Dux autem repente astitit cum militibus ultra quinque millibus habentibus arma, et gladios enudatos, arcus, sagittas et vectes; et ecclesiam quidem ipse circumdedit, statuens milites sibimet cohærentes, ut nullus posset egredientium ab ecclesia eorum manus evadere. Ego vero irrationabile judicans in tanta confusione populum derelinquere, et non magis ante illos pericula sustinere, residens in sede præcepi ut diaconus psalmum legeret, populis respondentibus: *Quoniam in sæculum misericordia ejus (Psal. cxvii, 1);* et sic omnes in domos suas abierunt [*ed.*, abierunt]. Sed duce postea ingrediente, et militibus sacrarium circumdantibus ut nos capere potuissent, clerici quidem qui sunt inventi, simul et populi clamabant, poscentes ut et nos discederemus una cum populo. Ego vero magis e diverso dicebam non nos discedere, nisi omnes sigillatim prius exirent. Surgens itaque oratione facta, sic præcepi universos abscedere, melius esse dicens me periculo subjacere, quam quenlibet eorum excipere læsionem. Egredientibus igitur plurimis, et reliquis subsequentibus, quidam monachi qui ibi nobiscum fuerant, et aliqui clericorum ascendentes traxerunt nos; et ita testis est ipsa veritas. Militibus aliis sacrarium circumdantibus, aliis per ecclesiam discurrentibus, per medium eorum, Domino iter dante

atque custodiente, pericula cuncta transivimus, Deum magnifice glorificantes, quoniam neque populum neci tradidimus, sed etiam quatenus salvaretur actum est, et manus quærentium nos effugere prævaluimus. THEODORETUS, *lib. II, cap. 13, p. 87.*

260 CAPUT III.

Quid Athanasius rursus de gestis Georgii in libro de fuga sua retulerit.

Quæ etiam Georgius eodem tempore in Alexandria gesserit, ipsius Athanasii, qui hæc passus est voce narremus. In libro enim quem de fuga sua scripsit, hæc ait: Igitur in Alexandria surrexerunt denuo nos quærentes occidere. *Et facta sunt novissima pejora prioribus (Matth. xii, 45).* Repente namque milites circumdantes ecclesiam, pro orationibus prelia celebrabant. Ingrediente namque Quadragesima Georgius ex Cappadocia ab eis missus, auxit mala quæ illorum calliditate didicerat. Post septimanam itaque Paschæ, virgines mittebantur in carcerem, episcopi vincti a militibus ducebantur, orphanorum et viduarum domus abripiebantur, et invasiones in domibus agebantur, et noctibus Christiani deponebantur, ob-signabantur domus, et fratres clericorum pro fratribus pericula sustinebant. Hæc quidem pessima, sed graviora postea sunt præsumpta. Septimana enim quæ fuit post sanctam Pentecosten, populus jejunans est egressus ad cæmeterium orationis causa, eo quod omnes communionem Georgii declinarent. Sed hoc agnoscens ille nequissimus ipse concitavit Sebastianum ducem Manichæum, qui cum multitudine militum armatorum, gladios evaginos, arcus, sagittasque ferentium, factò impetu in ipso die dominico, super populum irruit; et paucos orantes inveniens, cum jam plurimi discessissent, talia gessit qualia ab eis decebat impleri. Incendio namque facto, statuens virgines secus ignem, cogeat eas ut se profiterentur Arianas. Cumque eas cerneret esse victrices, et de igne nullo modo cogitare, sic earum vultus laceravit, ut vix agnosci post tempora potuissent. Tenens autem et quadraginta [*ms. Lyr.*, quadringentos] viros tormento noviore discerpit. Sectis namque de palma virgis et habentibus suos aculeos, eorum dorsa ita verberibus laceravit, ut quidam eorum sæpius a medicis incisi sint propter spinas quæ eorum dorsis inhærebant; alii vero, dum non ferrent tormenta, mortui sint. Eos autem qui vivere potuerunt, et quamdam virginem exilio deportavit in maximam Oasim [*ed.*, Stasim]. Corpora vero mortuorum primo quidem reddi non passus est, sed celavit, insepulta relinquens ea, ut quasi tanta crudelitas latere videretur. Hoc autem agunt qui mentis errore desipiunt.

Nam cum parentes mortuorum gauderent equidem propter confessionem, flerent autem propter corpora defunctorum, potius eorum impietatis iudicia personabant. Post hæc autem ex Ægypto atque Libyis exsilio deportaverunt episcopos Ammonium Muium, Gaium, Philonem, Hermen, Plenum, Psenosirim, Nilamonem, Agathonem, Anagamphum, Ammonium, Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum et presbyteros Hieracem et Dioscorum; et sic eos acerbissime per itinera compulerunt, ut quidam eorum in ipsis itineribus, alii vero per exsilia morerentur. Fugaverunt autem episcopos plus quam triginta, habentes studium secundum Achab, ut, si possent, amputarent penitus veritatem. SOCRATES, *lib. II, cap. 25. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 118.*

Super hæc igitur Athanasius etiam consolatorios libros virginibus illis scripsit quæ crudelissimas per-tulerunt passiones, dicens inter hæc: Propterea nemo vestrum sit tristis, licet et sepulturam vobis denegent impii et prohibeant vos efferrî. Nam usque ad hoc nequitia pervenit Arianorum, ut et portas clauderent, et circa sepulturarum loca, veluti dæ-mones, residerent, ne quis sepeliretur fidelium dilectorum [*ms. Lyr., electorum*]. Hæc ergo et his similia Georgius in Alexandria faciebat. Sanctus autem Athanasius nullum locum munitum cautelæ suæ putabat, cum utique aut vivum eum deduci, aut mortuum decollari, et caput ejus imperator sibi jussisset afferri. Pro qua re etiam præmium maximum compromisit hujusmodi aliquid nuntianti. THEODORETUS, *lib. II, cap. 14, p. 90.*

CAPUT IV.

Quemadmodum Britannio sit privatus imperio.

Imperator interea in Illyricum castrametatus est, coge-bat eum publica necessitas, et maxime Britan-nionis, qui per milites Augustus fuerat appellatus. Cumque venisset in Sirmium, mutuo fœderibus habi-tis Britannionem vidit. Actumque est ut milites qui eum constituerant transirent ad favorem Constantii. Quo facto, solum Constantium imperatorem Augu-stum voce emissa clamaverunt (*an. Dom. 351*). Cum-que de Britannione nulla memoria fieret, ille repente sentiens se traditum, ad pedes se prostravit impera-toris. Porro Constantius auferens ejus coronam si-mul et purpuram, clementer ei locutus est, monens ut sub schemate privato quiesceret; quod utique ejus ætati potius conveniret, quam habere nomen sollici-tudinibus onustatum; jussitque ei sumptus uberrimos ex publicis functionibus exhiberi. Cumque in Prusa Bithyniæ Britannio moraretur, Constantius scripsit ei, dicens quia multorum bonorum ei causa fuisset, quem a tantis cogitationibus et malis ipsi provenien-tibus liberasset; nec se bene fecisse, quia quæ sibi restare debuerat, illi potius impendisset. SOCRATES, *lib. II, cap. 25. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 120.*

CAPUT V.

De Gallo Cæsare, et de signo crucis quod tunc in cælo apparuit.

Tunc igitur imperator Gallum consobrinum suum

Cæsarem fecit. Cui suum nomen imponens in Syriam Antiochiæ destinavit, ut partes per eum custodirentur Orientales. Quo Antiochiam veniente, circa Orientem signum Salvatoris apparuit. Columna nam-que sub specie crucis in cælo visa maximo mi-raculo conspicientibus fuit. Alios autem suos duces cum multo exercitu contra Magnentium destinavit. Ipse vero in Sirmio morabatur, et rei sustinebat eventum. Tunc igitur et Photinus Ecclesiæ præsul aperte dogma quod ipse compererat exponebat. SOCRATES, *lib. II, cap. 24. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 120.*

Dicebat autem: Deus quidem omnipotens unus, qui in proprio Verbo condidit universa. Ante sæcula vero nativitatem et existentiam Filii dicere fugiebat, sed ex Maria natum docebat Christum (*anno Dom. 355*). SOZOMEN., *lib. IV, cap. 5. Edit. Christ. cap. 6, p. 542.*

261 CAPUT VI.

De Photino hæresiarchâ ejusque damnatione.

Quamobrem tumultu surgente, jussit imperator concilium in Sirmio congregari. Convenitque illic ex Orientalibus quidem Marcus Arethuse, et Georgius Alexandrinus, quem remoto Gregorio ordinaverant Ariani. Venit etiam Basilius expulso Marcello Ancyræ præsule, Paucratius Pelusii, Hippacianus Heracleæ; Occidentalium vero Valens Myrsenus, et tunc famo-sissimus hominum Osius Cordubæ pontifex, pariter invitus. Isti siquidem post consulatum Sergii et Nigriani (*id est an. Dom. 351*) (quo anno propter bellorum turbas nullus consulum fuerat solemniter ordinatus) convenerunt in Sirmio, et Photinum (dog-ma Sabellii Libyensis et Pauli Samosatani sæpe cogno-scentes) repente damnaverunt. SOCRATES, *lib. II, cap. 24. Edit. Christ. Vales. cap. 29, p. 121.*

CAPUT VII.

Fides exposita in Sirmio cum capitulis subjectis

Post hæc de fide propositiones ediderunt, unam Græce, aliam Latine, multum sibi-textu sensuque concordēs. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 6, p. 542.*

Tunc etenim quasi antiqua fidei dogmata reprehenden-tes, alias propositiones de fide sanxerunt. Et unam quidem Attico eloquio Marcus edidit Arethuse, sed cum Romana lingua concordiam non habentem neque sermone, neque compositione, sed nec ipsi Græcitati convenientem. Unam itaque Latine a Marco compo-sitam hic subjungamus; secundam vero, quam in Arimino postea relegerunt, loco proprio ponemus, cum ea quæ ibi gesta sunt dixerimus: utraque tamen in Græcitatē conversa est. Marcus ergo hoc modo expositionem de fide dictavit:

Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, creatorem et factorem universorum, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur; et in uni-genitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Chri-stum, qui ante omnia sæcula ex Patre natus est; Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia in cælis et in terra, visibilia et invisibilia:

Verbum existens, et sapientia, et lumen verum, et vita; qui novissimis diebus propter nos humanatus est ex sancta Virgine, et crucifixus, et mortuus, et sepultus, et resurrexit a mortuis tertia die, et ascendit in cœlum, et sedet in dextera Patris, et venturus est in consummatione sæculi iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua. Cujus imperium sine fine existens, in sæcula permanet infuita. Erit enim sedens in dextera Patris, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum Paracletum, id est consolatorem, quem promittens apostolis post ascensionem ad cœlos esse mittendum, ut doceret et commemoraret eis universa, transmisit. Per quem etiam sanctificantur animæ credentium in eo veraciter.

Eos autem qui dicunt ex non existentibus Filium, aut ex altera essentia, et non ex Dei; et, quia erat tempus aut sæculum quando non erat, alienos novit sancta Ecclesia catholica. Rursus igitur dicimus:

1. Si quis Patrem et Filium duos deos dicit, anathema sit.

2. Et si quis Deum Christum ante sæcula Filium Dei, ministrantem Patri ad creationem universorum non confitetur, anathema sit.

3. Si quis ingenuum, aut Patrem ejus ex Maria natum dicere præsumit, anathema sit.

4. Si quis secundum præscientiam ante Mariam dixerit Filium esse, et non ante sæcula ex Patre natum apud Deum esse, et per ipsum omnia facta (Joan. 1, 3), anathema sit.

5. Si quis substantiam Dei dilatari aut contrahi dixerit, anathema sit.

6. Si quis dilatatam substantiam Dei Filium dixerit facere, aut dilatationem ejus substantiæ Filium nominaverit, anathema sit.

7. Si quis affectivum, aut prolativum verbum dixerit Dei Filium, anathema sit.

8. Si quis hominem solum dixerit Filium, qui ex Maria est, anathema sit.

9. Si quis Deum et hominem ex Maria dicens, Deum ingenuum eundem intelligit, anathema sit.

10. Si quis illud quod scriptum est: *Ego Deus primus, et ego postea, et præter me non est Deus* (Isai. XLIV, 6), cum in destructionem idolorum et deorum existentium dictum sit, ad destructionem magis unigeniti ante sæcula Dei, Judaice percipit, anathema sit.

11. Si quis audiens, *Verbum caro factum est*, Verbum in carnem mutatum putaverit, aut conversione facta suscepisse carnem, anathema sit.

12. Si quis unigenitum Filium Dei crucifixum audiens, corruptionem, aut passionem, aut conversionem, aut mutationem, aut peremptionem sustinuisse dicit, anathema sit.

13. Si quis quod scriptum est: *Faciamus hominem* (Gen. 1, 26), non Patrem ad Filium dicere, sed ipsum ad semetipsum asserit dixisse Deum, anathema sit.

14. Si quis contra Jacob non Filium tanquam ho-

minem luctasse (Gen. xxxii, 21), sed ingenuum Deum, aut Patrem ejus dixerit, anathema sit.

15. Si quis illud quod scriptum est: *Pluit Dominus a Domino* (Gen. xix, 22), non de Patre et Filio perceperit, sed ipsum a semetipso pluere dixerit, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.

16. Si quis audiens Dominum Patrem, aut Filium Dominum, et Dominum Patrem et Filium, et Dominus a Domino dicens, duos asseruerit Deos, anathema sit; non enim coaptamus Filium Patri, sed subditum novimus. Neque enim descendit in corpus sine voluntate Patris, neque pluit a semetipso, sed a Domino, auctoritatem videlicet præbente Patre. Neque sedit a dextris a semetipso, sed a dextris, dicente Patre: *Sede a dextris meis* (Psal. cix, 1).

17. Si quis Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unam personam dicit, anathema sit.

18. Si quis Spiritum sanctum Paracletum dicens ingenuum asserit Deum, anathema sit.

19. Si quis, sicuti docuit nos, non alium dicit Paracletum præter Filium; ait enim: *Et alium Paracletum mittet vobis Pater, quem ego rogabo* (Joan. xiv, 16), anathema sit.

20. Si quis Spiritum dicit partem Patris aut Filii, anathema sit.

21. Si quis Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, tres dicit Deos, anathema sit.

22. Si quis consilio Dei tanquam unam creaturarum factum asserit Filium Dei, anathema sit.

23. Si quis nolente Patre natum Filium dixerit, anathema. Non enim invitus et vim passus Pater necessitate naturali, quasi nolens, genuit Filium; sed illico, ut voluit, etiam sine tempore et sine passione ex semetipso genuit eum.

24. Si quis ingenuum et sine principio dicit Filium tanquam duos sine principio, et duo ingenua dicens, et duos faciens Deos, anathema sit. Caput enim est et principium omnium Filii, caput autem Christi Deus. Sic enim ad unum omnium principium, quod est sine principio, per Filium pie omnia referuntur. Rursus autem subtiliter inspicientes Christianum sensum, dicimus:

25. Si quis Christum Deum Filium Dei ante sæcula, ministrantem Patri ad omnem creationem non dixerit, sed ex quo ex Maria natus est, ex tunc dicit Filium et Christum esse vocatum, et initium percepisse, ut Deus esset, anathema sit, sicuti Samosatenus. SOCRATES, lib. II, cap. 25. Edit. Christ. Vales. cap. 30, p. 121.

CAPUT VIII.

Alia fides exposita Sirmii Latine, quam nos ex Græco transtulimus; et de disputatione Photini.

Quoniam de fide quemdam placuit fieri tractatum, omnia caute quesita sunt et exposita Sirmii sub præsentia Valentis, et Ursacii, atque Germani, et cæterorum. Constat unum Deum esse Patrem omnipotentem, sicut etiam in omni orbe terrarum annuntiat. Et unum unigenitum Filium ejus Jesum Christum Dominum et Deum, Salvatoremque nostrum ex

eo ante sæcula genitum; duos autem Deos non oportere dici, quoniam et ipse Dominus ait: *Ibo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (Joan. xx, 17). Propterea et omnium Deus est, sicuti etiam Apostolus docuit: *Judæorum Deus non solum, nonne et Græcorum et gentilium? Utique. Quoniam circumcisio ex fide, et præputium per fidem* (Rom. iii, 29, 30); et cætera quidem omnia consonant, et nulla remanere videtur discordia. Quia vero multos movet sermo Latinus substantiæ, quæ Græca lingua dicitur *οὐσία*, ut scrupulosissime cognoscatur *ὁμοούσιον*, hoc est ejusdem substantiæ, aut *ὁμοιοῦσιον*, id est similis substantiæ, non oportet horum sermonum quamdam omnino fieri mentionem, neque de his exponi apud Ecclesiam: propter hanc causam ac rationem, quia in sanctis Scripturis nihil tale conscriptum est, et quoniam hæc ultra humanam scientiam et intellectum sunt, et quia nullus potest generationem Filii narrare, sicut scriptum est. *Generationem ejus quis enarrabit* (Isai. Liii, 8)? Hoc enim sciendum, solum Patrem nosse quemadmodum Filium generavit, et rursus Filium, quomodo ipse de Patre sit genitus. Nulli vero dubium est majorem esse Patrem honore, et dignitate, atque divinitate, et ipso nomine paterno esse potiozem, testificante Filio ipso: *Qui me, inquit, misit Pater, major me est* (Joan. xiv, 28). Et hoc esse catholicum nullus ignorat, duas personas esse Patris et Filii; et Patrem quidem majorem, Filium vero subjectum cum omnibus quæ ei Pater subjecit ejus; Patrem vero initium non habere, et invisibilem, et immortalem, et impassibilem esse; Filium vero natum ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine, et hujus nativitatem, sicuti prædictum est, nullum nosse, nisi solum Patrem. Ipsum vero Filium Dominum et Deum nostrum, carnem seu corpus, hoc est hominem assumpsisse, sicut et angelus annuntiavit, et omnes Scripturæ docent, et maxime ipse Apostolus doctor gentium: hominem assumpsit Christus ex Maria Virgine, per quem passus est. Apex autem totius fidei et firmamentum est, ut Trinitas servetur semper, sicut in Evangelio legimus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Integer autem atque perfectus est numerus Trinitatis. Paracletus vero Spiritus sanctus per Filium missus, venit secundum promissionem, ut apostolos et omnes credentes sanctificaret. His igitur explanationibus, etiam post damnationem, Photinum consentire et subscribere suadebant, promittentes ei reddere episcopatum, si per penitentiam anathematizaret dogma quod ipse compererat, et in eorum sententia consonaret. Ille vero eorum quidem propositum non suscepit; sed provocavit eos ad disputandum. Quapropter definito die imperatoris voluntate convenerunt præsentibus episcopi et senatorum non pauci, quos præceperat adesse disputationi princeps. Inter quos restitit Photino Sabinus, Ecclesiæ tunc Ancyrae præsul, exceptoribus voces eorum conscribentibus. Magnaque certamina sermonum inter utramque partem facta noscuntur, victusque Photinus

A damnatus est. Et in fuga consistens, de cætero libros utraque lingua conficiebat, quoniam neque Latino sermone videbatur ignarus. Scripsit quoque contra omnes hæreses, proprium studens dogma firmare. Et de Photino quidem hæc dicta sufficiant. Sciendum tamen quoniam Sirmio convenientes episcopi, penitentia ducti sunt in expositione fidei Latina lingua prolata. Post editionem namque sibi eam contrariam judicabant. Quam studuerunt ab episcopis qui eam jam subscripserant reddi, quoniam celabatur [*ms. Santheod.*, celebrabatur] a plurimis. Imperator autem edictis quæri præcepit editionem ipsam, supplicium minatus si quis eam celasse comperiretur. Sed neque terror destruere potuit quod semel fuerat institutum, et quod apud multos haberetur. Et de his quidem B ista dixisse sufficiat. SOCRATES. *lib. ii, cap. 25, edit. Christ.*

CAPUT IX.

De Osio Hispano.

Quia vero et de Osio Hispano, invito illuc veniente, fecimus mentionem, breviter etiam de eo dicendum est. Ante paululum tempus iste vir molimine Ariatorum fuerat missus exsilio. Tunc autem studio eorum qui Sirmio convenerunt eum evocavit imperator, volens eum aut suasionem aut necessitate concordare presentibus. Hoc enim factum, maximum fidei eorum putabatur esse testimonium. Quapropter, sicuti dixi, ex necessitate venit. Et dum eis consentire **263** respueret, tormenta longævus, plagasque perpressus est; unde etiam necessitate vehementi expositionibus tunc editis consensit atque subscripsit. Hunc ergo terminum habuerunt quæ tunc Sirmio gesta noscuntur. Imperator autem Constantius morabatur in Sirmio, et belli, quod gerebatur contra Magnentium, exspectabat eventum. SOCRATES, *lib. ii, cap. 26. Edit. Christ. Vales. cap. 31, p. 126.*

CAPUT X.

De Magnentio tyranno et de tyrannide Sylvani.

Interea Magnentius ad seniores perveniens Romam, multos peremit senatorum ac populi. Et agnoscens vicinos esse contra se Constantii milites, abcessit ad Gallias partis occidentalis. Cumque illic bellum sæpius inter alterutros exercebant, modo isti, modo illi victores esse videbantur. Novissime autem devictus Magnentius, fugit in Mirsam, quod est Galliarum castrum; vidensque suos milites quasi de perditione tristes, stans celsiore loco, eos nitebatur allocutionis consuetudine confortare. Tunc illi favorem solitum Magnentio exhibere præparati, e diverso nolentes, clamaverunt omnes: Constanti Auguste, tu vincas. Hoc augurium Magnentius traxit ad semetipsum, tanquam ei non divinitus concederetur imperium. Et propterea relinquens castrum ad ulteriora tendebat. Sequentibus autem Constantii militibus, circa Seleucum montem facta congressione, solus fugiens venit in Lugdunensem urbem; comperiensque suam matrem et fratrem, quem Cæsarem constituerat, interfectos, novissime interfecit et semetipsum, consulatu Constan-

ti sexto, et Constantis Galli secundo (*Id est, an. A. Dom. 353*), Augusti die quinto decimo. Non post multum vero tempus, etiam Decentius, alter ejus frater, semetipsum strangulavit. Sed neque sic circa rempublicam quies venit. Nam post paululum apud Gallias Occidentales Sylvanus quidam tyrannus est exortus, quem duces Constantii velociter peremerunt. *SOCRATES, lib. II, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 32, p. 127.*

CAPUT XI.

De resultatione Judæorum, et de tyrannide Galli Cæsaris atque peremptione.

Porro Judæi in Diocæsarea Palæstinæ resistentes, vicina loca turbabant; et sumentes arma, tentabant resultare Romanis. Post hæc itaque Gallus Cæsar cum Antiochiæ degeret, exercitu destinato eos apprehendit, civitatemque vastavit. Cumque videretur sibi prospere gessisse, felicitatem non ferens, accessit ad tyrannidem. Et non insinuans imperatori suam intentionem, quæstorem vocabulo Magnum, et Domitianum præfectum Orientis occidit. Ob quam rem Constantius indignatus, evocavit eum. Qui cum contemnere non valeret, pergebat ad principem. Cumque contra insulam Flaconensem venisset, eum illic Constantius præcepit interimi. *SOCRATES, lib. II, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 33, p. 128.*

CAPUT XII.

De Juliano Cæsare, et quod Julio successerit Liberius.

Post paululum vero tempus Constantius Julianum Galli fratrem Cæsarem constituens, contra barbaros direxit in Gallias. Gallus vero, qui et Constans septimo Constantii consulatu et sui tertio (*An. Dom. 354*), ita perimitur. Julianus sequenti consulatu Arbitionis et Juliani [*lege ex Cass. Chron., Lolliani*], constituitur Cæsar, die septimo mensis Novembris. *SOCRATES, lib. II, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 34, p. 128.*

Sablatis itaque tyrannis, requiem malorum videbatur habere Constantius; et deserens Sirmium, veniebat ad seniore[m] Romam, illic volens triumphum de tyrannicis exercere manubiis. Credens autem ea occasione posse utriusque partis episcopos in dogmate concordare, rursus synodum in Italia celebrandam esse constituit. Interea Julius papa, cum quindecim annis Romanam rexisset Ecclesiam, moritur. Cui successit Liberius. *SOZOMEN., lib. IV, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 345.*

CAPUT XIII.

De Aetio hæretico.

Igitur in Antiochia Syriæ alter hæresiarchus emergit Aetius, cognomento Sine Deo (*An. Dom. 356*). Is enim eadem quæ Arius sapiebat; sed ab Arianis se segregabat, eo quod Arium in sua communione recepissent. Qui, sicuti prædictum est, aliud mente gerens, aliud voce confessus est; dum terminum synodi Nicænæ suscipiens subscripsisset, volens circumvenire tunc principem; propterea ergo Arianos Aetius declinabat. Erat namque is Aetius prius hæreticus, et serventissime defendere Arianum dogma videbatur. Eruditus enim aliquantulum, Alexandriam reversus est.

Et veniens in Antiochiam Syriæ, unde oriundus erat, a Leontio tunc Antiochenæ urbis pontifice diaconus ordinatur. Tunc ergo venientes ad se, disputationibus sophisticis eludebat. Hoc enim faciebat sequens Categorias Aristotelis, disputans et quædam commenta concinnans, quæ non sentiebat, neque ab eruditis intentionem Aristotelis agnoverat. Ille namque propter sophistas tunc deridentes philosophiam, hoc opus juvenibus exercitationis causa concribens, dialecticam sophisticis per hujusmodi contentiones opposuit. Contemplativi autem philosophi, libros Platonis et Plotini declarantes, ea quæ artificiose ab Aristotele sunt conscripta redarguunt. Sed Aetius contemplativum doctorem non habens, in commentationibus sophisticis perduravit. Quamobrem nec intelligere potuit quomodo sit ingenita generatio, et quemadmodum quod nascitur coæternum sit generanti. Parum ergo imbutus erat Aetius, et divinarum litterarum ignarus, tantummodo in contentione præparatus, quod etiam quilibet rusticus facere potest. Et dum nec veteres, qui eloquia Christiana fuerant interpretati, legisset, asserebat se multum gaudere libris Clementis et Africani, nec non Origenis, cum utique fuerint illi viri totius sapientiæ virtutibus eruditi. Fecit igitur is epistolas ad imperatorem Constantium, **264** et ad alios quosdam, contentiones involvens et quædam commenta conficiens. Quamobrem etiam Sine Deo vocabatur. Et licet eadem quæ Arius vindicaret, tamen a suis non valentibus intelligere perplexiones syllogismorum ejus, cum eadem quæ ille saperet, putabatur hæreticus. Et propterea eorum pulsus Ecclesia credebatur, cum ipse illis potius communicare noluisset. Hactenus enim ex illis sunt qui tunc quidem Aetiani, nunc autem Eunomiani vocantur. Posteriore namque tempore Eunomius notarius ejus, eruditus ab eo, editionem ejus hæreticam divulgavit. Sed de Eunomio locis convenientibus explanabimus. *SOCRATES, lib. II, cap. 28. Edit. Christ. Vales. cap. 35, p. 129.*

- CAPUT XIV.

De inimicis Athanasii.

Inimici quidem fidei, putantes se tempus invenisse contra defensores ejus, valde apud principem laborabant ut de Ecclesiis pellerentur omnes qui ab eis videbantur esse depositi, tanquam alterius fidei; vol quia, vivo Constante, imperatori Constantio restitissent, ita ut fuisset pene ad bella proventum. Præcipue tamen Athanasium accusabant, quia invidia nimietate, neque Constante vivo, et Constantio eum se diligere profitente, ab ejus molestia recedebant; sed Antiochiæ congregati Narcissus Cilix, Theodorus Thraciæ, Theogonius Nicænus, Patrophilus Scythopoleos, Minophantus Ephesius, et alii circa triginta, scripserunt omnes universis episcopis: quia contra sanctiones ecclesiasticas Alexandriam remasset, nec in concilio sine culpa fuisset inventus; et jubebant ut neque communicarent ei, neque scripta dirigerent, sed Georgio, qui ab eis fuerat ordinatus. Ve-

rum Athanasio nullus hinc sermo fuit. SOZOMEN., *lib. A* *iv, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 546.*

CAPUT XV.

De synodo apud Mediolanum facta.

Igitur devicto Magnentio, cum solus Constantius Romanorum tenuisset imperium, omni studio laborabat ut Occidentales episcopi consentirent eis qui consubstantialem esse Patri Filium denegabant. Et hoc faciebat, nolens a primordio aperte vim facere, sed eis callide suadere, ut decreto contra Athanasium ab Orientalibus episcopis habito consentirent. Sperabat enim quia si communi decreto damnaretur Athanasius, facilius suam voluntatem in religione [*ed. V. et Frob., regione*] completeret. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 546.*

Tunc igitur in Italiam convenerunt episcopi Orientalium non multi, quoniam plurimos eorum aut senectus aut itineris longitudo prohibuit. Occidentalium vero ultra trecentos, ut præcepto principis concilium Mediolani celebraretur: ubi convenientes Orientales, ante omnia contra Athanasium decretum fieri commuere poscebant, ut hoc facto penitus ei aditus Alexandriae clauderetur. Quod cum sensissent Paulinus Gallicanæ Treviris, Dionysius Albæ metropolis Italicorum, et Eusebius Vercellensis episcopi, quia ad destructionem fidei Orientales contra Athanasium agere molirentur: surgentes magna voce clamabant dolum et circumventionem per ea quæ gerebantur, Christianitatis dogmatibus irrogari. Non enim veras contra Athanasium culpas esse dicebant, cum ad retractationem fidei talia probarentur inventa. Illis ergo talia proclamantibus, concilium tunc solvitur episcoporum. SOCRATES, *lib. ii, cap. 29. Edit. Christ. Vales. cap. 3, p. 130.*

CAPUT XVI.

De exsilio orthodoxorum episcoporum, quod Athanasius in fugæ suæ satisfactione conscripsit.

Deposito siquidem Athanasio, aliam hæretici fidei exponere sunt nisi doctrinam. Sed neutrum horum perducere potuit ad effectum, cum præsentem principem clamaretur quia injuste agebatur et impie. Quo facto et ipsi Ecclesiis sunt expulsi et in ultimis terræ finibus habitare præcepti. Quod rursus mirabilis Athanasius hoc modo in illa satisfactione conscribit. Quis tantum poterit memorare quantum illi gesserunt? Tunc enim Ecclesiis pacem habentibus (*An. D. Dom. 360*), et populis per collectas orantibus, pontifex quidem Romanæ urbis Liberius, et Paulinus Galliarum metropolitanus episcopus, et Dionysius Italus, Lucifer metropolitanus insularum Sardinia, et Eusebius ex Italia, omnes episcopi boni, et prædicatores veritatis, abripiuntur et traduntur exsilio, nullam habentes culpam, nisi quia in Arianam noluerunt consentire vesaniam, neque in calumniis subscripserunt nostris. De maximo autem et optimo sene, et vere confessore Osio, etiam loqui superfluum credo. Omnibus enim notum est quod etiam hunc exsilio deportari fecerunt. Non enim ignobilis, sed cunctis noscitur esse notissimus. Cui namque non præfuit synodo, aut recte loquens non satisfacit uni-

versis? Quæ Ecclesia hujus patrocini memoriam non habet? Quis aliquando dolens cum veniret apud eum, non remeavit sanus? Quis indigens cum petisset, non meruit quod poposcit? Et tamen etiam contra hunc talia præsumperunt, quia impia eorum molimina cognoscens, noluit propria subscriptione firmare. THEODORETUS, *lib. ii, cap. 15, p. 90.*

Igitur imperator illos quidem mittit in exsiliū. Generale vero concilium fieri cogitabat, quatenus omnes Orientales episcopos venientes ad Occidentem, si posset, concordare efficere. Quod cum propter itineris spatia difficile videretur, duplicem tractavit synodum celebrari: ut in Arimino quidem Itali qui tunc aderant convenirent, Orientales autem in Nicomedia Bithyniæ civitate. Hoc ergo imperatore tractante, effectus non evenit ut voluit. Neutrum enim concilium sibi met concordavit, sed utrumque divisum est. Nam neque Arimino convenientes alterutri inter se consonare potuerunt, et Orientales in Seleucia Isauriæ congregati, aliud schisma sunt passi; quod suo loco narrabitur. SOCRATES, *lib. ii, cap. 29. Edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 131.*

265 CAPUT XVII.

Dialogus inter Liberium et Constantium gestus, et quomodo Liberius fuerit exsilio destinatus.

Ego quidem Liberii per omnia famosissimi habitum pro veritate dialogum contra Constantium volo referre, quoniam a fidelibus illius temporis est conscriptus. Is enim post Julium Sylvestri successorem, Romanam gubernavit Ecclesiam. Constantius imperator dixit: Nos, eo quod Christianus sis et episcopus nostræ civitatis, dignum hoc judicavimus, ut, evocantes te, moneremus quatenus communionem scelestissimi Athanasii et ineffabili superbia detenti abnegare non differas. Hoc enim terrarum orbis bene fieri comprobavit, et synodali sententia alienum ab ecclesiastica communione decrevit. Liberius episcopus dixit: O imperator, judicia ecclesiastica decet cum maxima proferri justitia. Quapropter si videtur pietati tuæ, disceptionem jube constitui, et si apparuerit Athanasius condemnatione dignus, tunc secundum ecclesiasticæ consequentiæ formam proferatur in eum digna sententia. Non enim possibile est condemnari virum de quo nihil examinatum est. Constantius imperator dixit: Universus mundus adjudicavit ejus facinora; sed ille, sicut ab initio, tempus illudit. Liberius episcopus dixit: Quicumque subscripserunt non ipsi viderunt quæ gesta sunt; sed propter gloriam et timorem, et ne a te contumelias paterentur, acquieverunt. Imperator dixit: Quid est gloria, et timor, et contumeliæ? Liberius dixit: Quicumque gloriam Dei non diligunt, tua magis dona præponunt. Quem ergo isti non viderunt, non examinantes adjudicaverunt quod est Christianitatis alienum. Imperator dixit: In facie utique condemnatus est in concilio Tyri, et in concilio contra eum pariter decreverunt omnes totius orbis episcopi. Liberius dixit: Nunquam in præsentia sui homo ille adjudicatus est. Quicumque enim tunc convenientes condemnaverunt eum, discedente Athanasio a judicio, sententiam protulerunt. Eusebius eunuchus

dixit : In Nicæno concilio alienus catholicæ fidei probatus est. Liberius dixit : Quinque soli iudicaverunt ex his qui cum eo navigio venerunt in Mareoten, quos miserunt ad accusationem ejus, ut contra eum gesta conficerent. Horum itaque qui destinati sunt, duo sunt mortui, Theogonius et Theodorus; reliqui vero tres vivunt, hoc est Maris, Valens et Ursacius. Ab his qui missi sunt Sardicæ, propter hanc causam synodus celebrata est; qui in synodo libellos obtulerunt, veniam postulantes, quoniam in Mareote per calumniam ex una parte contra Athanasium gesta confecerunt. Libellos eorum nunc præ manibus habemus. Cui horum nos credere et communicare convenit, imperator; his qui primitus damnaverunt et veniam postea poposcerunt, an eis qui adhuc hæc accusare contendunt? Epictetus episcopus dixit : O imperator, non fidei causa hodie, neque iudiciorum ecclesiasticorum sermonem facit; sed ut apud senatores in Romana constitutos urbe glorietur, quasi superavit principem. Imperator ad Liberium dixit : Quota pars es totius orbis, quoniam tu solus hominem vindicas nefandissimum, ut orbis terrarum pacem Ecclesiæque dissolvas? Liberius dixit : Non eo quod ego sum solus, fidei causa minuitur. Nam et antiquitus tres soli reperti sunt resistentes præcepto regis. Eusebius eunuchus dixit : Imperatorem nostrum Nabuchodonosor fecisti? Liberius dixit : Non. Sed ita irrationabiliter adjudicandus [ed. Niv. et Frob., adjudicatus] est homo qui non est examinatus? Hæc ergo peto primitus generalem proferri subscriptionem, confirmantem fidem in Nicæa prolata; ut ita revocatis ab exilio fratribus nostris, et in locis propriis restitutis, si hi qui turbas pariunt Ecclesiis, visi fuerint apostolicæ fidei consentire, tunc apud Alexandriam convenientes omnes, ubi et accusatores sunt et defensor eorum, examinata causa possimus proferre sententiam. Epictetus episcopus dixit : Sed cursus publicus^a non sufficit subvectui episcoporum. Liberius dixit : Ecclesiasticæ causæ publico cursu non egent. Ecclesiæ namque sufficiunt usque ad mare perducere suos episcopos. Imperator dixit : Quæ dudum susceperunt formam solvi non possunt; plurimorum namque episcoporum debet valere sententia. Tu solus es qui amicitias illius scelerati defendis. Liberius dixit : Imperator, nunquam audivimus, absente accusato, iudicem ejus scelera proferentem, nisi quia propria videntur hæc odia. Imperator dixit : Omnibus quidem nocuit in communionem, nulli tamen ita sicuti mihi. Cui cum non sufficeret interitus fratris mei majoris, neque beatæ memoriæ Constantem cessavit in meis inimicitias frequenter impellere, nisi nos majori mansuetudine detenti, impellentis momenta temperassemus. Nulla itaque mihi victoria est, neque contra Magnentium vel Sylvanum, nisi illum scelestum ab ecclesiasticis rebus expulero. Liberius dixit : Noli per episcopos tuas vindicare inimicitias; manus enim ecclesiasticorum ad sanctificandum vacare debent. Quapropter si

A tibi videtur, jube vocari ad loca propria sacerdotes, et si concordēs apparuerint ei quem nos in presentī defendimus secundum fidem orthodoxam in Nicæna synodo constitutam, tunc convenientes providebunt pro mundi pace, ut homo qui non peccavit non reprobetur injuste. Imperator dixit : Unum est quod quæritur : volo enim te amplectentem ecclesiasticam communionem Romæ denuo destinare; et propterea concorda paci, et subscribens, Romæ revertere. Liberius dixit : Romæ jam fratribus valedixi; majores enim sunt ecclesiasticæ sanctiones quam Romanæ habitatio civitatis. Imperator dixit : Ergo trium dierum spatium ad deliberationem habes : Si vis subscribere, Romæ revertere, aut certe cogita in quem vis deportari locum. Liberius dixit : Spatium trium dierum rationem nequaquam mutare potest. Quapropter ubi vis dirige me. Imperator autem post duos dies examinato Liberio, et nequaquam a suo proposito revocato, jussit eum in Bercæ in Thraciæ exilio deportari. Egreddenti Liberio, Imperator ad expensas quingentos solidos destinavit. Tunc Liberius deferenti dixit : Vade, da cæcæ imperatori; opus enim habet suis militibus erogare. Similiter 266 et Augusta tantos ei direxit. Liberius dixit : Redde hæc imperatori; opus enim habet his ad expensas militum suorum. Si autem imperator his non habet opus, det eos Auxentio et Epicteto; illi enim opus his habent. Dumque ab eis nihil accepisset, Eusebius eunuchus obtulit ei alios solidos. Cui Liberius dixit : Totius orbis Ecclesias desolasti, et tanquam damnato mihi hæc offers? C Vale prius, disce esse Christianus. Illis ita gestis, post tres dies nihil accipiens, missus est exilio. THEODORETUS, lib. II, cap. 15 et 16, p. 92.

CAPUT XVIII.

Quomodo Liberius per additionem Romanarum matronarum ab exilio sit reductus.

Veritatis itaque propugnator et victor Thraciam, sicut jussum fuerat, usque pervenit. Duobusque transactis annis Constantius Romæ [ed. Niv. et Frob., Roman] venit. Procerum vero senatorumque conjuges rogabant viros suos ut Constantio supplicarent, quatenus pastorem gregibus restitueret. Aiebant enim quia nisi flecterent animum principis, eos ipsæ relinquerent, et ad pastorem illum maximum properarent. At illi dixerunt : Nos furorem principis formidamus, nec forte aliquam veniam promeremur. Sed vobis, inquit, magis rogantibus forsitan parceret, et unum alterius flet; aut preces suscipiet, aut si flecti nequiverit, sine aliqua injuria vos dimittet. Hoc consilium mulieres illæ, laudibus maximis proferebant, percipientes, cum ornatu solito adierunt imperatorem; quatenus ex veste sublimi insignes eas et nobiles arbitratas, reverentiam eis haberet et parceret. Advectæ enim principem tali voce clamabant : Miserere tantæ civitatis, pastoris providentiam non habentis, quæ luporum patet insidiis. At ille respondit : Non egere pastore alio civitatem; esse namque pontifi-

^a *Cursus publicus*. Unde curiosus, cursus publici præsentis et curiosi per omnes provincias, qui erant

sub dispositione viri illustris magistri officiorum. Vide librum de Imaginibus magistratum Romanorum.

cem qui eorum curam haberet. Post magnum namque Liberium quidam diaconorum ejus, Felix nomine, fuerat ordinatus. Is expositam in Nicæa fidem inconcusse servavit, sed corruptoribus ejus sine discretionem communicabat. Nullus tamen Romæ habitantium in basilicam ingressus est, cum ille intus astaret. Hoc autem etiam matronæ illæ imperatori dixerunt: Qua gratia flexus, præcepit illum inter omnes egregium revocari, et utrumque Ecclesiam gubernare communiter. His ergo litteris in circensi spectaculo relectis, populus clamabat justam principis esse sententiam, ut sicut dupliciter coloribus divisi sunt spectatores, sic oporteret alterum his, alterum aliis præsidere. Cum ergo primitus principis litteris sic favissent, postea commoti, communi voce clamaverunt: Unus Deus, unus Christus, unus episcopus. Ipsas enim voces et ego ponere justum judicavi. Post has vero Christo amabilis populi piæ et justitiæ exornatas voces, sanctissimus quidem Liberius est reversus. Felix autem recedens habitavit aliam civitatem. THEODORÆTUS, *lib. II, cap. 17, Edit. Christ.*

CAPUT XIX.

Quomodo Eudoxius Antiochenum usurpaverit episcopatum.

Ea tempestate Leontio moriente, qui hæreticum Aetium diaconum ordinaverat, Eudoxius Germaniciæ episcopus, quæ est civitas Syriæ, cum esset tunc Romæ præsens, sinit sibi causam necessitatis incumbere, et imperatori callide locutus, quasi civitas Germanicianorum ejus providentia atque custodia indigeret, petiit ut remearet ad propria. Quem princeps nihil prospiciens, abire dimisit. At ille cubicularios cooperatores habens, relicta civitate sua Antiochenum usurpavit episcopatum. Fovere namque studebat Aetium. Ob quam rem nisus est concilium facere sacerdotum, et ordinationem ei restaurare diaconatus. Quod nequaquam gestum est, eo quod magis valeret odium contra Aetium quam Eudoxii desiderium. Et de his quidem tantum nosse sufficiat. SOCRATES, *lib. II, cap. 29. Edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 132.*

CAPUT XX.

De Ariminensi concilio et contentionibus ibi factis.

Eorum igitur qui Arimino convenerunt, Orientales ea quæ de Athanasio gesta sunt, taciturnitati tradentes, ad concilium se occurrisse dicebant. Quorum studio cohærebant Ursacius et Valens, qui ab initio quidem Arianorum dogma tenebant; in medio autem Homousianis consenserant, dato libello Romano pontifici, sicuti jam dictum est. Isti namque semper ad partes pro tempore valentium declinabant. Quorum adjutores erant Germinius, Auxentius, Demophilus et Gnius. Dum ergo in concilio præsentium alter aliud proponere conaretur, tunc Ursacius et Valens dicebant omnia quæ de fide dicta sunt debere suspendi, et suscipiendam novellam expositionem, quam paulo ante Sirmio convenientes ediderant. Hæc dicentes, et chartulam præ manibus habentes legi fecerunt secundum expositionem fidei Sirmio prola-

tam, quam ibi quidem, sicuti prædixi, celaverunt, Arimino autem ostensa est. Cujus exemplar hoc est:

EXPOSITA FIDES APUD SIRMIO.

Præsente domino Constantino Aug., coss. Eusebio et Hypatio, XI cal. Junii (An. Dom. 559).

Credimus in unum et verum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem et opificem omnium. Et in unum unigenitum Filium Dei ante omnia sæcula, et ante omne principium, et ante omne quod potest opinari tempus, et ante omnem perceptibilem opinionem, natum impassibiliter ex Deo, per quem et sæcula perfecta et omnia facta sunt. Natum autem Unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem generanti Patri secundum Scripturas: cujus generationem nullus novit, nisi solus, qui genuit eum, Pater. Hunc novimus unigenitum ejus Filium nutu paterno venisse de cœlis ad destructionem peccati, et natum 267 ex Maria Virgine, et cum discipulis conversatum, et omnem complexisse dispensationem secundum paternam voluntatem; crucifixum et mortuum, et ad inferos descendisse, et quæ ibi erant dispensasse: quem janitores inferni videntes expaverunt; et die tertia resurrexisse, et cum discipulis conversatum; et quadraginta diebus expletis, in cœlos ascendisse, et sedere a dextris Patris; et venturum novissima die in gloria Patris, ad reddendum unicuique secundum opera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse unigenitus Dei Filius Jesus Christus mittere compromisit generi hominum consolatorem, secundum quod scriptum est: *Vado ad Patrem meum, et rogabo Patrem meum, et alium consolatorem mittet vobis, Spiritum veritatis; ille ex meo accipiet, et docebit, et commemorabit vobis omnia (Joan. XIV, 16).* Nomen vero substantiæ, eo quod simpliciter a Patribus positum, a populis ignoretur, et scandalum faciat, et quia nec Scripturæ hoc continent, placuit abrogari, et omnino nullam memoriam substantiæ in Deo esse de cæteris; eo quod diviniæ Scripturæ nusquam de Patris substantia Filiique meminerint. Similem vero dicimus Filium Patri per omnia, sicuti sanctæ Scripturæ dicunt ac docent. His itaque lectis, consurgentes quibus hæc displicebant, aiunt: Non fide egentes huc venimus (integram namque servamus, quam percepimus ab initio), sed magis ut si qua circa hæc novitas sit, omnino prohibeamus. Si ergo hæc quæ lecta sunt nullam faciunt novitatem, aperte jam anathematizate hæresim Arianam, sicut et alias hæreses regula Ecclesiæ tanquam blasphemias abjecit. Quia enim blasphemum Arianorum dogma turbas Ecclesiæ, quæ etiam nunc sunt, excitavit, atque seditiones, toto orbi terrarum valde notissimum est. Hæc ergo propositio, dum ab Ursacio, et Valente, et reliquis suscepta non fuisset ad plenum, divisit Ecclesiam. Alii namque his quæ Arimino sunt lecta consenserunt, alii vero Nicenam denique roboraverunt fidem. Deriserunt autem conscriptionem illius lectionis, et maxime Athanasius Alexandrinæ civitatis episcopus in epistola quam suis familiaribus destinavit: quam qui legit, inveniet quam forti

dictione sit plena. SOCRATES, *lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 132.*

Dicebant enim Ariani convenientes Arimino, volentes Hesperis suadere simplicibus, quia non oporteret propter duo verba, quæ nec invenirentur scripta, separari corpus Ecclesiæ; sed similem per omnia profiteri Filium genitori, substantiæ vero tacere nomen. Sed fallaciam sentientes horum homousiani pontifices, eos abdicaverunt. Ipsi vero litteris insinnaverunt imperatori propriam voluntatem: dicentes filios se esse Patrum Nicæni concilii, pariter et hæredes. THEODORETUS, *lib. II, cap. 18, p. 97.*

Hoc tamen sciendum, quoniam synodus quidem Ursacium et Valentem, Auxentium et Germinium, Gaium et Demophilum, eorumque socios condemnavit, Arianum dogma anathematizare fugientes. Qui propter hanc damnationem indignati, ad principem celeriter advenerunt, portantes lectam in concilio fidem. SOCRATES, *lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 136.*

Apertius autem integram fidei regulam eorum epistola ad Constantium scripta monstrabit. Cujus verba sunt hæc. THEODORETUS, *lib. II, cap. 18 et 19, p. 97.*

CAPUT XXI.

Epistola concilii Ariminensis orthodoxorum episcoporum ad imperatorem Constantium.

Divina jussione et præcepto pietatis tuæ, olim dogmatizata confidimus. In Ariminum namque ex universis Occident'alibus civitatibus omnes convenimus simul episcopi, ut et fides catholicæ cognoscere-
tur Ecclesiæ, et qui contraria sapiunt panderentur. Multum namque disceptantibus nobis invenimus optimum esse statutam fidem antiquitus permanere, quam etiam prophetæ, evangelistæ, nec non apostoli per Jesum Christum Dominum nostrum prædicasse noscuntur (qui et tui regni protector, tuæque salutis auxiliator est), quatenus hanc tenentes custodiamus, et custodientes ad finem usque servemus. Incongruum enim nefariumque videtur ex his quæ recte justæque definita sunt aliquid permutare, id est horum quæ Nicææ communiter cum gloriosissimo Constantino tuo patre et imperatore deliberata atque defixa sunt. Quorum doctrina atque sensus discurrit, et prædicatus est in omnium hominum auditus et mentes. Hæc fides sola Arianam hæresim expugnavit et perdidit; per quam non illa sola, sed etiam reliquæ hæreses sunt damnatæ. Cui vere et addere quidquam incautum est, et auferre periculosum. Et siquidem horum alterum fiat, erit inimicis facultas agendi quæ volunt. Quapropter Ursacius et Valens, quoniam participes et concordēs Ariani dogmatis erant, a nostra sunt communionē segregati. Quam ut reciperent, cognoscentes delicta quibus peccaverunt, poenitentiam atque veniam impetrare posebant; et rescripta eorum hæc ita se habere testantur, per quæ criminum veniam consecuti sunt. Erat enim tempus quo hæc gesta noscuntur, quando Mediolani synodus celebrata est, presentibus Ecclesiæ Romanæ presbyteris. Cognoscentes simul etiam post mortem dignissimæ me-

PATROL. LXIX.

A moriæ nominandi Constantini, cum omni integritate et examinatione conscriptam exposuisse fidem, qui cum ab hac luce baptismate percepto discesserit, et ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum esse judicamus post illum aliquid novitatis admittere, tantosque sanctos confessores, et martyres, et hujus dogmatis conscriptores inventoresque despiciere, qui secundum antiquam Ecclesiæ sanctionem per omnia sapuisse noscuntur. Quorum fidem Deus in tempora imperii tui transmisit, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem tibi imperium tale concessum est, ut etiam nostri orbis terminos obtineres. Rursus ergo infelices isti, et sapientia vilissimi, presumptione nefaria impiæ cogitationis prædicatores semetipsos annuntiaverunt, et veritatis terminum mutare contendunt. Dum enim secundum tuum præceptum concilii jura celebrarentur, illi consilium suæ fallaciæ nudaverunt. Nitebantur enim calliditate quadam atque seditione aliquid novitatis inferre. Hujusmodi enim malitiæ captos invenimus Germanum quemdam, et Auxentium, atque Gaium, hæresim contentionemque facientes. Quorum doctrina una quidem existens, universam molem blasphemiarum transcendere comprobatur. Qui cum viderent nos neque suæ voluntatis esse, neque concordēs horum quæ male sapere videbantur, a nostro se concilio navaverunt, ut quasi aliud conscribere viderentur. Erat vero tempus breve, quod etiam eorum aperuit voluntates. Sed ut non semper ecclesiasticæ causæ in easdem incurrant concussiones (nam turba atque seditio repetita universa confundit), firmum nobis visum est, ut quæ dudum decreta sunt, legaliter immutabiliterque serventur. Prædictos autem viros a nostra communionē secrevimus. Qua de causa legatos ad tuam mansuetudinem misimus, concilii sententiam per nostram denuntiaturus epistolam. Legatis autem præ omnibus ista præcipimus, ut veritatem affirmant ex priscis et justis rationibus exponentes, qui etiam tuam religionem instruant; quoniam non, sicut ait Ursacius et Valens, erit pax, si quid justarum sanctionum fuerit immutatum. Quomodo enim pax esse credenda est apud eos qui pacis jura subvertunt? Contentio enim et seditio per hæc inter reliquas civitates et Ecclesiam Romanam potius orietur. Quapropter tuæ mansuetudini supplicamus, ut placidis auribus nostros legatos, et oculo tranquillo respicias, neque ad injuriam defunctorum novi aliquid immutari permittas; sed permanere nos sinas in his quæ a progenitoribus definita atque sancita sunt: quippe quos omnia cum deliberatione, atque sapientia, et Spiritu sancto celebrasse confidimus. Ea enim quæ ab illis nunc innovantur, credentibus quidem incredulitatem inferunt, non credentibus verò credulitatem. Supplicamus itaque ut præcipias eos qui per diversa loca detinentur, quos et ætatis gravamen et angustia paupertatis affligit, ad propria remeare: ne desolatæ sublati episcopis videantur Ecclesiæ permanere. Super hæc etiam hoc rogamus ut nihil his quæ jam terminata sunt, aut addatur, aut adimatur; sed omnia inviolata permaneant quæ et a

pietate tui patris, et tuis quoque sunt conservata temporibus. Neque de cætero nos fatigari, et a propriis parochiis alienos esse permittas, quatenus episcopi cum proprio populo in pace orare et divino cultui vacare possint: supplicantes Deo pro pace tui imperii pariter et salutis, quam tibi Divinitas in perpetuum largiatur. Nostri vero legati episcoporum subscriptiones et nomina deferunt, qui etiam lectione divinæ Scripturæ religionem tuam poterunt edocere. *THEODORETUS, lib. II, cap. 18 et 19, p. 97.*

Hæc itaque synodus scripsit, et per episcopos destinavit. Ursacius autem et Valens eorum prævenientes adventum, derogaverunt concilio: ostendentes imperatori expositionem fidei quam portabant. Imperator Ariano dogmati favens, indignatur adversus synodum, et Ursacium ac Valentem potius honoravit. Quamobrem qui a concilio fuerant destinati tardaverunt, non valentes impetrare responsum. Sero tamen ad synodum Constantius per præsentes episcopos hujusmodi scripta direxit. *SOCRATES, lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 159.*

CAPUT XXII.

Epistola Constantii ad Ariminense concilium.

Constantius victor ac triumphator Augustus universis episcopis Arimino congregatis salutem.

Semper equidem et præ omnibus cogitare nos de sacra et adoranda lege, non ignorat vestra benignitas. Nunc autem viginti quos vestra sapientia destinavit episcopos, legationis suæ causa, interim videre nequivimus, cum sit nobis necessarium circa barbaros iter, et, sicut nostis, deceat animo puro ab omni cogitatione utilitatem divinæ legis examinare. Jussimus igitur episcopos in Adrianopoli nostram sustinere regressionem; ut cum universa respublica fuerit bene disposita, tunc quæ gesserint audire possimus. Vestræ ergo sanctitati non videatur onerosum eorum expectare regressum; ut dum redeunt nostrum vobis referentes responsum, perducere possitis ad terminum quæ Ecclesiæ catholicæ utilia esse noscuntur. Has litteras suscipientes episcopi, talia rescripserunt. *SOCRATES, lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 159.*

CAPUT XXIII.

Epistola Ariminensis concilii ad imperatorem Constantium destinata.

Litteras clementiæ tuæ suscepimus, domine Deo amabilis imperator: quibus continetur, quia propter necessitatem publicam interim non potuisti nostros videre legatos, nosque jubetis ut eorum sustineamus adventum, donec ea quæ a nobis decreta sunt et nostris progenitoribus consonare noscuntur, ab eis pietas vestra cognoscat. Quamobrem et nunc per has litteras prostermur atque firmamus nequaquam nos a proposito nostro recedere. Hoc etiam nostris legatis injurimus. Supplicamus igitur ut animo tranquillo et præsentis nostræ mediocritatis litteras relegi jubeas, et illa quæ per legatos nostros mandavimus, libenter accipias. Illud itaque nobiscum considerare tua mansuetudo debet, quanta sit modo tristitia

quantusque mœror, ut beatissimis temporibus tuis, tantæ Ecclesiæ privatæ videantur episcopis. Et propterea rursus tuam clementiam deprecamur, domine Deo amabilis imperator, ut ante asperitatem hiemis (si tamen vestræ placet pietati) nos ad nostras Ecclesias remeare præcipias; quatenus etiam nunc possimus omnipotenti Deo et Domino Salvatori nostro Christo, ejus Filio unigenito, pro tuo imperio solemnes orationes celebrare cum populo. *SOCRATES, lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 159.*

CAPUT XXIV.

Quod discedentibus episcopis fuerit Constantius indignatus.

Cum hæc scripsissent, et modicum sustinuissent tempus, imperatore nullum dante responsum, **269** ad civitates proprias recesserunt. Princeps autem, cum et prius contenderet Arianam sectam per Ecclesias seminare, occasionem injuriæ suæ illorum habuit discessionem: dicens se contemptum, eo quod præter jussionem ejus concilium videretur esse solum. Quapropter Ursacio et his qui circa eum erant permissionem dedit contra Ecclesias agendi fiducialiter quodcumque placuisset. Explanationem vero lectæ in Arimino fidei jussit per Ecclesias Italicas destinari: præcipiens ut nolentes in ea subscribere pellerentur Ecclesiis, et in eorum locis alii subrogarentur episcopi. *SOCRATES, lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 140.*

CAPUT XXV.

De synodo in Nicæa Thraciæ celebrata.

Ursacius autem ejusque consentanei ab Italia discedentes, venerunt ad civitatem Thraciæ nomine Nicæam: quo brevi tempore commorantes aliud fecerunt concilium. Et lectam in Arimino expositionem fidei Græco interpretantes eloquio publicatam confirmaverunt; et postea divulgabant eam esse fidem quæ ab universali concilio et dictata esset et edita in Nicæa; et similitudine nominis Nicæni simpliciores hæc subreptione deciperent: putabant enim in Nicæa Bithyniæ esse dictatam fidem. Sed nihil profuit eis tale commentum. Post paululum namque confusi atque derisi sunt. *SOCRATES, lib. II, cap. 29; edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 141.*

CAPUT XXVI.

De Quomodo Athanasius furorem Constantii denuo declinaverit.

Interea sentiens Athanasius sibi insidias præparari, nequaquam ad imperatorem venire præsumpsit, neque hoc utile judicavit; sed electos ex Ægypto quinque episcopos, inter quos Serapionem Thmuisensem virum præcipua vita sanctum et ad loquendum valde copiosum, mittit ad principem tunc in Occidente degentem, cum quibus etiam tres presbyteros, per quos sibi placaret imperatorem, et pro derogationibus satisfacerent inimicorum, allaque facerent quæ ei vel Ecclesiis expedirent. Quibus navigantibus, paulo post litteræ venerunt imperatoris evocantes eum. Ob quam rem et Athanasius, et populus est turbatus, cum neque hæretico imperatori obedire cautum esset,

neque reluctari sine periculo. Verumtamen ire distulit, et litterarum portitor sine effectu reversus est. Superveniente autem ætate veniens alius ab imperatore missus cum provinciæ iudicibus cogebat eum, cleroque nimis erat infestus. Porro populum paratum videns ad bellum, etiam iste reversus est. Non multo post tempore congregantur ex Ægypto et Libya legiones. Et cum nuntiatum fuisset celari Athanasium in ecclesia, quæ vocatur Theonæ: assumens milites dux eorum, et Hilarium ab imperatore denuo destinatum, inopinato fractis januis in ecclesiam introivit, et ubique requirens Athanasium non invenit. Dicitur enim quia sæpius divino nuntio pericula multa fugerit, sicut etiam, Deo providente, hoc discrimen evasit. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 8; edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 547.*

CAPUT XXVII.

Quomodo pagani insultantibus futuram tristitiam prophetavit.

Ex his et huiusmodi factis ei a Deo prænuntiatis, a paganis et hæreticis appellabatur magus. Sermo namque fertur, eo quod aliquando, eo procedente per civitatem, contigerit avolantem corniculam clamitare. Quo facto astans multitudo paganorum, velut mago derogantes, petebant ut eis aperiret quid cornicula illa significaret. Ille vero fertur silentio dixisse subridens: Cras Latina lingua dies ventura significatur. Hoc ergo clamans, tristem vobis crastinum significat diem, per imperatoris Romani iussionem. Et ita contigit ut Athanasii sermo, licet derisus fuerit, venerit ad effectum. Altera namque die principis litteræ venerunt ad iudices, iubentes ut pagani sua ingredi non permitterentur ad templa, neque solemnēs superstitiones festivitatesque celebrarent. Tunc ergo festivitatis eorum venerabilis generalisque destructa est. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 9; edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 549.*

CAPUT XXVIII.

Quæ malu per Georgium in Alexandria gesta sint.

Cum igitur frequenter, sicut dictum est, Athanasius pericula declinasset, clerus et populus ei favens tenebat ecclesias, donec præfectus Ægypti et dux militum ejicientes eos et sustinentes, Georgio eas contraderent. Qui non multo post venit, et ecclesias suo jure possedit. Qui dum præter schema et mores sacerdotii violentus existeret, et maxime circa Athanasii laudatores, quibus utique vincula et plagas viris et feminis velut tyrannus inferebat; accensus populus pene peremerat eum, nisi vix [*ms. Lyr., vi*] ereptus fugisset ad principem. Quo facto, rursus sequaces Athanasii ecclesias multo tempore tenuerunt. Quas iterum veniens dux Ægypti, Georgii noscitur tradidisse factoribus. Post hæc autem exceptore principis veniente, multi Alexandrinorum supplicio traditi sunt. Post quem etiam ipse Georgius terribilior supervenit, et priori tempore magis odibilis, tanquam qui moverit principem ad multorum necem.

A Cui utique derogabant Ægyptii monachi, quorum gloriam multitudo universa sequebatur, et vera eorum testimonia iudicabat: quia in summiæ philosophiæ virtute degebant. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 9; edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 550.*

Quia igitur expositam fidem in Nicæa Thraciæ omnes accusant milites veritatis, et præcipue habitantes Hesperiam, testantur litteræ ab eis ad Illyricum destinatæ. Quarum litterarum auctor fuit episcopus Ecclesiæ Romanæ tunc Damasus, qui post Liberium pontificatus jura susceperat, multis virtutum ornatus insignibus. Habuitque in his litteris nonaginta consortes ex Italia atque Galliis in Romana urbe convenientes. Quorum nomina propter multitudinem ponere distuli. Textus autem epistolæ talis est.

B

270 CAPUT XXIX.

Litteræ Damasi ad cæterorum ad Illyricum contra concilium in Nicæa Thraciæ factum.

Damasus, et Valerianus, et cæteri episcopi dilectissimis fratribus in Illyrico constitutis episcopis in Domino salutem.

Credimus sanctam fidem nostram in apostolorum eruditione fundatam, hanc vos tenere, et hanc potius utilis universis exponere, quæ videlicet a constitutis Patrum nulla ratione dissentit, per quos justum est cæteros erudiri. Sed relatione Gallicanorum et Vencorum fratrum, quosdam hæresibus favere cognovimus. Quod malum non solum cavere debent episcopi, sed etiam reluctari contra ea quæ gesta sunt imperitia, aut simplicitate quorundam pravis interpretationibus deceptorum. Variis ergo doctrinis non decet labefactari, sed magis Patrum nostrorum roborari sententiam. Auxentium igitur Mediolani præcipue in hac causa damnatum esse præscriptum est. Unde justum est omnes in universo Romanorum orbe doctores legis, ea quæ legis sunt sapere, et non fidem doctrinis variis maculare. Itaque dum primum hæreticorum cœpisset nequitia pullulare, sicut etiam nunc blasphemia nefandorum patet Arianorum, tunc Patres nostri trecenti decem et octo electi, habito tractatu in urbe Nicæna, hunc murum firmissimum contra arma diabolica stauerunt; et hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, ut Pater et Filius unius divinitatis, unius virtutis, uniusque magnitudinis debeat credi, uniusque essentiæ, sive substantiæ, simul et Spiritus sanctus. Aliter vero sapientes alienos esse a nostra communione iudicaverunt. Quem terminum salutarem adorabilemque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus atque temerare voluerunt. Sed in ipso principio ab his ipsis qui in Arimino renovare atque retractare compellebantur, usque ad hoc causa correctæ est, ut confiterentur alia sibi circumventionem subreptum, aut certe quia non intellexerunt Patrum sententiæ in Nicæa constitutæ, hoc esse contrarium. Neque enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum: quando constat neque Romanum episcopum, cujus ante omnia decebat eos exspectare decretum, neque Vincen-

tium, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodit, neque alios talibus præbuisse consensum; maxime dum, sicut prædiximus, isti ipsi, qui per conventionem declinasse videbantur, ipsi denuo ulentes meliori consilio, hæc sibi displicere testati sunt. Perspicit itaque vestra salubritas hanc solam fidem, quæ Nicææ apostolorum auctoritate fundata est, esse perpetua firmitate servandam; et simul Orientales hoc facere nobiscum qui se catholicos esse cognoscunt, Occidentales etiam gloriari. Credimus autem languentes in isto conamine, non tarde a nostra separandos esse communione, et ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore respirent. Nullo enim modo a deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet igitur cum omnibus Dei sacerdotibus, etiam charitatis vestræ sententia, in qua vos stabiles ac firmos existere judicamus. Sic ergo etiam nos vobiscum recte credere debemus. Vestræ nos charitatis lauditate reciprocis litteris. Valet, fratres charissimi. THEODORETUS, *lib. II, cap. 22, p. 102.*

Sed et maximus Athanasius in epistola quam scripsit ad Afros, taliter de Ariminensi concilio disputavit.

CAPUT XXX.

Ex litteris Athanasii de Ariminensi concilio.

His itaque prolatis, quis recipiat eos qui Ariminense aut aliud concilium præter Nicænum nominare præsumunt? Aut quis non habeat eos odiosos qui respuunt quidem constituta Patrum, et ea quæ nuper Arimino contentiose atque violenter composita sunt, præponunt? Quis istis concordabit hominibus, neque propria recipientibus? Nam in suis decem et amplius, sicuti prædixi, conciliis alio tempore aliud conscribentes, manifesti sunt, quia singula eorum accusare noscuntur. Et hoc patiuntur quod tunc Judæi proditores perpersi sunt. Nam, sicut illi relinquentes solum *Fontem aquæ viventis, lacus sibi meti foderunt, qui aquam continere non possunt (Jer. II, 13)*, quod scriptum est apud Jeremiam prophetam: sic et isti reluctantes universali concilio, foderunt sibi multa concilia, quæ apud eos inania et virtutem non habere manifesta sunt. Non igitur patiamur eos qui præter Nicænum Ariminense præsumunt, vel aliud nominare concilium; cum et ipsi qui Ariminense suscipiunt, ignorasse quæ in eo gesta sunt noscantur; nam tacere potuerant. Nostis enim, charissimi, cognoscentes et vos a vestris, qui tunc interfuerunt Arimino, quoniam Ursacius et Valens, Eudoxius et Auxentius, simulque Demophilus condemnati sunt, volentes aliquid quam quod statutum est Nicææ conscribere: quando compulsi anathematizare Arianam hæresim respuerunt, cui potius patrocinari conati sunt. Episcopi vero, vere integri Domini servi, recteque credentes, pene ducenti conscripserunt sufficere Nicænam solummodo fidem, et nihil amplius nihilque minus præter illam querere velle, seu sapere. Hæc enim etiam Constantio significaverunt, qui jusserat celebrari concilium. THEODORETUS, *lib. II, cap. 25, p. 104.*

CAPUT XXXI.

Quæ mala Macedonius in Constantinopolitana urbe commiserit, et quod posthæc offenderit imperatorem.

Iterea Macedonius vicinas Constantinopolitanæ urbi provincias civitatesque turbabat: excitans ministros proprii languoris adversus Ecclesias, et in Cyzico quidem Eleusium fecit episcopum, in Nicomedia Marathonium, qui primum diaconus fuerat, habens studium constituendi monasteria virorum ac feminarum. Is itaque Macedonius episcopatu potitus, affligebat eos qui ipsi consentire fugiebant, et non solum orthodoxos, sed etiam Novatianos: sciens eos quoque consubstantialitatis nomen suscipere. Quorum episcopus Agelius, persecutione faciente, fugit. Plurimi vero insignes viri detenti, nolentesque ei communicare, puniti sunt. Qui post tormenta violenter communionem ore suo suscipere et tenere compellebantur. Ligno namque ora hominum aperientes, eis sacramenta deponebant. Porro mulieres et parvulos arripientes, communicare cogebant. Si quis vero contradiceret, mox plagæ, vincula et tormenta sequebantur; ita ut etiam feminarum communicare nolentium manillas in arca comprimentes, abscederent; aliarum vero aut ferro, aut ovis ardentibus eadem membra comburerent. Quod ego ab Auxonio sene, qui eadem supplicia est passus, audivi. SOCRATES, *lib. II, cap. 30; edit. Christ. Vales. cap. 38, pag. 141.*

Hæ igitur Macedonii pro Christianitate ortæ sunt actiones, cædes, pugnæ, sollicitationes, intestina bella. Quæ res non solum apud eos qui lædebantur, sed etiam apud familiares ei odium vehementer excitaverunt. Offendit autem etiam ipsum imperatorem, et ob hoc et pro alia hujusmodi causa. Domus in qua erat arca Constantini principis corpus habens, ruinam minabatur; ideoque custodes ejus et qui ad orationem intrabant erant positi sub timore. Macedonius ergo cogitavit imperatoris ossa transferre, ne arcam ruinæ casus comprimeret. Hoc agnoscentes populi prohibebant, dicentes, non oportere principis ossa migrari, ne quasi exorbiri [ed. *Frob. et Niv., exsopiri*] [id est, e sepulcro effodi] viderentur. Ob quam rem in duas partes populus est divisus: aliis dicentibus nullam esse migrato mortuo lesionem, aliis asserentibus esse nefas, cum quibus etiam erant hominibus defensores. Macedonius autem parvipendens verba contradicentium, transtulit corpus imperatoris in ecclesiam ubi corpus jacet martyræ Acacii. Quo facto, concursus discordantium populorum ad illam venit ecclesiam, et ad manus usque perventum est; ita ut multi hominum morerentur, et vestibulum ecclesiæ ac vicina porticus sanguine compleretur. Hoc agnoscentes imperator, irascitur contra Macedonium, et propter eos qui mortui sunt, et quia corpus patris ejus absque ipsius consilio migrasse præsumperit. Relinquens ergo gubernatorem Hesperiarum partium Cæsarem Julianum, ipse pergebat ad Orientem. SOCRATES, *ibidem, et Sozomen., cap. 20, edit. Christ.*

CAPUT XXXII.

De Leontio Antiocheno episcopo, et Aetio, qui magister Eunonii fuit.

Leontius igitur Antiochenus episcopus, cum esset Arianus, languorem suum celare nitebatur. Vidensque divisos sacerdotes et populum, et alios dicentes, Gloria Patri, et Filio; alios, Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto; ipse sub silentio dicebat orationem, et nihil aliud audiebant astantes, nisi cum diceret, in sæcula sæculorum. Et siquidem hoc non maligne fecisset, diceretur quia pro concordia populi fieret. Sed quia et contra milites veritatis acuebatur, et non nisi hæreticos provehebat, ostendebatur celare pestem, modo timore [*ed.*, amore] populi, modo formidine pressus imperatoris, qui Filium dissimilem prohibuerat dici. Ea siquidem tempestate Aetius magister Eunonii, qui Arii blasphemiam suis opinionibus auerat, in diaconatus ordine ministrabat. Sed Flavianus et Diodorus monachicam quidem amplectentes vitam, clare autem pro apostolicis dogmatibus laborantes, episcopi Antiocheni Leontii redarguerunt quia contra pietatem gerebat insidias: dicentes quia elegisset virum studiis malignis imbutum, qui impietatis causa culmen sumpsisset potentiae, atque ad Ecclesiae cladem diaconatus haberet nomen. Minabantur autem etiam ab apostolica eum communiōne suspendi, et ad Hesperiam venientes, ea quæ callide gerebantur aperire. Hoc metuens Leontius, ab officio suspendit Aetium, aliis tamen rebus fovebat eum. Porro mirabilis illa societas, id est, Flavianus atque Diodorus, sacerdotali ministerio nondum potiti, populis tamen nimium complacentes, noctibus ac diebus cunctos ad zelum pietatis armabant. Isti namque primi in duas partes choros psallentium dividentes, ex successione Davidicam melodiam cantare docuerunt. Et hoc in Antiochia primitus fieri coepit, et dispersum ad terminos totius orbis pervenit. Isti divinos amatores ad sepulcrum martyrum, provocantes, vigiliis celebrabant, cum illis laudantes Deum. Hæc Leontius intuens, prohibere quidem iudicavit incantum, cum videret multitudinem valde viris illis optimis adhærere. Sed utens mansuetudine sermonum, poscebat ab eis ut has festivitates in ecclesiis potius celebrarent. Cujus quidem calliditatem integre cognoscentes, quod jubebatur egerunt, et amatores suos ad Ecclesias congregaverunt, ut alacriter Deum concordī voce laudarent. Sed Leontius flexus non est ut a sua malitia temperaret. Vultum namque mansuetudinis gerens, Stephani et Placiti [*ms. et ed.*, V., Flacitæ] celavit iniquitatem. Is enim adversarios dogmatis recti suscipiens, licet turpem habentes vitam, ad presbyteratus tamen ordinem et diaconatus evexit. Eos autem qui universis virtutibus ornabantur et apostolica dogmata defendebant, absque honore deseruit. Hac gratia clerus quidem multos habebat hæreticos; populus vero maxime pro dogmatum rectitudine decertabat, ita ut neque doctores illorum blasphemiam suam nudare præsumerent. Quid autem Placitus [*ms. et ed.* V., Flacitus], et Stephanus, atque Leontius impietatis atque inju-

stitiæ Antiochiæ gesserint, opus propriæ conscriptionis exquirat. Nos autem ad reliqua veniamus. THEODORETUS, *lib. II, cap. 24, p. 106.*

CAPUT XXXIII.

De Eudoxio, qui Antiochenum invasit episcopatum, et terræmotu in Nicæa Bithyniæ facto.

Germanicia civitas est in termino Ciliciæ, Syriæ et Cappadociæ constituta. Hujus urbis ecclesie præsidebat Eudoxius, qui moriente Leontio, arripuit Antiochiæ sedem, et coepit sua ferocitate vineam vastare dominicam. Neque jam celabat, sicuti Leontius, malitiam suam: sed aperte apostolicis dogmatibus repugnabat, et orthodoxos multis cladibus affligebat. Eo tempore Ancyranæ Ecclesie post Marcellum Basilium præsidebat; Eustathius vero Sebastie Armeniæ; qui iniquitatem Eudoxii et rabiem cognoscentes, **272** Constantio in Occidente posito litteris suis indicaverunt. Erant enim imperatori noti, et propter claritatem vitæ ejus favore potiebantur. Quod dum cognovisset Constantius, Antiochenis scripsit, quia non ipse Eudoxio Ecclesie concesserit præsulatum, sicut ille vulgabat; ipsumque Eudoxium expelli, et pœnas gestorū suorum in Nicæa Bithyniæ dare præcepit: jubens ibi celebrari concilium. Ipse enim Eudoxius egerat apud potentes palatii, ut in Nicæa synodus ageretur. Sed omnium præsciens Deus, cognoscens futura, ac si jam fuerint gesta, quodam terræmotu terribili prohibuit concilium celebrari (*An. Dom. 364*). Plurimam namque civitatis partem terræmotus ille destruxit, et multos habitantium interemit. Hoc agnoscentes qui convenerant, ad suas revertuntur Ecclesias. Arbitror enim hoc Dei sapientia gestum; in illa namque civitate adversus Arium a sanctis Patribus apostolicæ fidei doctrina prolata est. Et forte secunda congregatio potuit illic sentire (*ed. Niv., Frob.*, sancire) contraria, ut Arianis occasio [*ed.*, accusatio] eo nomine præberetur, quo magis simpliciores capere possent, tanquam illam veterem synodum preferentes. Sed Ecclesiarum prospector citius solvit tale concilium. THEODORETUS, *lib. II, cap. 25 et 26, p. 108 et 109.*

In momento siquidem temporis civitate concussa, neque fugere potuerunt; sed primo experimento periculi sunt perempti. Dicitur autem antequam fieret ea clades, quemdam Ursacium [*alii*, Arsacium] militem [*ed.*, Frob., exmilitem] prævidisse, genere Persam, qui sub Licinio confessor effectus, relictaque militia, in turre civitatis divinam exercebat philosophiam. Cui superna visitatio aperte præcepit exire de civitate passura quæ post paululum fierent manifesta. Quo facto, cum velocitate ad ecclesiam currens, nuntiavit clericis, ut Domino supplicarent quo eos ab imminente periculo liberaret. Quibus cum videretur esse ridiculum, reversus ad turrim, pronus lacrymas coepit effundere. Interea terræmotu superveniente plurimi perierunt, reliqui vero per agros et montana dispersi sunt. Ursacius autem in illa turre repertus est mortuus, pronus jacens, sicut solebat orare. Sermo tamen est quia antequam moreretur

rogaverit Deum ut prius ejus finiret vitam quam eladem inspiceret civitatis in qua prius Christum agnoverat, et ecclesiasticam videbatur participatus esse philosophiam. Is enim conversatione digna etiam dæmones effugabat. Quodam namque tempore dum aliquis dæmonio vexaretur, evaginato gladio cœpit per totam discurrere civitatem; cunctisque fugientibus, occurrens ei solus, et nominans Christum, sermone mundavit virum, et fecit ab illo furore quiescere. Inter cujus diversa virtutum ornamenta, etiam hoc meminisse convenit. Erat draco ante Nicomediam, qui transeuntes suo flatu perimebat, habebatque cubile circa quamdam vallem. Quo veniens Ursacius, oravit. Tum sponte egrediens ille serpens, ac secundo caput percutiens, interemptus est. Quod hi mihi retulerunt qui eundem Ursacium viderunt. *Sozomen., lib. iv, cap. 15. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 559.*

CAPUT XXXIV.

De concilio Seleuciæ celebrato.

Nunc igitur de alia synodo, quam velut adinstar Ariminensis concilii in Oriente Constantius imperator fieri jusserat, pauca narrabo. Egerat enim primitus ut in Nicæa Bithyniæ congregarentur episcopi. Quorum conventum prohibuit maximus terræmotus. Hoc enim contigit consulatu Tatiani et Cerealis (*An. Dom. 358*), octava die mensis Augusti. Tractabant ergo transponere synodum in vicinam Nicææ civitatem. Quod cum displicuisset, rursus volebant in Tarso Ciliæ convenire. Deinde placuit apud Seleuciam Isauriæ, quæ vocatur Aspera, celebrare concilium. Quod actum est consulatu Eusebii et Hypatii (*An. Dom. 359*). Fueruntque qui convenerunt numero centum sexaginta. Cum quibus aderat unus in palatio clarus nomine Leonas. Quo præsentem, quæstionem fidei proponendam imperatoris jubebat oraculum; simulque præceptum fuerat adesse Lauritium militem, Isauriæ ducem, ut in quo opus esset episcopis ministraret. Convenerunt ergo vicesima septima die Septembris mensis, et sub gestorum confectione disputabant. Aderant etiam exceptores, utriusque partis verba signantes; quæ sub uno apud Sabinum collecta reperiuntur. Nos autem capitulatim ista describimus. Prima siquidem die Leonas jussit ut quæ viderentur unicuique proponerent. Porro qui præsentem erant non prius dixerunt quamlibet movendam esse quæstionem, nisi reliqui convenirent. Erant enim absentes episcopi Macedonius Constantinopolitanus, Basilus Ancyræ, et alii quidam accusari timentes. Et Macedonius quidem languorem finxit, Patrophilus oculorum dolorem, et alii similes adinveuerunt occasiones absentiarum. Cumque Leonas etiam illis absentibus proponendam diceret quæstionem, rursus aiebant episcopi non aliter quidquam fieri, nisi impetitorum vita discuteretur. Accusati namque jam fuerant Cyrillus Hierosolymorum, Eustathius Sebastiarum Armeniarum, et alii quidam. Ob quam rem contentio inter præsentem exorta est. Alii namque dicebant vitas accusatorum discutiendas, alii vero ante fidem

nihil esse quærendum. Movebatque quæstionem imperatoris diversa sententia; cujus litteris, nunc de fide prius agendum, nunc de accusatorum conversatione, legebatur. Hæc causa præsentem ad schisma perduxit, et in duas partes synodi multitudo divisa est. Unius enim partis dux erat Acacius Cæsareæ Pales-tinæ, Georgius Alexandriæ, Ursacius Tyri, Eudoxius Antiochiæ, quos alii triginta duo secuti sunt. In alia parte fuit Georgius Laodiciæ Syriæ, Sophronius Pompeiopolis Paphlagoniæ, Eleusius Cyziæ, quos plurimi sequebantur. Cumque placuisset ut prius de fide quæstio moveretur, hi quidem qui erant partis Acacii, Nicænam fidem aperte negaverunt, aliamque fidem dictare nitebantur. Alterius vero partis numero plurius, omnia quidem Nicæni concilii receperunt: de sermone consubstantiæ tantummodo querebantur. Multis igitur inter alterutros contentionibus usque ad vesperam generatis, novissime Sylvanus Tarsensis præsul Ecclesiæ, voce magna clamavit, dicens non oportere novam dietari fidem, sed dudum in Antiochia expositam tempore dedicationis debere servari. Quo dicto sequaces sunt egressi. Alterius vero partis protulerunt fidem Antiochiæ recitatam, quam relegentes solverunt illa die concilium. Altera vero die convenientes in oratorium Seleuciæ, januasque claudentes, relecto fidei **273** subscripserunt. Subscribebant autem etiam pro absentibus præsentem lectores atque diaconi, per quos se ferre hanc definitionem absentes profitebantur. *Socrates, lib. ii, cap. 31. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 146.* Acacius autem et alii partis ejus querebantur, eo quod ecclesia clausa subscriberetur, dicentes: Ea quæ occulte geruntur improbitatis suspitione plenissima sunt. Hæc autem faciebant, volentes aliam fidei explanationem; ipse quoque eam quam præparatam habebat legit, ibi quidem iudicibus Lauritio et Leonæ: studens ei robor acquirere. Hæc ergo die secunda sunt gesta. Tertia vero die Leonas rursus congregare partes festinabat episcoporum: quo die nec Macedonius defuit Constantinopolitanus, nec Basilus Ancyræ. Dumque ambo in una parte convenissent, denuo qui circa Acacium erant, occurrere noluerunt: dicentes oportere prius de concilio ejici eos qui pridem fuerant condemnati, et qui accusabantur in præsentem. Cumque contentio crederet, degressis eis qui positi in accusatione videbantur, etiam qui circa Acacium erant sunt ingressi. Tunc itaque Leonas ait libellum sibi datum ab eis qui cum Acacio erant, celans dogmatis esse dictationem. Et cum præsentem episcopi tacuissent: aliud quiddam, non expositionem fidei libellum continere iudicantes, mox fidei Acacii conscriptio cum præmio hoc modo relecta est:

Nos qui congregati sumus Seleucia Isauriæ, secundum imperatoris voluntatem hesternam die, quinto calend. Octobrium (*An. Dom. 359*), omne studium habuimus cum disciplina ecclesiasticam servare pacem, et de fide cogitare constanter, sicuti præcepit Deo amabilis imperator noster Constantius secundum propheticas evangelicasque voces, et nihil præter

Scripturas superinducere in ecclesiastica fide. Quia A vero aliqui in concilio alios nostrum injuriis affecerunt, alios loqui prohibuerunt, alios recluserunt inuitos, et damnatos secum ex diversis provinciis haeruerunt, nec non et eos qui contra regulas ordinati sunt, introduxerunt secum; ita ut undique tumulu synodus impleretur, sicuti et vir clarissimus comes Leonas et vir clarissimus dux provinciae Lanritius inspexerunt. Propterea haec interloquimur, quoniam non declinamus expositam cum auctoritate fidem in Antiochena dedicatione, proferentes eam; licet patres nostri illo tempore ad subjectam concurrerint questionem: quosiam multos turbavit consubstantialitatis nomen praeterito tempore et usque ad praesens. Nunc vero quia dicitur innovatum ab aliquibus de dissimilitudine Filii apud Patrem, haec ergo gratia B *ἐκ οὐρίου* et *ὁμοουρίου*, id est ejusdem substantiae et similis substantiae nomen abjicimus, tanquam Scripturarum extraneum, *ἀνορίου*, id est dissimilitudinis verbum anathematizamus, et omnes hujusmodi existentes ab Ecclesia alienos existimamus. Similem vero Filium apud Patrem aperte profiteamur, secundum Apostolum dicentem de Filio: *Qui est imago Dei invisibilis* (Coloss. 1, 15). Confitemur autem et credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Credimus autem et in unum Jesum Christum Filium ejus, ex eo natum impassibiliter ante omnia secula, Deum verum [ed., *Niv. et Prob.*, Verbum] ex Deo unigenitum, lumen, vitam, veritatem, sapientiam, voluntatem: per quem omnia facta sunt in caelis et in terra, C sive visibilia sive invisibilia. Hunc credimus in consummatione saeculorum pro destructione peccati assumpsisse carnem ex sancta Virgine Maria, et hominem factum, passum pro peccatis nostris, ac resurrexisse, et assumptum in caelis, sedere in dextera Patris, et iterum venturum in gloria judicare vivos et mortuos. Credimus et in Spiritum sanctum, quem Paracletum, id est consolatorem nominavit Salvator Dominus noster (Joan. xv, 26): promittens, postquam iret, discipulis eum esse mittendum, quem etiam destinavit, per quem et sanctificat credentes in Ecclesia, et baptizatos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Eos autem qui praeter istam fidem aliud quidquam praedicant, a catholica Ecclesia decernimus alienos existere. Haec est autem Acacii de ejus fide prolatio. Cui subscripsit et ipse, et consentientes ei, numero quem paulo ante praediximus.

Hac fide lecta, Sophronius Pompeiopoieos Paphlagoniae haec verba clamavit: Si per singulos dies propriam edere licuerit fidem, veritatis integritas non manebit. Haec quidem Sophronius ait. Ego autem dico quia si ab initio haec verba de Nicæna fide dixissent qui ante eos et post illos fuerunt, omnis potuisset cessare contentio. Tunc ergo plurima inter alterutros ob hoc et propter eos qui fuerant accusati, verba dicentes et audientes, abierunt. Quarta vero die convenientes omnes, rursus movebant cum contentione sermones. Inter quos Acacius his verbis suam sententiam patefecit: Si semel Nicæna fides

mutata est, nihil prohibet etiam nunc aliam dicere fidei. Ad haec Eleusius Cyzici haec verba respondit: Praesens concilium celebratum est, non ut anathema disceat neque ut fidei explanationem suscipiat, tanquam non habens eam; sed possidens Patrum fidem, hanc usque ad vitam mortemque custodiet. His ergo verbis Eleusius sententiae occurrit Acacii, fidem Patrum vocans Antiochiae declaratam. Cui recte quilibet poterit obviare, dicens: Quomodo Patres hos nominas, o Eleusi, dum illorum non recipis Patres? Hi namque, qui in Nicæa convenerunt, concordantes in consubstantialitatis verbo pro fide sancito, proprie dicuntur Patres, eo quod et tempore praecesserunt; et qui postea Antiochia convenerunt ab illis sacerdotii jura susceperunt. Si autem hi qui Antiochia congregati sunt Patres proprios negaverunt, consequenter istorum posterius Patrum destructores secuti sunt. Quomodo ergo et quorum illi fidem velut improbam respuerunt, isti quasi probabilem susceperunt? Si autem illi non habuerunt Spiritum sanctum, qui per officium manus impositionis accipitur, neque isti sacerdotium perceperunt. Quomodo enim acciperent a non habentibus quod datur? Haec objicere ergo responsa poterit quilibet Eleusio.

Cum haec ita agerentur, ad aliam venire questionem. Quia enim Acacius in fide qua lecta est, similem dixit Filium Patri, consulebant alterutros, secundum quid esset similis Filium Patri. Et qui circa Acacium erant dicebant secundum voluntatem solummodo, non secundum substantiam Patri similem Filium esse. Alii vero omnes etiam secundum substantiam declarabant. Id haec ergo contentione tota manserunt die. Et Acacium arguerunt, qui in suis sermonibus quos conscripsit, similem per omnia Patri Filium dixit: 274 nunc autem secundum substantiam similem denegavit. Quibus multum contententibus et ad nullam concordiam venientibus, surgens Leonas concilium solvit. Et iste fuit terminus synodi Seleuciaë congregatae. Altera namque die rogatus ut interesset, noluit, dicens: Directus sum ad concordiam concilii: vobis distantibus adesse non possum. Quo facto, nec qui circa Acacium erant ad synodum concurrere voluerunt. Altera vero pars in ecclesiam veniens, Acacium et qui erant cum eo vocavit, ut de Cyrillo Hierosolymorum episcopo haberetur examinatio. Sciendum itaque quoniam Cyrillus jam dudum fuerat accusatus atque damnatus: quoniam saepe evocatus ad iudicium, duobus annis jugiter declinavit, metuens accusantes. Condemnatus autem, appellationis libellum condemnatoribus destinavit, iudicium majus appellans. Cui appellationi consensit etiam Constantius imperator. Hoc itaque solus, et primus praeter ecclesiasticam consuetudinem atque regulam Cyrillus fecit episcopus; ut, sicut in publicis judiciis, libellis uteretur appellatoriis. Tunc ergo in Seleucia interfuit iudicandus. Et ob hoc episcopi Acacium ejusque consentaneos evocabant; ut de accusationibus cognoscentes, decretum commune proferrent. Evocabant igitur etiam alios quosdam qui fuerant accusati, et semetipsos contulerant ad

Acacium. Quos post crebram citationem nolentes occurrere, damnaverunt, et ipsum Acacium, Georgium Alexandrinum, Uranium Tyri, Theodulum Chæræ, Penum Phrygiæ, Theodosium Philadelphicæ Lydicæ, Evagrium insule Mytilene, Leontium Tripoleos Lydicæ, et Eudoxium, qui primo quidem Germanicicæ fuit, postea vero Antiochiæ Syriæ invasit episcopatum; damnaverunt pariter et Patrophilum, quia et ipse a Dorotheo presbytero accusatus, evocatus noluit obedire. Hos itaque damnaverunt. Excommunicaverunt autem Asterium, Eusebium, Abgarum, Basilium, Phœbum, Fidelem, Eutychium, Magnum, et Eustathium, sic eos manere decernentes, donec habita satisfactione, accusationibus semetipsos exuerent. His actis, damnationem celebratam eorum parochiis innotuerunt; inque locum Eudoxii Anianum constituerunt episcopum, quem comprehendentes qui circa Acacium erant, Leonæ et Lauritio tradiderunt, a quibus exilio destinatus est. Quo facto, episcopi qui ordinaverant Anianum contestationem obtulerunt Leonæ et Lauritio contra Acacium et consentaneos ejus, dicentes synodi iudicium fuisse violatum. Cumque nihil agerent, Constantinopolim sunt profecti, ut quæ gesta fuerant panderentur imperatori. SOCRATES, *lib. II, cap. 32. Edit. Christ. Vales. cap. 40, p. 148.*

CAPUT XXXV.

De legatis concilii Seleucicæ, et de examinatione Aetii, et gestis Ariminensium.

Hanc terminum habuit synodus in Seleucia constituta. Qui vero voluerit subtiliter universa cognoscere, exceptorum debet acta relegere. Post hæc ergo talia gesta sunt. Consentientes quidem Acacio ad imperatorem quam propere pervenerunt. Alterius vero partis episcopi singuli ad propria sunt reversi. Decem tantummodo eorum communi decreto missi, venientes ad principem, invenerunt directos decem ab Ariminensi concilio. Porro sequaces Acacii jam egerant ut potentes palatii ipsorum tuerentur partes, et per eos favor illis arridebat imperatoris. Dicebant enim alios quidem sibi consentire, alios autem ecclesiasticis pecuniis esse corruptos, alios incongruis falli seductionibus [*ed. V., seditionibus*]. Hæc agebat Acacius natura versutus, et præparatus ad intelligendum atque dicendum, cum etiam insignem haberet ecclesiam, id est Eusebii Pamphili, post quem ejus tenebat episcopatum, et gloriabatur eum se habuisse doctorem. Et cum talis esset, persuadebat facile quod volebat. Cum igitur Constantinopoli ex utroque concilio essent episcopi viginti, et alii qui casu præsentibus erant; primo quidem jubetur ut de Aetii questione judicaret, præsentibus maximis proceribus, Honoratus, quem non ante multum tempus imperator ab urbe Roma revertens, primum præfectum urbis Constantinopolitanæ constituit. Postea vero, etiam ipso Constantio cum iudicibus audiente, capitur circa fidem Aetius ægrotare; ita ut etiam imperator et alii quasi circa blasphema ejus verba commoverentur. Dicitur autem Acacium eique consentientes primum se hanc hæresim ignorare finxisse, et sub velamento quodam egisse cum principe, ut ipse cum suis proce-

ribus judicaret: credens Aetium non posse vinci sermonibus, et magis necessario capi judicantis auditus, ac sine contentione prævalere conamen hæreseos. Cumque hoc perfici nequisset, proferri scripturam prolatam ab Arimino, et a Seleucicæ synodo missos hanc suscipere, deprecabant. Et quæstio in eo de substantiæ nomine, jurejurando firmabant: quia nullatenus dissimilem secundum substantiam Filium faterentur, seque paratos hanc hæresim abdicare dicebant. Et quoniam inopiniate Occidentales nomen substantiæ in Arimino reliquerant, necessariam hujusmodi scripturam esse fatebantur. Dicebant autem quia si nomen substantiæ taceatur, cum nomine substantiæ etiam illud quod de consubstantialitate decretum est, sine dubitatione tacebitur: quod plurimi Occidentalium sacerdotum pro reverentia Nicæni concilii nimis amplectebantur. Hanc autem etiam imperator flexus est laudare conscriptionem: considerans multitudinem Arimino congregatam, et quia non peccaret qui similem Patri Filium diceret: idem esse virtute credens, consubstantialem et similis substantiæ professionem; nihilque intellectu differre, nisi nominibus quæ Scriptura divina nesciret. Hanc ergo sententiam habens, episcopos concordare præcepit in Ariminensis fide concilii. Cumque se altera die pararet ad consulatum (quod prima die mensis Januarii Romanorum more celebratur), totam diem et maximam noctis partem expendit, inter episcopos certamen habens, donec scripturæ ex Arimino delatæ subscriberent episcopi a Seleucia venientes. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 21 et 22. Edit. Christ. Vales., cap. 32 et 33, p. 577.*

275 CAPUT XXXVI.

Quomodo affirmaverint fidem Ariminensis concilii, et Aetium deposuerint simul et alios.

Acacius autem et qui cum eo erant aliquantum tempus Constantinopolim commorantes, evocaverunt episcopos ex Bithynia, inter quos erat et Marcarius Macedonensis [*lege Mares Chalcedonensis*], et Ulphilas Gothorum episcopus. Qui omnes numero quinquaginta convenientes, confirmaverunt Arimino lectam conscriptionem: adjicientes ut de cætero nequaquam substantia vel essentia nominaretur in Deo; et præter hanc scripturam omnes alias, aut factas, aut faciendas penitus abdicari. Quo facto, Aetium diaconatus ordine deposuerunt, tanquam hæretice sapientem, et qui contra ecclesiasticam consuetudinem quædam humanæ sapientiæ facta conscriberet, et dialogos plenos blasphemia dictaret, atque turbarum ecclesiasticarum et seditionis auctor exstaret. Dicitur autem ab aliquibus, quia non eum integro corde deposuerunt; sed volentes se principi commendare, eo quod dicerentur similia sapere. Videntes autem imperatoris indignationem quam circa Macedonium tunc habebat, etiam eum deposuerunt, et Eleusium Cyzici, et Basilium Ancyræ, et Ortasium Sardicorum, Dracontium Pergami. Et dum in dogmate viderentur habere discordiam, tamen tempore depositionis memoriam eorum fidei non fecerunt: sed culpas eis omnibus inferebant singula-

riter, per quas eos asserebant in ecclesiasticis regulis deliquisse. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 25. Edit. Christ. Vales. cap. 24, p. 579.*

CAPUT XXXVII.

Pro qua causa sit Cyrillus Hierosolymorum depositus.

Inter quos Cyrillum quoque Hierosolymorum deposuerunt, tanquam Eustathio Elpidioque communicantem. Hi enim contraria sapuerant eis qui in Mitylene fuerant congregati. Inter quos etiam ipse convenerat, et tanquam post depositionem in Palæstina factam, communionem participatus fuerat cum Basilio et Georgio Laodicæ civitatis episcopis. Cum enim Cyrillus Hierosolymorum suscepisset episcopatum, de jure metropolitæ contendebat cum Acacio Cæsareæ Palæstinæ, tanquam sedis apostolicæ pontifex. Hinc ergo in Antiochia constituti, derogabant alterutris, tanquam non saperent recte de Deo. Nam et prius uterque sibi in suspitione esse videbatur. Alter quidem Arii dogma laudabat; Cyrillus autem prædicantes consubstantiali Patri Filium sequebatur. Inveniens ergo tempus Acacius cum consentientibus sibi episcopis, Cyrillum pro hujusmodi causa deposuit. Cum fames Hierosolymorum provinciam occupasset, tanquam in episcopum necessitate ciborum turba respiciebat egentium. Cumque pecuniæ ad consolandum [*ed. Niv. et Frob., consulendum penuriæ*] non essent, vasa sacrata atque vela distraxit, et populi necessitati subvenit. SOZOMEN., *lib. iv, cap. 24. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 583.*

Imperatoris igitur animum hoc commovit, et maxime quod Acacius contra Cyrillum noscitur machinatus. Sacram namque vestem quam famosissimus imperator Constantinus ad honorem Hierosolymorum Ecclesiæ dederat Macario, illius civitatis pontifici, ut ea circumamictus, ministerio sacri baptismatis adimpleret (quoniam erat auro sericoque contexta), Cyrillum asserunt vendidisse, eamque vestem emisse quemdam Thymelicum saltatorem; et dum ea fuisset indutus, in ipsa saltatione cecidisse, atque contritum morti contraditum. THEODORETUS, *lib. II, cap. 27, p. 110.*

Hanc ergo causationem Acacius habens, Cyrillum episcopatu deposuit. Damnatos igitur episcopos ex urbe Constantinopolitana fugaverunt sectatores Acacii. Sibi autem consentientes, in depositionibus tamen illorum nolentes subscribere, cum essent numero decem, apud semetipsos interim habitare præceperunt, et neque ministerio fungi, neque Ecclesiæ gubernare, quandiu subscriberent. Et si non agerent pœnitentiam intra menses sex, et omnibus placitis atque gestis in illo concilio præberent scripto consensum, et ipsi deponerentur. Quo facto consentientes eis episcopi per singulas provincias alios ordinarunt. Cunque talia cogitassent, cunctis episcopis atque clericis scripserunt, ut hæc observarent atque perficerent. Ex hoc ergo non post multum tempus Macedonio succedit Eudoxius, Basilio Athanasius, Eleusio Eunonius, qui postea Eunomianæ princeps fuit hæreseos. Porro pro Eustathio Meletius Ecclesiæ

Sebastenæ suscepit episcopatum. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 24. Edit. Christ. Vales. cap. 41, pag. 583.*

LECTA est etiam in Constantinopolitana urbe cum adjectione expositio fidei. Sed nos labyrinthum expositionum vix aliquando reperientes, eorum numerum quoque digerimus. SOCRATES, *lib. II, cap. 32. Edit. Christ. Vales. cap. 41, p. 154.*

CAPUT XXXVIII.

Enumeratio diversarum expositionum hæreticarum, post explanationem fidei Nicæni concilii.

Post Nicænum namque concilium in dedicatione Antiochena, expositionem geminam dictaverunt. Tertia vero est quæ a Narcisso apud Gallias Constantio imperatori oblata dignoscitur. Quarta Eudoxii, quæ in Italia destinata est. In Sirmio tres dictatæ sunt, quarum in Arimino cum consulatu relecta [*ed. relicta*] est. Porro octava in Seleucia ab Acacii sociis edita est; ultima Constantinopoli cum adjectione recitata est. Erat enim additum, ut neque substantia neque subsistentia diceretur in Deo. In hac Ulphilas Gothorum episcopus tunc primo consensit [*ms. Lyr., conscripsit*]. Nam tempore præcedenti Nicænam amplectebatur fidem, sequens Theophilum Gothorum episcopum, qui præsens in concilio Nicæno subscripserat. Acacius igitur et Eudoxius cum suis Constantinopoli de quibusdam alterius partis episcopis condemnandis certamen habebant [*An. Dom. 363*]: videntes indignari contra Macedonium principem, primum condemnaverunt eum, tanquam plurimæ necis auctorem, et quia diaconum in fornicatione captum, in communionem susceperat. SOCRATES, *ibidem.*

276 CAPUT XXXIX.

Quod Eudoxius Arianus post Antiochenum Constantinopoleos invaserit episcopatum, et de prava Aetii doctrina.

Expulso siquidem Macedonio Eudoxius spernens Antiochiæ sedem, Constantinopolitanam invasit Ecclesiam, studio fultus Acacii, qui obliti suorum suis iudiciis contraria sanciverunt. Nam cum prius Dracontium deposuissent, eo quod ex Galatia transisset in Pergamum, non cogitantes quod actum fuerat, Eudoxium ad sedem aliam migraverunt. Quo facto, lectam fidem Arimino cum augmento quod ipsi in Constantinopolitana urbe adjecerant, ubique direxerunt: mandantes ut qui non subscriberent, jussione imperatoris exsilio mitterentur. Innotueruntque sua gesta et aliis Orientalibus sibi concordibus, et Patrophilo Scythopoleos episcopo, qui de Seleucia ad propriam mox redierat civitatem. Eudoxius siquidem constituto Constantinopoli, tunc etiam major ecclesia quæ dicitur Sophia, dedicatur consulatu Constantii decimo, et Juliani Cæsaris tertio (*Anno Dom. 360*), quinta decima die Februarii mensis. Eudoxius enim cum sedisset in sedem illam, primus vocem quæ ubique vulgata est protulit, dicens: Pater *ασιθής*, Filius *εσιθής*. Ista duo Græca verba diversos habent apud Græcos intellectus; *ασιθής* enim dicitur et impius et sine cultu; *εσιθής* dicitur pius et bene colens. Cumque dixisset hæc verba, turba generatur in populo, quasi Patrem dixisset impium, Filium vero pi-
m

Quo facto, nolite, inquit, turbari ad ea quæ dixi : A Pater enim *θεός* est, quia colit : Filius autem *υιός*, quia colit Patrem. Hæc cum dixisset Eudoxius, turba quidem sedata est : multus vero risus complevit ecclesiam. Et hactenus illud dictum cum derisione permansit. His enim hæresiarchæ seductionibus sermonibusque vacantes, Ecclesiam lacerabant. Hujusmodi ergo termino etiam synodus Constantinopolitana conclusa est. SOCRATES, *lib. II, cap. 33. Edit. Christ. Vales., cap. 43, p. 156.*

Igitur Acacius et socii ejus non cessabant, sed congregati apud Antiochiam, quæ eis dudum placuerant destruebant; et ex conscriptione quæ Arimino et Constantinopoli fuerat lecta, nomen similitudinis abscindere nitentur, et per omnia substantiam atque voluntatem dissimilem esse Patri apud Filium, et ex non existentibus factum introducebant, sicut Ario primo placuerat : quibus Aetiani etiam consentiebant. Is enim Aetius post Arium primus aperte his nominibus uti præsumpsit. Quapropter Sine Deo vocabatur : ejusque sequaces propterea Dissimiles, et Non existentiales sunt dicti ab his qui Antiochia consubstantialitati consentiebant. Hos ergo dum requirerent cultores Nicæni concilii, cur in expositione fidei suæ Deum ex Deo Filium dicentes dissimilem, et ex non exstantibus nominare præsumerent? his sermonibus respondebant : Sic dictum est Deum ex Deo, sicut habetur apud Apostolum (*Rom. XI, 36*) : Omnia autem ex Deo, unus ergo omnium etiam Filius Dei ; et propterea positum est in expositionibus, secundum Scripturas. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 28. Edit. Christ. Vales., cap. 29, p. 588.*

Hujus verbi princeps fuit Gregorius Laodiceus episcopus; qui cum talia doceret, ignoravit quemadmodum Apostoli proprietates superiori tempore Origenes latius examinavit atque interpretatus sit. SOCRATES, *lib. II, cap. 35. Edit. Christ. Vales. cap. 45, p. 157.*

CAPUT XL.

De crudelitate Georgii apud Alexandriam, et qui post Cyrillum Hierosolymorum tenuerunt episcopatum.

Interea dum adhuc Athanasius celaretur, Georgius Alexandriæ crudeliter paganos afflicebat, et adversantes sibi Christianos; utrosque enim cogebat ad suam venire sententiam, et respuentes afflicebat. Erat enim apud sapientes odibilis, quasi despiciens eos, et judicibus imperans, apud populum vero quasi tyrannus, et ultra potentes elatus : præcipue tamen paganos opprimebat, quos sacrificare et paternas festivitates agere prohibebat. Tunc enim milites et Ægypti ducem armatos in civitatem introduxit, imagines et ornamenta templorum abstulit, quod ei postea causam necis adduxit. Cyrillo siquidem deposito, sicut predictum est, apprehendit Hierosolymorum Ecclesiam Herennius, et post illum Heraclius, post quem Hilarius. Hos enim tunc Ecclesiam illam gubernasse percepimus usque ad imperium Theodosii principis, quando rursus Cyrillus ad proprium remeavit episcopatum. SOZOMEN., *lib. cap. 29. Edit. Christ. Vales. cap. 30, p. 589.*

CAPUT XLI.

De Macedonio et Macedonianis.

Igitur Macedonius Constantinopolitana pulsus Ecclesia, damnationem non ferens, quiescere respuebat. Declinavit enim ad eorum partem qui apud Seleuciam Acacium cum sociis deposuerant. Misitque legationem ad Sophronium et Eleusium, quatenus defenderent expositam prius in Antiochia fidem, et postea apud Seleuciam roboratam, et similis substantiæ fidem divulgandam esse commonuit. Ad quem concurrunt multi familiarium, qui nunc ab eo Macedoniani vocantur. Quicumque enim in Seleuceno concilio Acacium declinaverunt, aperte verbum similitis substantiæ sanciverunt, cum prius hoc non manifesto iudicio declarassent. Est enim opinio apud multos, quia non inventum sit Macedonii, sed magis Maratonii Nicomediensis episcopi : unde etiam Maratonii vocitantur; ad quos Eustathius expulsus de Sebastia confugit. Cunque Macedonius sanctum Spiritum comprehendere in tractatu divinæ Trinitatis declinaret, tunc et Eustathius : Ego, inquit, neque Deum nominare Spiritum sanctum patior, neque creaturam præsumo. Propter hæc ergo causam Spiritui repugnantem appellat hujusmodi personas, hi qui in consubstantialitatis expositione concordant. SOCRATES, *lib. II, cap. 35. Edit. Christ. Vales. cap. 45, p. 158.*

Cum itaque Macedonius de Ecclesia Constantinopolitana fuisset expulsus, non ea quæ Acacius atque Eudoxius sapiebat; sed tradebat magis Filium Deum, per omnia et secundum substantiam similem esse Patri. Sanctum vero Spiritum non earum rerum esse participem, sed ministrum, et perhibentem officium, et quæcumque de sanctis angelis dici possunt. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 26. Edit. Christ. Vales. cap. 27, p. 585.*

277 CAPUT XLII.

De his quæ rursus ab Arianis contra ipsos Arianos gesta sunt; et quomodo Eustathius nequitiam paleferit Eudoxii; et epistola Constantinopolitani concilii ad Georgium Alexandrinum, condemnantis Aetium cum scriptis ejus.

Igitur sequaces Acacii in Antiochiam magno studio convenerunt, acti pœnitentia, quia similem dixerant Filium Patri. Et consulatu sequenti, id est, Tauri et Florentii (*An. Dom. 361*), cum Euzoio eam gubernaret Ecclesiam, imperatore ibidem constituto, pauci quidem rursus movebant ea quæ dudum placuerant : dicentes oportere sermonem similis substantiæ auferri ab expositione fidei traditæ, tam in Arimino quam Constantinopoli : non celantes, sed aperte dicentes, quia per omnia dissimilis Filius est Patri, non solum secundum substantiam, sed etiam secundum voluntatem; et ex non exstantibus esset, sicuti prædicaverat Arius. Cum quibus erant sectatores Aetii. SOCRATES, *lib. II, cap. 35. Edit. Christ. Vales. cap. 45, p. 159.*

Ea siquidem tempestate, dum perfidia accusaretur Eudoxii, inter alios Eustathius, quoniam de fide, inquit, examinationem vis fieri, o imperator, Eudoxii considera blasphemias. Obtulitque ejus expositionem, inter alia sic habentem : Google

Quæ dissimiliter proferuntur, dissimilia secundum A substantiam sunt :

Unus Deus Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.

Dissimile autem est, ex quo, et per quem : dissimilis igitur est Filius Deo Patri.

Hac lectione commotus imperator, requisivit Eudoxium, si fateretur suam. At ille negavit, dicens, quia esset Aetii. Quem dum jussisset imperator adduci; requisitus, licet ejus non fuerit, suam esse professus est; et ideo exsilio destinatus. Eustathius tamen etiam Eudoxium ita sapere proclamabat, exigens ut scripturam anathematizaret Aetii. Quod licet tarde, fecit tamen; et damnavit quod prius et postea prædicabat. Deinde etiam ipse exigebat ut ille ἀθεώσιον anathematizaret, quod Scripturæ non habent. Tunc Sylvanus, et ex non existentibus, inquit, et creatura, et alterius substantiæ, scripta nusquam sunt. Justum ergo est hæc abdicari. Quod imperator quoque decrevit ut fleret; quod, licet cum difficultate, fecerunt. Quo gesto, exigebant ut et ipsi ἀθεώσιον abdicarent. Tunc disputative atque veraciter Sylvanus ait: Si ex non existentibus non est, necque creatura, nec ex alia substantia Deus Verbum: igitur consubstantialis est genitori Patri; sicut Deus ex Deo, et lumen ex lumine, eandemque habet cum genitore naturam. Tunc imperator iratus, exsiliu interminatus est eis. At illi: Potestatem, inquit, habes puniendi: non tamen nos Patrum statuta destruimus. Tunc imperator illos pelli jussit Ecclesiis, et pro eis alios ordinari. Tunc Eudoxius, cum tyrannice Constantinopoleos teneret Ecclesiam, pulso Eleusio Cyzici, Eunomium ordinavit episcopum. Et Aetium in scriptis abdicaverunt, cujus videbantur esse consortes; scripseruntque Georgio quod fuerat gestum. THEODORETUS, *lib. II, cap. 27, p. 111.*

EXEMPLAR EPISTOLÆ UNIVERSI CONCILII

Ad Georgium contra Aetium,

Propter nefariam blasphemiam ejus.

Sancta synodus Constantinopoli congregata, domino honorabili Alexandrinæ civitatis episcopo Georgio salutem.

Synodo reprehendente Aetium propter nefandas ejus et plenas scandalis scripturas, secundum consequentiam ecclesiasticarum sanctionum, super eo ab episcopis actum est quod decebat. Diaconatu namque depositus est, et ab Ecclesia factus extraneus. Et a nobis hæc monita processerunt, ut neque ad lectionem cujuscumque veniant nefandæ ejus epistolæ: sed abjiciantur, eo quod vehementer inutiles sunt. His autem adjicimus etiam anathematizandum eum, si permaneat in eo proposito, cum sequacibus suis. Consequens enim erat ut omnes in synodo convenientes episcopi deponerent auctorem scandalorum et schismatum in omni terrarum orbe factorum inter Ecclesias, et concordarent in sententia contra eum juste prolata. Sed extra vota spemque nostram Serras et Stephanus, Heliodorus et Theophilus in

nostra sententia concordare noluerunt, neque in ejus depositione subscribere; cum scilicet Serras etiam aliam vesanam arrogantiam ejusdem accusaret Aetii. Dicebat enim eum asperiora præsumere, atque dixisse: quoniam ea quæ Deus hactenus celasset apostolis, revelata sibi affirmaret. Post hujusmodi vesanos superbosque sermones a memorato Serra de Aetio protestatos flecti precibus nequiverunt, ut in nostra fierent determinatione concordēs. Veruntamen nos longanimitate detenti, multo tempore sustinuimus eos, nunc indignantes, nunc rogantes, nunc interminantes, nunc iterum supplicantes, ut convenirent nobiscum, et consona omni concilio definirent. Sustinebamus ergo si forsitan audirent, si forsitan intelligerent, si forte prospicerent. Cumque, multo tempore nobis perdurantibus, non flecterentur sequi sententiam super prædicto viro prolata, Ecclesiæ honorabiliorē esse quam horum virorum amicitias judicantes, finivimus contra eos excommunicationis tempus, sex mensium ad agendam penitentiam eis dantes inducias; ut si intra hoc tempus converterentur et consentirent definitionibus fratrum suorum, susciperentur in Ecclesia, et propriam fiduciam charitatemque repararent. Si vero sine penitentia permanerent, amicitiasque hominum regulis Ecclesiæ et concordie nostræ præponerent, tunc eos episcopatus dignitate esse judicamus extraneos. Quibus depositis, necessarium erit ut in eorum locis alii constituantur episcopi, quatenus legalis Ecclesia competentem sumens ordinem, sibi concordet: episcopis videlicet universis servantibus vinculum charitatis, eademque cum perfectione dicendo in uno intellectu unaque essentia. Ut ergo cognoscas quæ concilio placuerunt, hæc tæe reverentiæ scripta transmisimus: orantes ut gratia Christi ista custodiens, pacifice et legitime regas sub te constitutas ecclesias. THEODORETUS, *lib. I, cap. 28, p. 114.*

278 CAPUT XLIII.

De Eunomio, et quomodo in Cyzico fuerit ordinatus, et inde rursus expulsus, hæreseos auctor exstiterit.

Hunc enim Aetium Eunomius suis libris exaltat, et hominem Dei vocat, multisque favoribus honorat. Sed tunc et abdicantibus eum interfuit, et ab eis episcopalem ordinationem ipse suscepit. Eudoxius igitur et Acacius cum suis præbentes consensum his quæ in Nicæa Thraciæ gesta sunt, pro Basilio et Eleusio alios constituerunt episcopos: de quibus supervacaneum loqui nunc censeo. De Eunomio solum habito sermone narrabo. Igitur cum, Eleusio vivo, Cyzicenam Ecclesiam percepisset Eunomius, et populi salubritatem vidisset Eudoxius, atque imperatorem conspiceret sævientem contra eos qui creatam profitebantur unigenitum Dei Filium, eum compulit ut celaret hunc sensum, nec eum aperiret investigantibus accusatoribus: dicens Eunomio quoque, quoniam opportuno tempore prædicabimus quæ modo celamus, et ignorantes docebimus, et contradicente aut flectente, aut cogente, aut puniente. His promissionibus persuasus Eunomius, obumbratam proferebat impietatem. Sed qui divinis educati sunt ser-

monibus, videntes dictorum calliditatem, moleste quidem ferebant: aperte vero contradicere præsumptionis opus, et non sapientiæ judicabant. Circumponentes ergo speciem sibi hæreticæ pravitatis, et hoc se esse fingentes, accesserunt ad domum ejus: rogantes ut eis exponeret aperte dogmatis veritatem, nec pateretur huc et illuc eos diversis ferri doctrinis. Tunc ille accepta præsumptione, sensum quem celabat aperuit. Quibus dicentibus nimis esse nefarium ut non omnes sub eo constituti veritate fruerentur, his et hujusmodi seductus verbis, in conventu ecclesiæ suam blasphemiam revelavit. At illi zelo suas animas accendentes, ad Constantinopolim perrexerunt. Et primum quidem apud Eudoxium inscripserunt Eunomium; quo eos non suscipiente, adeuntes principem, pestem illius cum gemitu panderunt. Dicebant enim potius istius dicta impia esse quam Arii. Pro his indignatus imperator, præcepit Eudoxio ut deduceretur Eunomius, et convictus sacerdotio nudaretur. Cumque frequenter ab accusatoribus importunitatem passus Eudoxius declinaret, adierunt rursus imperatorem, ingemiscentes, quia nihil quod præceperat fecisset Eudoxius; sed tantam despiceret civitatem, blasphemiam Eunomii perentem. Tunc Constantius expulsurum se interminatus Eudoxium est, nisi Eunomium judicandum deduceret, et convictum in accusatione puniret. Hoc metuens Eudoxius, scripsit Eunomio ut de Cyzico fugeret, sibi que reputaret, qui nequaquam ejus monitionibus obesset. Verum Eunomius metuens accessit quidem; sed contumeliam non ferens, proditiois quidem accusabat Eudoxium, læsumque se et Aetium asserbat; ac deinde gregem propriæ cohortis instituit. Quicumque enim ejus dogmatis concordiam sequebantur ab Eudoxio recesserunt: proditioem accusantes ejus, sociantes semetipsos Eunomio, qui hactenus ab illo nomen habere noscuntur. Hinc ergo hæresiarches factus Eunomius, impietatis cumulo auxit Arii blasphemias. Quia vero arrogantiam serviens passioni, proprium probatur fecisse collegium, ipsa quæ sunt gesta conclamant. Nam cum abdicatus Aetius fuisset et expulsus, cum eo egressus non est; licet doctorem eum et Dei hominem nominaret; sed mansit conjunctus Eudoxio. Cum autem impietatis poena exigeretur, ratum non habuit concilii decretum; sed ordinavit episcopos atque presbyteros episcopali dignitate privatus. THEODORETUS, *lib. II, cap. 26, p. 115.*

CAPUT XLIV.

De Apollinare patre simul et filio, et eorum hæresi.

Per idem tempus in Laodicia Syriæ duo erant viri uno nomine nuncupati, pater atque natus, uterque dicebatur Apollinaris. Pater presbyteri dignitate lunctus, filius autem habens lectoris officium. Græcorum ambo doctores eloquiorum. Pater grammaticus, filius erat rhetor. Pater namque, cum fuisset Alexandrinus genere, et prius docuisset in Beryto, postea Laodiciam, et veniens duxit uxorem, et filium habuit Apollinarem. Tunc igitur ambo exercebantur cum

A Epiphano sophista; et cum essent ejus amici, valde fovebant eum. Hoc metuens Theodotus Laodicensis episcopus, ne frequenti confabulatione sophistæ declinarent ad paganitatem, prohibuit ne ad ejus scholas accederent. Qui parvipendentes episcopum, Epiphaniæ amicitias magis amplectebantur. Postea Georgius Theodoti successor, cum eos prohibere non potuisset, ambos communionem privavit. Tunc Apollinaris filius arbitratus esse injuriam, et fretus eloquii tumore sophisticæ, novitatem et ipse introduxit hæreseos, quæ nunc fertur nomen inventoris gerens. Aiunt enim quidam excitatos eos adversus Georgium, non tantum propter prædictam causam, sed quia videbant eum varia dogmata proferentem; et nunc quidem profitentem similem Patri Filium, sicut erat Seleucia constitutum; nunc autem in Ariandam declinare sententiam. Quapropter velut opportunam sumentes occasionem, abscedunt. Cumque nullus eis intenderet, sub schemate religionis pestem hæreseos introducunt. Et primum quidem dicebant animam a Deo Verbo in dispensatione incarnationis non assumptam. Deinde quasi pœnitentia ducti, corrigentes semetipsos adjecerunt: Animam quidem assumptam, quæ tamen non haberet mentem, sed Deum Verbum esse pro mente in homine assumptum. Circa hoc itaque solum dicuntur esse corrupti, qui nunc illorum nomine vocitantur; nam Trinitatem consubstantialem esse profitentur. SOCRATES, *lib. II, cap. 36. Edit. Christ. Vales. cap. 46, p. 160.*

279 CAPUT XLV.

C *Quomodo Jacobi episcopi orationibus Persarum rex non potuerit prævalere Romanis.*

Cum inter hæc Sapores rex Persarum contra Romanos castra metaretur, Constantius cum magno exercitu veniens Antiochiam, fugavit hostes (*An. Dom. 357*). Quod non militia Romanorum egit, sed Deus, qui colitur a Romanis. Tropæum ergo nunc studeo narrare victoriæ. Nisibis, quam quidam Antiochiam Mygdoniam vocant, in termino posita est Persicarum Romanarumque terrarum. Hujus erat episcopus atque rector, et dux Jacobus, apostolicæ gratiæ radiis illustratus. Cujus digna laudandaque miracula in hac historia conscribere aut enumerare supervacaneum judicavi. Sed unum tantummodo ejus opus narrationis causa exponam. Hujus igitur civitatem Romanis subditam Persarum exercitus obsidebat; et cum septuaginta dies jugiter observaret, et multas quidem cepisset civitates, plurimaque circa hanc molimina posuisset et vallos, atque fossata pro capienda urbe fecisset, cum nequaquam valuit obtinere. Postea vero Persæ impetum Mygdonii fluminis, per civitatem mediam properantis, a longe retinentes, et utrasque ripas ejus facientes celsiores, ut aqua in se collecta concreveret, quo vi majori posset irruere: cum vidissent jam etiam illas quas fecerant sublimes ripas impleri, subito auferentes quas fecerant cataractas, dimiserunt impetum fluminis contra murum, qui vehementis aquæ pondus non ferens, est inclinatus et cecidit. Quo facto, ingrediens aqua cum magno impetu, etiam partem muri,

unde fluvius solebat exire, cum magna ruina deposit. Hoc Sapores inspiciens, credidit se sine pugna capere civitatem. Et illa quidem die quievit, ut et fundus fluminis purgaretur, et posset ambulari per fluvium. Altera vero die cum omni militia credens per loca ruinosa murorum civitatem intrare, vidit murum ex utraque parte fabricatum. Ille namque sacratissimus homo orationibus milites coarmavit, et alios urbis habitatores. Quo facto, et murum restituit, et præpugnacula fecit, quibus repelleret accedentes. Et hoc non ad murum veniens egit, sed intra templum sacratum Domino supplicans adimplevit. Porro Saporem non solum muri fabrica terruit, sed etiam altera visio perturbavit. Vidit enim stantem supra murum quemdam imperiali schemate circumamictum, et tam purpura quam diademate resplendere. Arbitratus autem esse Romanorum imperatorem, mortem minatus est eis qui nuntiaverant non illic eum esse præsentem. Quibus affirmantibus se vera dixisse, et Constantium Antiochia commorari, ex vultu, quem videbat, agnovit eorum verba esse veracia; et ait, Deum bella gerere pro Romanis. Cumque hoc graviter haberet, infelix sagittam dimisit in aerem. Et cum vidisset quia in corpore eum jaculari non potuit, tamen a vesaniæ suæ impetu non recessit. Tunc igitur Ephrem vir mirabilis, et conscriptor egregius apud Syros, sacratissimo Jacobo supplicabat ut veniret ad murum, et videns barbaros, maledictionis jacula contra eos emitteret. Flexus ergo venerabilis homo, ascendit in quamdam turrin; et cum millia millium videret exercitus, aliam maledictionem eis non petiit, nisi cinyphes et culices; ut per parva animalia supernam virtutem potuissent agnoscere. Orationem vero secutæ sunt nebula cinyphum et culicum. Et elephantorum quidem promuscidas, cum sint concavæ, equorum vero, aliorumque jumentorum aures simul et nares impleverunt. At illi ferre vim parvorum animalium non valentes, sessores suos, ductoresque excussos dorsis projecerunt, et diruptas acies confuderunt; exercitumque relinquentes, summo impetu fugiebant. Hoc modo ter miserrimus imperator parvam clementemque correptionem in se cognoscens factam, a Deo habente providentiam animarum eum pie colentium, suum exinde reduxit exercitum: confusionem, non victoriam ex illa obsidione percipiens. THEODORETUS, lib. II, cap. 50, p. 117.

CAPUT XLVI.

De concilio denuo apud Antiochiam congregato.

Hoc itaque tempore Constantius Antiochia morabatur. Et, Parthico prælio quiescente, rursus colligebat episcopos: cogens omnes negare verbum et unius substantiæ et alterius substantiæ. Verum cum Eudoxius post Leontium Antiochenam arripisset sedem, deinde pulsus post multa concilia, cum Constantiopolitanum inique tenuisset episcopatum, Antiochena Ecclesia pastore privata videbatur. Tunc ergo convenientes episcopi, cum essent plurimi, et undique congregati, dicebant imperatori oportere

A primitus pastorem constitui, et ita cum illo de dogmatibus cogitari. THEODORETUS, lib. II, cap. 31, p. 119.

CAPUT XLVII.

De translatione sancti Meletii ad Antiochenum episcopatum, et de ejus expositione de unitate Trinitatis.

Illo tempore sacratissimus Meletius civitatem quamdam Armeniæ regens, et barbaros edocens, quietem habere videbatur. Quem putantes Ariani sibi consentire, petierunt a Constantio ut Antiochenæ constitueretur præsul Ecclesiæ. Cum quibus etiam orthodoxi propter claritatem ejus vitæ et salubritatem rectorum dogmatum, in ejus subscribere decreto; ipsunque decretum utraque pars Eusebio Samosateno commendavit episcopo. Veniente siquidem magno Meletio, occurrit ei populus utriusque partis, cum quibus Judæi pariter et pagani desiderantes famosissimum illum videre Meletium. Tunc imperator et ei et aliis qui exponere poterant jussit ut populis explanarent locum illum: *Dominus creavit me in initio viarum suarum in opera sua* (Prov. VIII, 22); præcipiens ut exceptores eorum verba conscriberent. Et primum quidem Georgius Laodicæ fetorem hæreticæ pestis evomuit. Post quem Acacius Cæsariæ, quamdam nisus mediam proferre doctrinam, multum ab illorum blasphemiam recessit: non tamen summum apostolicæ integritatis dogma servavit. Tertius autem magnus surrexit Meletius, et rectitudinem regulæ in sacrâ disputatione monstravit. Nam veluti quodam pondere veritatis utens, et quod plus, et quod minus erat, evitavit. Cumque turba universa savellet, rogans ut brevem eis doctrinæ daret imaginem: tres ostendens digitos, deinde colligens duos, et unum tenens, illam laudabilem protulit vocem: Tria sunt quæ intelliguntur, sed tanquam de uno disputamus. THEODORETUS, *ibidem*.

CAPUT XLVIII.

Quod, expulso Meletio, Euzoius Arianus Antiochiæ sit ordinatus episcopus.

Eo tempore fertur archidiaconem ejus Ecclesiæ, adhuc loquente, extensa manu ejus os obstruxisse. At ille suam sententiam manu clarius quam voce signavit. Tribus enim apertis digitis, et denuo clausis, et uno tantum digito rursus extenso, pollicis schemate divulgabat: quia tres unum sunt. Deinde archidiacone ejus manum, ore dimisso, tenente, libera voce clamabat, Nicænum servari debere concilium. SOZOMEN., lib. IV, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 587.

Contra hanc doctrinam Ariani calumniæ linguas exacerbant, Sabellianum asserentes sanctum esse Meletium. Ob quam rem principi suaserunt ut in propriam provinciâ exsilio mitteretur. Et suprascriptus Euzoius aperte Arianum dogma laudavit; hunc enim cum Ario magnus Alexander diaconatu privaverat. Hoc itaque facto, Christianus populus ab hæreticis divisus, in apostolicam ecclesiam positam loco qui dicitur Vetus, conveniebat. Annis namque triginta postquam magnus Enstathius fuerat expulsus, orthodoxi Arianorum onera sunt perpassi, rerum

mutationem utilem sustinentes. THEODRETUS, *lib. II, A cap. 31, p. 120.*

Sequacibus enim Meletii communicare noluerunt hi qui ab initio Nicænum dogma servaverant : dicentes, quia ex Ariano decreto Meletius fuerit ordinatus, et sequaces ejus ab illo sint baptizati : ob quam rem Antiochena Ecclesia in aliam dividitur partem. SOZOMEN., *lib. IV, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 588.*

Cumque viderent orthodoxi hæreticorum crescere magis impietatem, et apostolici dogmatis defensores aperte debellari, sanctumque Meletium pulsum, et Euzoium hæreticum ordinatum, verborum memorati sunt, quæ dicta sunt Loth : *Salva* (inquit), *salva animam tuam* (*Gen. XIX, 17*). Ad hæc etiam evangelici verbi dicentis : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, aufer eum et abjice abs te* (*Matth. V, 29*). Idem et de manu et pede Domino sanciente, qui etiam adjecit, dicens : *Melius est enim tibi ut pereat unum membrum tuum, quam totum corpus in gehennam mittatur* (*Matth. V, 30*). THEODRETUS, *lib. II, cap. 31. Edit. Christ. Vales. cap. 32, p. 121.*

CAPUT XLIX.

De constantia Eusebii propter Meletium.

Porro mirabilis Eusebius, cujus dudum memini decretum fuisse commendatum, videns prævaricationem pactorum circa Meletium meditatam, ad suam reversus est civitatem. Ariani vero scriptum testimonium metuentes, Constantio suaserunt ut mitteret qui decretum de Meletio factum ab Eusebio revocaret. Tunc missus est veredarius qui hæc velociter adimpleret. Cumque venisset et imperatoris verba nuntiasset, tunc Eusebius admirandus, commune, inquit, depositum non restituum, nisi omnes qui tradiderunt dicant. Quod dum qui fuerat missus renuntiasset, indignatus imperator, denuo misit, ut redderet quod accepit : adjiciens scripto, ut si reddere nollet, dexteram manum ejus abscinderet ; verbo tamen jubens illi quem misit, ne faceret quod habebatur in litteris. Cumque epistolam legisset Eusebius, et invenisset poenam ab imperatore dictatam, cum dextera manu obtulit et sinistram, ambas incidi petens. Nam decretum, inquit, non dabo, clarum Ariane pestis indicium. Hanc ejus firmitatem Constantius videns, laudavit egregie. Mirantur enim et impij resistentium sibi laudes, cum gestorum magnitudine superantur. THEODRETUS, *lib. II, cap. 32, p. 121.*

CAPUT L.

Quomodo Julianus, negata Christiana religione,

bellum contra Constantium parabat, et de morte Constantii.

Hæc igitur apud Orientales agebantur Ecclesias. Interea Julianus Cæsar bello devincens barbaros apud Rhenum fluvium residentes (*An. Dom. 361*), alios quidem peremit, alios cepit ; claraque victoria decoratus, dum mediocritate vitæ atque mansuetudine militibus gratus esset, ab eis appellatur Augustus. Hoc facto, nihil de Constantio cogitans, judices ab illo factos honoribus mulcebat ; et ad illius invidiam litteras proferebat, quibus ostenderet eum propter bellum contra Magnentium gestum, in Italiam barbaros induxisse. Repente vero religione mutata, cum prius Christianus esse putaretur, semetipsum pontificem nominavit ; et veniens ad templâ paganorum, sacrificabat, subjectisque talia colere suadebat. Cumque Constantius propter bellum Persicum Antiochiæ moraretur, sperans ille quia sine bello posset Illyricum detinere, ad eos agebat iter : dicens se velle Constantio satisfacere, tanquam non sponte, sed voluntate militum infulus imperii suscepisset. Dicitur itaque quia dum ad hos terminos accessisset, vindemia jam collecta, circa occasum pleiadum uvas denuo fuisse prolatas. Insuper etiam imbrem ex aere descendentem, in ejus veste simul et cæterorum guttas singulas crucis formasse signacula. Hoc facto, videbatur et ipsi et aliis, quia botris extra tempus illatis, bonum rei panderetur indicium ; imber autem cadens vestem supra quam ceciderat roboraret. **281** Alii vero dicebant, uvarum signum præter tempus significare perditionem imperatoris ad instar hujusmodi botrorum, et parvi temporis fore ejus imperium. Porro de cruce dicebant prænuntiare hoc signum, quia sit cœleste dogma Christianorum, et oporteat signari cunctos crucis indicio. Unde cognoscitur quia diversa interpretati, quam dixerat imperator, veritate fraudati non sunt ; utrumque enim opportune dictum sequens tempus ostendit. Cum audiret itaque Constantius contra se venire Julianum, instructione belli Parthici derelicta, Constantinopolim veniebat. SOZOMEN., *lib. V, cap. 1, p. 591.*

Et Mopsucrenis inter Cilicas atque Cappadocas, nimia cogitatione apoplexiæ passione defunctus est, consulatu Thauri et Florentii, tertia die mensis Novembris, anno vitæ suæ quadragesimo et quinto (*An. Dom. 361*) : ex quibus tredecim cum patre regnavit, viginti quinque post illum. SOCRATES, *lib. II, cap. 37. Edit. Christ. Vales. cap. 47, p. 161.*

Quo defuncto, Julianus quidem jam Thracias obtinebat. Et non post multum Constantinopolim veniens, appellatus est imperator. SOZOMEN., *lib. V, cap. 1, p. 591.*

LIBER SEXTUS.

282 CAPUT PRIMUM.

De Juliani genere ac disciplinis, et quomodo pervenerit ad imperium.

Nunc igitur de Juliano pauca dicenda sunt, ejus-

que genere ac disciplina, et quomodo venerit ad imperium [*ms. Lyr., principatum*]. Constantius, qui Byzantium suo nomine Constantinopolim appellavit, duos habuit ex eodem patre, non ex eadem

matre, germanos; quorum unus Dalmatius, alter Constantius vocabatur. Et Dalmatius quidem habuit sui nominis filium; Constantius autem duos habuit natos, Gallum et Julianum. Post mortem Constantini conditoris Constantinopolitane civitatis, dum milites juniorem Dalmatium peremissent, tunc et isti, defuncto jam patre, pene mortis periculum cum Dalmatio sustinuerant, nisi Gallum quidem ægritudo quæ putabatur inevitabilis liberasset; Julianum vero ætas infantis; erat enim annorum octo. Cumque ab eis fervor imperatoris quievisset, Gallus circa Ephesus apud doctores erat, ubi etiam a progenitoribus possessiones habebat. Porro Julianus crescens, in auditoriis Constantinopolitane urbis exercebatur in basilica ubi doctores erant, habitu privato procedens; habebatque pædagogum eunuchum nomine Mardonium, grammaticum Nicoclem Laconensem. Rhetoricam vero legebat apud Eubolum [*ms. Frob. et Niv.*, Ecebolum] sophistam tunc Christianum. Quod providentia quippe Constantii gestum est: ne apud paganum sophistam legens, ad ejus superstitionis dogmata declinaret. Erat enim Julianus ab initio Christianus. Cumque lectione proficeret, fama per populum volitabat, quia posset etiam Romanam gubernare rempublicam. Quod dum latius panderetur, æstuaciones induxit imperatori Constantio. Quamobrem abstulit eum ab urbe regia, et misit in Nicomediam: præcipiens ne conveniret apud Libanium sophistam Syrum. Tunc enim Libanius a pædagogis Constantinopolitanis expulsus, Nicomedia morabatur. Prohibebatur ergo Julianus apud Libanium legere, eo quod paganus esset, verumtamen librorum ejus lectionibus utebatur. Cumque proficeret in rhetorica, supervenit in Nicomediam Maximus philosophus, non ille Byzantius pater Euclidis, sed Ephesius; quem postea quasi artes magicas exercentem, Valentinianus imperator præcepit occidi. Tunc igitur non ob aliam causam Nicomediam venerat, nisi Juliani fama pertractus. Apud quem Julianus cum verba philosophica [*ms. Lyr.*, sophistica] prægustasset, coepit etiam doctoris imitari religionem. Is enim etiam imperii cupidinem animo ejus immiserat. Cumque hæc non laterent aures imperatoris, interspem metumque constitutus, suspicionem celare volens (quia qui dudum integer fuerat Christianus, postea proditor est effectus), tonsus monachicam simulabat vitam; et latenter quidem exercebatur in philosophia; in manifesto autem sacros Christianorum legebat libros. Denique in ecclesia Nicomediæ lector est constitutus; et sub hoc habitu furem declinavit imperatoris. Hæc equidem pro timore faciebat, nequaquam a spe recedens quam mente conceperat. Dicebatque plurimis amicorum suorum feliciora fore tempora quibus ipse rerum potiretur imperio. **233** Dum hæc itaque contra eum sic agerentur, Gallus germanus ejus Cæsar constitutus, venit ad Nicomediam visurus eum, dum pergeret ad Orientem. Post paululum vero perempto Gallo, repente Julianus quoque sit suspectus imperatori, qui etiam eum custodiri præcepit; et dum fuga lapsus fuisset, diversa loca circumeundo

A salvatus est. Vixque sero uxor imperatoris Eusebia celatum inveniens, supplicavit imperatori quatenus nihil mali pateretur: sed ut potius ad philosophandum mitteretur Athenas. SOCRATES, *lib. iii, cap. 1, p. 164.*

Cœpit igitur Julianus imperialia sceptrâ desiderare. Quamobrem discurrens universam Helladam, vates quærebat responsa reddentes: consulens si ad suum imperium perveniret; invenitque virum qui ei desiderata se dicere fateretur. Is eum perducens ad quemdam idolorum locum, et intramittens in adytum, seductores dæmones evocavit. Quibus solemniter apparentibus, terrore compellitur Julianus in fronte sua crucis formare signaculum. Tunc dæmones tropæi dominici figuram respicientes, et suæ recordati devictionis, repente disparuerunt. Quod agnosceus magus, coepit culpâre Julianum. At ille et terrorem significavit, et crucis se dixit obstupuisse virtutem, eoque videntes hoc signum dæmones evanuerunt. Porro magus: Non hoc suspicris, inquit, o bone vir, quia timuerunt, sicut ais: sed abominati hoc signum potius, absceserunt. Et ita capiens miserum, odio prelevit Christiani signaculi Julianum. THEODORETUS, *lib. iii, cap. 3, p. 126.*

Post hæc igitur imperator evocavit Julianum, et constituit Cæsarem (*An. Dom. 360*): dansque ei conjugem Constantiam sororem suam, contra barbaros eam destinavit ad Gallias. Ili namque barbari, quorum imperator Constantius contra Magnentium solatia petierat, cum nihil profuissent contra tyrannum, Romanorum vastabant urbes. Cum esset ergo juvenculus Julianus, jussit ut præter consilium dæcum nihil moliri præsumeret. Cumque illi accepta potestate negligenter, et propterea barbari superarent, tunc Julianus duces quidem deliciis vacare permisit. Sumens autem milites, eisque spolia peremptorum hostium compromittens, initium vincendi barbaros fecit, et amorem suum apud milites collocavit. Fertur itaque, dum in aliquam civitatem fuisset ingressus, quia corona laurea, quibus solent civitates ornari, inter columnas pendens, rupto fune super ejus caput decidit, eumque apertissime coronavit. Quo facto, cuncti clamaverunt, quia ei signum foret imperii. Aiunt enim quidam Constantium propterea eum contra barbaros direxisse, ut ibi deficeret. Sed nescio utrum vera suspicio sit; nam qui ei germanam dedit uxorem, si hoc cogitasset, contra se potius insidias excitaret. Cum igitur Julianus apud imperatorem de ducum negligentia quereretur, alter mittitur magister armorum, ejus alacritati conveniens, cujus ministerio cum barbaris est fiducialiter congressus; et dum illi per legatos litteras imperatoris eos ad provincias invitantis ostenderent, tunc ille legatos eorum misit in vincula; factaque congressione vicit, ita ut etiam captum regem Constantio dirigeret. Ille cæ felicitate provectus, a militibus appellatur Augustus. Cumque corona deesset imperialis, unus signa portantium torquem quem habebat in collo, sumens, Juliani capiti circumposuit. Hoc ergo modo Julianus imperator est factus. Que

vero postea gesserit ille philosophus iudicent au-
dientes. In ipso namque principio non missa lega-
tionis apud Constantium, nec animum benefactoris
placans, quæcunque ei videbantur agebat : modo ju-
dices mutando provinciales, modo derogando Con-
stantio, et per urbes singulas publice relegendo ab
eis barbaris definitas epistolas. Quamobrem plurimi
cum sequebantur, a Constantio recedentes. Tunc
igitur etiam flagitium Christianitatis quod habebat
abiecit. Et dum circumiret diversas urbes, aperiens
templa, idolis offerebat, et semetipsum paganorum
pontificem nominabat. Cumque talia gereret, inte-
stinum bellum contra Constantium quæsitâ occasione
præparabat, et quantum ad eum perfici potuit. Non
enim sine multo sanguine studium ejus philosophiæ
poterat adimpleri, nisi Deus consiliorum iudex, alte-
rum sine alterius concertatione finisset. Nam cum
venisset Julianus ad Thracias, nuntiatum est ei mor-
tuum fuisse Constantium. Et hoc modo intestino bello
Romanum liberatur imperium. Veniens autem Julia-
nus Constantinopolim, cogitare cepit quemadmodum
sibi populum complacere, et ejus favorem decenter
acquireret. Quod hac arte fecit. Bene namque scie-
bat Constantium ab omnibus populis nomen consub-
stantialitatis amplectentibus odiri : ob quam rem ab
ecclesiis videbantur exclusi, et episcopi confiscati ex-
silioque directi. Simul etiam noverat et paganos
fuisse contristatos prohibitione sacrificiorum, et desi-
derare adipisci tempus quo eorum aperirentur tem-
pla, et haberent idolis immolandi licentiam. Sic igitur
utrumque populum mœroribus vulneratum a de-
functo agnoscens, et communiter omnes eunuchorum
violeniia, et præcipue Eusebii rapinis ingemiscen-
tes, apud omnes semetipsum artificioso velamine com-
mendavit ; et aliis quidem iugebat, aliis autem per
vanam gloriam largus erat : omnibus tamen in com-
muni, qualis esset religio, monstrabat. Et primum
quidem crudelitati Constantii circa subjectos dero-
gans, et eam [ed. Frob. et Niv., eum] coram populo
universo redarguens, jubet episcopos exsilio depor-
tatos revocari, et confiscatas eorum reddi substan-
tias. Tempa quoque paganorum velociter suis nec-
cessariis præcepit aperire. Eos autem qui fuerant ab
eunuchis oppressi, recipere quæ male ab eis fuerant
abrepta sancivit. Eusebium vero præsidem impe-
riali cubiculo morte damnavit, non solum quia mul-
tos oppresserat, sed quia Gallum quoque fratrem
suum, ejus accusatione audierat interemptum. Et
corpus quidem Constantii regio honore sepelivit. Ex-
pulsitque palatio eunuchos, tonsores et cocos. Eunu-
chos quidem, quia ejus uxor obierat, post quam non
duxit aliam. Cocos autem, eo quod cibus simplicibus
uteretur. Tonsores autem : unus, inquit, sufficit
multis. Scriptorum autem plurimos fortunæ antiquæ
restituens, reliquis eorum mercedem scripturæ dari
præcepit. Abscidit quoque etiam publicum cursum
mularum et caballorum, quos publicis jussit utilitati-
bus ministrari. Hæc ejus opera laudant pauci, pluri-
mque vituperant : quia remoto fastu palatii, con-
tempibile videbatur imperium. Is enim noctibus vi-

gilans conscribat libros ; et descendens in senatu
publice recitabat. Solus enim imperatorum 284 a
Julio Cæsare in curia senatus recitavit orationes.
Honorabat quoque disciplinarum cultores, maxime
philosophantes. Quamobrem unilique fama congre-
gabat hujusmodi viros, emanantes circa palatia, qui
circumamicti palliis, magis habitu quam magisterio
pandebantur. Erantque graves universis Christianis,
seductores viri et imperatoris semper religioni fa-
ventes. Habens itaque Julianus plurimum vanæ glo-
riæ vitium, cunctos ante se principes laceravit in
oratione quam de Cæsaribus scripsit. Hac ergo arro-
gantia motus, etiam contra Christianos conscripsit
libros. Ut ergo cocos atque tonsores expelleret, opus
philosophi, non tamen imperatoris egit ; ut autem de-
traheret atque laceraret, neque philosophi neque
principis fuit. SOCRATES, lib. III, cap. 1, p. 166.

CAPUT II.

*Quomodo Julianus ad ritum devenerit paganorum, et
de sa. rificiis idolorum.*

Fertur itaque mox in ipso principio Julianum sic
aperte et impudenter negasse Christianam fidem, ut
quibusdam sacrificiis et invocationibus, quas expia-
tiones [ed., expeditiones] pagani vocant, et sanguinis
immolatione, nostrum baptisma studeret abluvi, et
abrenuntiare ecclesiasticæ confessioni. Ex illo enim
tempore tam secrete quam publice, et in templis li-
center pagani sacrificia celebrabant. Fertur etiam
quia dum aliquando sacrificaret, ostensum sit ei in
visceribus pecudis immolatae signaculum crucis co-
rona circumdatum. Qua visione, alios quidem sacrifi-
cii ministros fuisse perterritos : æstimantes quippe
hujusmodi religionis virtutem et Christiani dogmatis
æternitatem : eo quod corona quæ circumdabat cru-
cem victoriæ esset iudicium ; et quia ambitus circuli
a suo principio nusquam terminaretur, sed magis
rursus reverteretur in semetipsum. Cumque ceteri
mirarentur, princeps hujus scientiæ confortavit eos :
dicens prospera et utilia sibi indicia fuisse monstrata ;
et quia magis signum dogmatis Christiani coerceretur ;
nec ei quo vellet dilatari liceret, termino circuli
circumsepto. SOZOMEN., lib. V, cap. 2, p. 599.

CAPUT III.

*Quomodo etiam ante imperium latenter fuerit pa-
ganus.*

Julianus enim metuens Constantium, quia genere
proximos, tyrannidis formidine, perimebat, lectorum
sociatus est choro, et divinos codices in ecclesia,
populo audiente, legebat. Nam et basilicam Mamæ
ædificavit, quam divina providentia non suscepit.
THEODORETUS, lib. III, cap. 2, p. 125.

Cum adhuc pueri Gallus et Julianus in Cappadocia
morarentur, aiunt habuisse eos tunc studium ut ma-
ximam basilicam ad sepulturam martyris Mamæ
[ed., Mamæ] fabricarent ; et inter se dividerant opus.
Cumque ambo certarent in ædificio, ut alter alterum
superaret, fertur aliquod provenisse miraculum ; et
nisi hactenus superessent qui hæc se audivisse ab in-
spicientibus enarrant, videretur forsitan incredi-

bile. Galli namque pars augebatur, et omnino cre-
scebat; Juliani vero labores, alii quidem fodiebantur,
[ms. *Lyr.*, fœdabantur], alii, terra ipsa evomente,
ruleribus implebantur. Aliquoties deposita funda-
menta terræ copulari non poterant, perinde ac si
quælam violenta virtus ex loco inferiore ea reper-
cutiendo depelleret. Quæ causa cunctis apparebat
esse prodigiosa. Ex illo namque æstimabant quia non
esset vir ille in religione Christiana salubris. SOZOMEN., lib. v, cap. 2, p. 594.

CAPUT IV.

Quam fuerit Julianus Christianis infensus.

Cum igitur solus tenuisset imperium, templaque
reserasset, et alia repararet, omnem devotionem
etiam ministris templorum affluentius impendebat.
Sæpe vero civibus in commune rescripsit, ut ad pa-
ganos accederent ritus, et ejus donatione fruerentur,
Christianis se inimicum aperte designans; ita ut ne-
que venire ad se eos vellet, neque legationes eorum
suscipere. Denique cum Persæ movissent bellum, le-
gationem mittentibus Nisibinis, tanquam omnibus
Christianis, et neque templa reserantibus, neque ad
eorum sacra venire volentibus, interminatus est, non
se auxilium præbiturum, nec legationem quasi pol-
lutæ civitatis esse suscepturum, neque ad eos primi-
tus accessurum, nisi cognosceret in paganitatem esse
mutatos. Hoc etiam apud Palæstinam questus de Con-
stantiensibus delegavit. Hic enim locus, cum esset
Gazæ portus, et Maioma vocaretur, essetque Christia-
nis plenus, a Constantino dignitatem meruit civita-
tis, et ex filii ejus nomine Constantia nuncupata est.
Injustum enim arbitratus est Constantinus ut paga-
nis subdita videretur esse Gazensibus. Tunc ergo
Juliano regnante, litem Gazæ Constantiensibus intul-
erunt. Quo iudice residente, Constantiam rursum
eis subdidit, distantem quasi stadia viginti. Et ex illo,
sublato priori nomine, Gazæ Maritimæ vocabulo nun-
cupatur. Habebat enim communes iudices atque du-
ces; sola vero jura Ecclesiæ duas videntur ostendere
civitates; utraque enim suum episcopum habet et
clerum. Et vigilæ martyrum atque collectarum apud
eos seorsum fiunt, et termini utriusque episcopatus
Ecclesiæque subsistunt. Quodam tempore defuncto
Majumeno pontifice, quidam præsulum Ecclesiæ Ga-
zæorum studuit utrumque clerum suæ ditioni submit-
tere, fas non esse dicens ut uni civitati duo episcopi
præsiderent. Resistentibus Maiomenis, deliberavit
provinciæ synodus, ut eis proprium ordinaret epi-
scopum: oportere credens ut qui sub Constantino
pro pietatis religione civitatis habere privilegia me-
ruerunt, et pagani principis iudicio hæc amiserunt,
in sacerdotis et ordine Ecclesiarum nequaquam dato
antiquitus honore privarentur. SOZOMEN., lib. v, cap.
3, p. 596.

Ea siquidem tempestate Cæsaream Cappadociæ
maximam ac felicissimam civitatem ita vocari prohibuit,
eique appellationem antiquam Cæsaris abrogavit
quam a Claudio Cæsare promeruerat; nam prius
Marazæ vocabatur. Habebat enim odium ejus anti-

PATROL. LXXIX.

A quitus, eo quod omnis ejus esset populus Christia-
nus, et templum apud se Jovis 285 et patrii des-
truxisset Apollinis. Nam cum etiam, eo regnante,
Fortunæ sacellum, quod solum remanserat, a Chri-
stianis fuisset eversum, civitati crudeliter erat infe-
stus; et paganorum populos illic habitantes valde
culpabat, qui semetipsos uli non essent, et quodlibet
pro Fortuna sustinissent. Omnes vero possessiones
atque pecunias Cæsariensium Ecclesiarum cum ver-
beribus exquirens, ad medium ejus jussit afferri.
Moxque ex eis trecentas auri libras in ærario publico
collocavit. Clericos autem universos aggregari inter
milites jussit, duci provinciæ servituros, quod est ni-
mis grave et vehementer injuriosum. Populum vero
Christianorum cum uxoribus atque filiis inscribi præ-
cepit, et tanquam vicaneos tributa persolvere: cum
interminatione jurans, quia nisi templum rursus/so-
stinanter ædificarent, et civitatem nimis affligeret,
et neque capita sua Galileos habere permetteret. Sic
enim solebat vocare Christianos. Quod forte even-
nisset, nisi fine celeri defecisset. SOZOMEN., lib. v,
cap. 4, p. 593.

CAPUT V.

Quod initio imperii sui magis pepercerit Christianis.

Initio namque parcens Christianis, clementior vi-
sus est, sciens priores persecutores nihil profuisse ad
augmentum paganitatis quotquot punierint Christia-
nos, qui magis hinc creverint et facti sint gloriosi pro
vero dogmate morientes. Invidiam igitur habens eo-
rum gloriæ, a tormentis abstinuit, iudicans esse ne-
cessarium ut sermone potius et admonitione ad pa-
ganitatem coleudam populo suaderet, credens etiam
hinc se monstrare clementem. SOZOMEN., lib. v, cap.
4, p. 599.

CAPUT VI.

*Quomodo Mares episcopus Chalcedoniæ in facie re-
darguerit Julianum.*

Dicitur enim quia, dum Constantinopoli apud For-
tunam sacrificaret, accessisset ad eum Mares episcopus
Chalcedoniæ, et publice impium, et ἄθρον, id est sine
Deo, apostatamque vocitasse; illum vero solam ei
improperasse cæcitatem (erat enim senex, et pro
imbecillitate oculorum manu alterius agebatur). Su-
per hæc volens etiam lacerare Deum, consuevit dixit:
Neque Galileus Deus tuus curare te potest. Respon-
dens vero Mares dixit: Ego, inquit, Deo meo pro
cæcitate gratias ago, quia hoc ideo gestum est, ne te
videam pietate nudatum. Imperator autem nihil re-
spondens abscessit. Sic enim putabat potius roborari
paganitatem, si se patientem ac mitem Christiano
populo demonstrasset. SOZOMEN., lib. v, cap. 4, p.
599.

CAPUT VII.

*Quod eos qui fuerant a Constantio deportati revocave-
rit, et de vexatione ecclesiasticorum et populi Chri-
stiani.*

Hæc itaque faciens, eos qui fuerant a Constantio
fugati pro religione revocavit, et confiscatis patri-
monia sua restituit, præcipiens populo ut nullum

laderent Christianum, neque nolentem sacrificare compellerent; sponte vero accedentes ad aras prius expiari apud dæmones, purgarique solitis eorum sacrificiis præparabat. Clericis autem omnia privilegia, honores consuetudinesque subtraxit, et leges positas pro eis solvit, ipsosque curiæ tradidit; simul et a virginibus et viduis quæ pro penuria inter clericos pascebantur, iussit exigi ea quæ dudum a publico accepisse videbantur. Constantinus enim imperator disponens res ecclesiarum, unicuique civitati prospexit, ut clerus sufficientia emolumenta [*ms. Lyr., alimenta*] perciperet, et hoc lege firmavit; quod hactenus, mortuo Juliano, servatur. Hanc exactionem aiunt nimis fuisse crudelem. Auferebat enim subinde pecunias et ornamenta sacra; templaque sub Constantino et Constantio fundata destruebantur; datæ ad ædificia pecuniæ rursus exigebantur. Hac occasione sacerdotes, et clerici, et populus Christianus crudeliter vexabantur. SOZOMEN., *lib. v, cap. 5, p. 600.*

CAPUT VIII.

De seditione apud Alexandriam orta contra paganos.

Per idem tempus in Alexandrinorum maxima civitate contigit ex huiusmodi causa seditio. Erat locus quidam in civitate antiquis temporibus desolatus atque neglectus, multaque sorde completus: hic pagani olim deæ Methræ sacrificantes, homines immolabant; quem locum Constantius, quasi vacantem, Ecclesiæ Alexandrinæ concesserat. Hic Georgius volens oratorium fabricare, repurgium faciebat. Quod dum fieret, inventum est illic adytum in multa profunditate constructum, in quo paganorum mysteria celebrabantur [*ms. Theod., celabantur*]. Erant enim ibi calvariæ hominum plurimæ, majorum pariter et infantium, qui perhibebantur illic exstincti, ut ex eorum visceribus artes magicæ exercerentur. Hæc igitur Christiani reperiens in adyto Methræ, studuerunt ad irrisionem paganorum universis hæc factiora reserare, divulgabantque capita hominum quæ compererant. Hæc Alexandriæ pagani respicientes, et opprobrium non ferentes, ira succensi sunt; et omne quod ad præsens invenerunt, arma iudicantes, impetu contra Christianos facto, multos interemerunt, alios gladiis, alios fustibus aut lapidibus, alios funibus strangulantes, quosdam etiam crucifigentes ad sanctæ crucis injuriam, plurimos diversis vulneribus affligentes. Et ita gestum est, ut neque proximis parcerent, sed philosophus philosophum percussit, et frater fratrem, pater filios et parentes, et invicem in sua nece grassati sunt. Quamobrem Christiani eundem locum purgare quieverunt. SOCRATES, *lib. III, cap. 2, p. 170.*

286 CAPUT IX.

Quomodo Alexandrinus Georgius sit exstinctus.

Interea cum iudices denuntiassent mortuum fuisse Constantium et imperare Julianum, seditionem fecit in Alexandria populus paganorum, et impetu facto super Georgium, vinculis eum alligaverunt. Quem post paululum venientes ad carcerem peremerunt, ejusque cadaver imponentes camelo, a mane usque

ad vesperam per totam portaverunt [*ms. Santheod., pompaverunt*] civitatem, et circa sero concremaverunt. Multi ferunt Arianorum, quod ab amatoribus Athanasii id factum sit; sed ego reor indubitanter hoc fecisse gentiles, cum utique et querelas haberent adversus eum propter idola et templorum injurias, prohibitionemque solemnitatum. Quod etiam Julianus sic se habuisse testatur per litteras ad Alexandrinos missas, in quibus culpatur eos pœnamque relaxat, quasi propter reverentiam Serapis, quem civitatis conservatorem dicit, et Alexandri conditoris ejus, necnon Juliani avunculi sui, in paganitate devoti et Christianos nimis odientis. SOZOMEN., *lib. v, cap. 7, p. 603.*

CAPUT X.

Quomodo Julianus (avunculus Juliani Apostatæ) ecclesias clausurit et ecclesiæ ornamenta diriperit.

Dicitur enim quia studium habuerit ut in thesauris imperatoris plurima et pretiosa Ecclesiæ Antiochenæ vasa reconderet, et quia clausisset ecclesias, et universos clericos effugasset, et solum tunc Theodoritum stetisse presbyterum. Quem cum tanquam vasorum custodem comprehensum crudeliter sauciasset, novissime gladio præcepit occidi. Qui fortiter inter universa tormenta respondit, et pro dogmatis confessione [*ms. Lyr., defensione*] devicit. Cumque universa Deo dicata vasa et pallia collegisset, projiciens hæc in terram, contumeliis et injuriis, ut voluit, agens Christum, super ea etiam sedit, et cumulum auxit injuriarum. Moxque verenda ejus et loca femoribus circumposita feruntur esse percussa, et ad tantam pervenit usque putredinem, ut vermes crearet, medicis laborantibus nec valentibus vincere passionem. Conficiebantur enim omnimoda pretiosaque medicamina ex pinguibus volatilibus, ut eorum crassitudine corrupta et putrida membra linirentur. Hoc facto vermes ad superficiem provocabant, quia in profundo ebullientes, vivas discernebant carnes. Et donec moreretur, non fuit ab hac passione securus. Hoc itaque claruit divina indignatione gestum, cum etiam custodes imperialium thesaurorum, et alii plurimi adversus ecclesias insurgentes, inopinata et miseranda morte defuncti sunt, quasi superna indignatione damnati. SOZOMEN., *lib. v, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 604.*

CAPUT XI.

De Eusebio, Nectario et Zenone martyribus.

His dictis, tempus est ut memoriam faciamus Eusebii, Nectarii et Zenonis fratrum Christianorum, contra quos odiun exercentes populi Gazæorum, domi celatos et comprehensos, vinculisque traditos atque flagellatos, postea convenientes in theatrum, adversus eos clamare cœperunt, quasi eorum templa destruxissent et in injurias paganorum præterito tempore multa gessissent. Cumque alterutros, ut vulgi moris est, excitarent, concurrentes ad carcerem, et educentes eos crudeliter occiderunt, nunc in terra pronos, nunc supinos trahentes, atque percutientes, et vulnerantes lignis, lapidibus atque fustibus. Au-

divi namque etiam mulieres egressas, et cum radiis A telarum eorum corpora vulnerasse; et cocos publicos, alios aquam, alios ferventes ollas fuisse super eos, alios subulis eorum membra perforasse. Cumque eos dilacerasset capitaque fregissent, ita ut cerebrum in terra jaceret, deduxerunt ante urbem, ubi solebant mortua jumenta projicere: ibique eorum corpora concremantia, ossa quæ remanserant inter cadavera camelorum et asinorum permiscuerunt, ne possent facile reperiri; quod non diu latuit. Quædam namque mulier Christiana, non tamen de Gaza, divino præcepto per noctem ea colligens et in urnam recondens, Zenoni eorum consobriño servanda contradidit. Deus enim per visum mulieri revelavit hunc virum: ei namque erat ignotus, et nuper habita persecutione celabatur. Hoc ergo modo per mulierem B reliquias eorum accepit et interim domi servavit. Cumque is ejusdem Ecclesiæ suscepisset episcopatum imperante Theodosio, fabricata basilica ante civitatem, et altare fixo, ossa martyrum collocavit juxta confessorem Nestorem. Qui dum in vita sua cum istis suis proximis habitaret, cum martyribus comprehensus a populo, vinculis eorum flagellisque participatus est. Is enim, dum traheretur, habens pulcherrimum corpus, ad miserationem persecutores adduxit. Quem ante portas semivivum, morti tamen proximum projecerunt. Hunc colligentes quidam, Zenoni detulerunt; apud quem, dum curaretur, defunctus est. SOZOMEN., lib. v, cap. 8. Edit. Christ. Vales. cap. 9, v. 605.

CAPUT XII.

De Hilarione monacho, et crudelitate Heliopolitanorum et Arethusiorum contra Christianos, et de Marco episcopo ejusque martyrio.

Inter hæc autem dum Hilarionem monachum Gazæi requirerent, fugit in Siciliam: ubi ligna de montibus colligens, et in civitate vendens, et propriis humeris portans, transigebat quotidianam vitam. Cumque ejus illic virtus fuisset patefacta per dæmones, venit in Dalmatias; ibique virtute divina plurima miracula faciebat, ita ut etiam mare, quod quædam occupaverat loca, sua oratione repelleret. Sed etiam 237 hinc rursus abscessit, quia ubi laudabatur habitare declinabat: demutando loca cunctis esse studebat incertus, ut opinionem suam crebra migratione destrueret. Novissime vero dum navigaret Cyprium, venit in Paphum: invitatusque ab episcopo Paphi, dilexit locum, et circa prædium Charybdim nuncupatum philosophatus est; quem ut martyr non esset fuga prohibuit. Fugiebat enim, quia præceptum divinum est non expectare persecutores. Nam qui in persecutione comprehenduntur, fortiter ferre jubentur. Gazæi siquidem et Alexandrini contra Christianos talia gessisse noscuntur. Sed Heliopolitani et Arethusii Syriam habitantes, ad tantam venere crudelitatem, sicut illorum temporum homines explanaverunt, ut sacras virgines insolitas a populo videri, publice nudatas stare cogèrent in theatro. Quas primo irriserunt, postea totonderunt, novissime per medium sectas, porcos, ut eas comederent, provoca-

bant. Ut ergo reor, Heliopolitas ad crudelitatem sacrarum virginum res illa perduxit, eo quod paterna consuetudo qua fornicabantur eorum virgines atque quam nuberent, prohibita videretur. Constantinus enim, destructo in ea civitate Veneris templo, primus apud eos construxit ecclesiam, et consuetas fornicationes lege prohibuit exerceri. Arethusii vero Marcum suæ civitatis episcopum, senem, vita et conversatione reverendum, mirabili morte peremerunt. Hunc enim etiam prius habuerunt odiosum, eo quod Constantii temporibus, ut paganos ad Christianitatem reduceret, templum eorum ornatissimum pretiosissimumque destruxerit. Cumque Julianus imperasset, motus in eum est, et præcepit ut aut æstimationem templi redderet, aut id rursus ædificaret. Et dum utrumque impossibile foret Christianis simul et sacerdoti, primo fugit secundum evangelicam legem; postea vero cum multi propter eum periculis et necessitatibus subderentur, de fuga reversus est, et sponte semetipsum populo, quod vellent in eum exercere, contradidit. Qui dum laudare philosophum debuissent, credentes potius contemptorem, irruentes in eum, et per singulas plateas trahentes, ejus capillos et membra dilacerabant viri simul et femine; ita ut subtilibus restibus ejus aures abscinderent. Verum infantes apud magistros positi deludebant ei, alapis cædentes, et graphiis sine aliqua parcitate pungentes. Quem etiam in cunicula deposuere fetentia. Cumque adhuc respiraret, eum ex melle et liquamine perungentes, et in sportam mittentes appenderunt in aere.

C Dicitur ergo quia tunc vespis et apibus ip. um contingentibus, et carne ejus vescentibus, dixerit Arethusiis: quia ipse quidem esset excelsus, illos vero videret in humili constitutos; sed postea hoc etiam ipsos fore passuros. SOZOMEN., lib. v, cap. 9. Edit. Christ. Vales. c. 10, p. 607.

Hoc igitur agentes, cogebant eum ut templum reædificaret, aut ut daret impensas. Quod dum non faceret, putantes pauperem, vel medietatem petebant pecuniarum: novissime vel paucum aliquid exigebant. Quibus ait: Nec unum obolum pro omnibus dabo. Sic igitur superati, ab ejus se suspendere supplicii. THEODORETUS, lib. III, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 7, p. 131.

Sermo fertur quia tunc præfectus præcipue paganus fuerit admiratus Marci constantiam, et ad principem veniens quereretur: dicens esse verecundum ut in uno sene tanta tormenta committerentur; et Christianos, dum talia paterentur, fieri gloriosos, se vero magis esse opprobrio. Marcus ergo tali est sine coronatus. SOZOMEN., lib. v, cap. 9. Edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 109.

CAPUT XIII.

De Macedonio, Theodulo et Tatiano martyribus.

Eodem tempore Macedonius quoque, Theodulus et Tatianus Phryges martyrii pignora consecuti sunt. Nam dum in Meroe civitate Phrygiæ templum aperuisset provincie judex, et longo tempore plenum rudericibus emundaret, ingredientiæ isti per noctem,

idola contriverunt. Cumque propter hoc multi com- A
prehensi ad supplicium ducerentur, illi semetipsos
innouerunt. Quos dum iudex, quasi habita satisfac-
ti ne delictorum, nollet occidere, populis clamantibus,
vario tormentorum genere castigavit. Novissime vero
in craticula superpositos ardere præcepit. Cumque
cremarentur: Si assis, inquit, carnibus, o Amati,
delectaris (sic enim vocabatur iudex), altera latera
ignibus objice: ne dum comedere cœperis, carnes
semicrudas invenias. Et isti ergo fortissimo certamine
devicerunt. Aiunt itaque Busyrim in Ancyra
Galatiæ clarissimam, fortissimamque habuisse con-
fessionem, cum fuisset in hæresi quæ vocatur Encra-
tistarum, id est Abstinentium. Hunc enim, dum iudex
comprehendisset quasi contra paganos insilientem,
torquere volebat in publico; jussitque ut appende- B
retur in ligno. Tunc Busyris extensis cito manibus
supra caput, nolvit latera: dicens non opus esse
ut ministri appendentes eum, deponentesque labo-
rarent, cum esset ipse pronus ad pœnam quam
vellent exercere, et latera sua tortoribus præpararet.
Miratusque ejus promissionem iudex, rei experimento
magis obstupuit. Nam dum unguis ferrea ejus latera
vehementius exararent: donec judici placuisset,
sustinuit manus extensas, et plagas cum alacritate
suscepit. Post hæc autem reductus in vincula quie-
scebat. Porro post paululum, morte nuntiata Juliani,
usque ad Theodosii principatum vixit; et in Ecclesia
catholica, acta pœnitentia prioris hæreseos, conver-
satus est. SOZOMEN., lib. v, cap. 10. Edit. Christ. Vales.
cap. 11, p. 610.

CAPUT XIV.

De Basilio martyre et Eupsychio.

In illo siquidem tempore ferunt vitam finisse
martyrio Basilium Ecclesiæ Ancyranæ presbyterum,
et Eupsyrium Cæsariensem Cappadociæ, ducta nu-
per uxore, dum adhuc quasi sponsus esse videretur.
Eupsyrius enim peremptus est propter Fortunæ tem-
plum, quod, sicuti jam diximus, dirutum fuerat; et
in communi Cæsarienses iram principis sunt experti,
et alii quidem morte, alii fuga mulctati sunt. Basilus
autem studiosus vir, circa dogmata probatus, dum
vixit Constantius, restitit Arianis. Et propterea Eu-
doxii decreto ab ordine est remotus ecclesiastico.
Cum vero Julianus tenuisset imperium, Christianos
publice commonebat, ut proprium dogma servarent,
nec paganorum superstitione macularentur, **238** hono-
resque collatos a principe pro nihilo judicarent,
temporales utique, et perpetuæ damnationis auctores.
Propterea ergo in suspicionem et odium veniens pa-
ganorum, quoniam publice sacrificantes inspiciens
stabat, et ingemiscens orabat atque clamabat, ne
ullus Christianorum hujusmodi errore teneretur ob-
noxius; comprehensus et traditus provinciæ judici,
multaque tormenta fortiter sustinens, martyrio coro-
natus est. Hæc ergo colligens sub uno retuli, licet
diversi anni vel dies eorum videantur esse martyrii.
SOZOMEN., lib. v, cap. 10. Edit. Christ. Vales. cap.
11, p. 611.

CAPUT XV.

*Quæ in Gaza contra Christianos crudeliter sint com-
missa, et in Sebastia, et in Phœnice.*

Quæ enim idolorum seductionibus subditi tempore
illo commiserint, multa quidem sunt, et propriis
libris egentia; sed ego ex multis pauca narrabo. In
Ascalonia siquidem et Gaza, virorum sacerdotio di-
gnorum, et mulierum virginitatis conversatione pol-
lentium, dividendes uteros, et hordeo cumulantes,
exposuerunt comestioni porcorum. In Sebastia vero,
quæ est ejusdem provinciæ civitas, Joannis Baptistæ
sepulcrum aperuerunt ignique tradiderunt, ossa vero
ac pulverem disperserunt. Porro scelus quod in
Phœnice commiserunt, quis poterit vel dicere sine
lacrymis vel audire? In Heliopoli enim, quæ est circa
Libanum, erat quidam diaconus, nomine Cyrillus. B
Is, imperante Constantio, succensus zelo divino,
multa idola quæ ibi adorabantur contrivit et igni
cremavit. Cujus actionis memores nec nominandi
viri, non solum peremerunt eum, sed etiam secantes
ventrem, ex ejus jecore comederunt. Qui tamen om-
nium inspectorem Deum non potuerunt effugere, sed
dignas reddiderunt sua præsumptione pœnas. Quicun-
que enim illo scelere participati sunt, dentibus ca-
ruerunt, et facti omnes elingues sunt; nam et ipsæ
linguæ pariter defluerunt, consumptæ putredine.
Perdiderunt etiam visum, et passionibus suis virtutem
prædicaverunt omnibus pietatis. THEODORETUS, lib.
III, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 7, p. 129.

CAPUT XVI.

C *De simulacro Androgyno a paganis in ecclesia consti-
tuto.*

In Emesa vero, quæ est in ejus confinio civitatis,
Dionysio γυνιδι, id est Baccho muliebri, ecclesiam
quæ Deo nuper fuerat ædificata, dedicaverunt; et ad
derisionem simulacrum illic statuentes, Androgynum,
id est, quod virum monstraret ac feminam. In Do-
rostolo vero, insigni Thraciæ civitate, Æmilianus
invictissimus decertator, a Capitolino universæ Thra-
ciæ iudice igni traditus est. Porro Marci Arethusii
episcopi gesta vel passio Æschylj et Sophoclis con-
cione [ed. V., contentione] noscitur indigere, ut
digne actus illius tragœdiæ ordine recitentur. THEO-
DORÉTUS, lib. III, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 7,
p. 130.

CAPUT XVII.

De legibus quas Julianus contra Christianos posuit.

Innumera quoque alia in omni terra et mari ab
impiis contra pios illo tempore sunt commissa. Tunc
igitur aperte Deo odibilis imperator contra pietatem
ponebat leges; et primum quidem interdixit Galilæo-
rum filijs (sic enim Salvatoris nostri cultores denomi-
nabat) poetarum, et rhetorum, atque philosophorum
legere disciplinas. Propriis, inquit, pennis, secundum
proverbium, vulneramur. Ex nostris enim armati
conscriptionibus contra nos bella suscipiunt. Post
hanc aliam posuit legem, præcipiens Galilæos expelli
militiis. THEODORETUS, lib. III, cap. 7. Edit. Christ.
Vales. cap. 8, p. 131.

CAPUT XVIII.

De reditu Athanasii ad Alexandriam.

Igitur Athanasium de fuga remeantem Alexandrinorum populus libenter excepit. Expuleruntque ecclesiis Arianos, et Athanasio septa venerabilia tradiderunt. Verum Ariani in domibus ignobilibus se colligentes, in loco Georgii Lucium habuerunt. SOCRATES, *lib. III, cap. 4, p. 173.*

CAPUT XIX.

De Lucifero et Eusebio.

Ea siquidem tempestate Lucifer Caralensis et Eusebius Vercellensis episcopi, imperatoris jussione ab exilio revocantur. Utrique enim ultra Thebaidis terminos ab exilio remeantes, tractabant quemadmodum corruptam Ecclesiam regulam repararent. Placuit igitur ut Lucifer quidem ad Antiochiam Syriæ perveniret, Eusebius Alexandriam; ut una cum Athanasio, facto consilio, Ecclesiam dogmata repararent. Lucifer tamen misit in locum suum diaconem, per quem professus est ratum se habiturum quod esset, concilio ordinante, constitutum. Ipse autem veniens Antiochiam, fluctuantem invenit Ecclesiam; erat enim inter se turba divisa, et non tantum hæresis Ariana, quæ erat sub Euzoio, dividebat Ecclesiam; sed etiam Meletii sequaces, studium habentes circa suum præsuleni, a suis consortibus recesserunt. Tunc ergo Lucifer ordinaus eis Paulinum episcopum, rursus accessit. Eusebius autem veniens Alexandriam, cum Athanasio concilium celebravit. SOCRATES, *lib. III, cap. 4 et 5. Edit. Christ. Vales. cap. 5 et 6, p. 173.*

CAPUT XX.

De concilio apud Alexandriam cum Athanasio celebrato.

Conveneruntque ex diversis civitatibus episcopi, et de maximis necessariisque rebus habuere tractatum. Ubi etiam de sancti Spiritus divinitate tractantes, eum in consubstantiali 289 Trinitate comprehendunt. Et Verbum inhumanatum non solum carne, sed etiam anima declararunt, sicut olim viris ecclesiasticis complacuerat. Non enim novam religionem in Ecclesiam introduxerunt, sed quam ab initio ecclesiastica traditio docuit Christianos. Sic enim omnes antiqui ex hoc habita hujus disputatione sermonis scripturam nobis probatissimam reliquerunt. Nam Irenæus, et Clemens, et Apollinarius Hierapolites, et Serapio Antiochenæ præsul Ecclesiam animatum eum qui inhumanatus est, in suis sermonibus sunt professi. Nec non et per Beryllum episcopum Philadelphicæ, in Arabia constitutæ, facta synodus, scribens ad eundem Beryllum hæc ipsa contradidit. Sed etiam Origenes ubique in suis libris animatum nominavit eum, qui est inhumanatus: proprie tamen nonus tomus ejus in Genesim hoc sacramentum congruenter exponit: ubi Adam quidem Christum, Evam vero Ecclesiam latius explanavit. Horum itaque dictorum digni sunt testes sanctus Pamphilus et, qui ex eo habebat cognomen, Eusebius. Ambo namque et communiter Origenis vitam commendantes, et ejus adversariis resistentes, insignibusque libris satisfactionem præ eo componentes, non prius Origenem ad hanc disputationem

A venisse dicunt, sed mysticam Ecclesiam interpretatum fuisse traditionem. At illi qui Alexandriam convenerunt, non sine subtili investigatione quæstionem de substantia et subsistentia reliquerunt. Osius namque Cordubæ, Hispaniæ præsul, de quo jam sermo prolatus est, præmissus ab imperatore Constantino, ut flammam tunc ab Ario excitatam exstingueret, etiam Sabellii Libyensis dogma destruxit, de substantia ac subsistentia habuit quæstionem. SOCRATES, *lib. III, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 174.*

Interea plurimi episcopi in Alexandria congregati cum Athanasio et Eusebio Nicæni concilii constituta roboraverunt; et consubstantialiam Patri ac Filio Spiritum sanctum sunt confessi, Trinitatemque nominaverunt. et quoniam de substantia et subsistentia B quæstio turbabat Ecclesias, sapienter decretum est ut his nominibus contra Sabellianos solos utamur: ne nominum inopia idem putetur esse subsistentia quod substantia. SOZOMEN., *lib. V, cap. 11. Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 612.*

CAPUT XXI.

De differentia substantiæ et subsistentiæ.

Hæc quidem tunc synodus. Nos autem de substantia et subsistentia, si quid novimus, absurdum non est breviter indicare. Igitur qui Hælladicam explanare prudentiam, οὐσία, substantiam quidem diverso modo definiunt, ὑποστάσιως, id est subsistentiæ, neque sermonem quidem fecerunt ullum. Irenæus autem grammaticus in libro ubi verba per litteram colligit, etiam barbarum vocat hoc verbum, neque apud aliquos antiquorum dictum, et vel si alicubi sit inventum, non hoc indicare quod nunc intelligitur. Nam apud Sophoclem in Phœnica locum insidiarum significare subsistentiam meminit. Apud Menandrum veluti fæces quæ ex vino colliguntur in dolio, subsistentiam designare dicit. Sciendum tamen quia licet antiqui philosophi hunc sermonem reliquerint, tamen juniores philosophorum pro substantia, subsistentiæ sermone sunt usi. Substantiæ vero definitionem diversis modis explanaverunt. Si ergo definitionem substantia circumscribitur, quomodo in Deo, qui non potest comprehendi, proprie hoc uti sermone poterimus? Verum Evagrius in Monachico libro petulanter quidem et inconsiderate de Deo disputandum esse prohibuit. Definiri vero Divinitatem modis omnibus interdicit. Ait enim rerum compositarum esse definitiones. Is itaque sic ait: Omnis, inquit, propositio aut genus habet quod prædicatur: aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compositam orationem. Sed nihil in sancta Trinitate horum quæ dicta sunt poterit comprehendi: igitur quod ineffabile est ratione taciturnitatis adoretur. Hæc quidem Evagrius. Nos autem licet facta digressionem hæc dixisse videamur, tamen tanquam utilem historiæ causam nos retulisse non pœnitet. SOCRATES, *lib. III, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 7, p. 176.*

CAPUT XXII.

Pars libri Athanasii de Satisfactione fugæ.
Verum Athanasius librum de Satisfactione fugæ

olim a se conscriptum tunc eis præsentibus legit; A
 culus partes utiles, et quæ prosint hic intexens, totum
 librum multorum versuum quærere et legere studiosos admonet.
 Ait enim: Ecce hujusmodi sunt præsumptiones impiorum,
 hæc agentes, nec erubescerent. In quibus primum contra nos
 mala sunt machinati, hactenus accusant, quoniam manus eorum
 præparatas necibus declinare potuimus; et amarissime potius
 ingemiscunt, quoniam nos penitus amputare nequiverunt; et
 improperant timoris causam, ignorantes quia dum hoc
 submurmurant, in semetipsos magis retorquent culpam.
 Nam si fugere malum est, persequi multo deterius. Hic quidem
 ne moriatur absconditur; hic autem persequitur ut occidat.
 Et ut fugiatur quidem scriptum est: qui autem quærit occidere,
 prævaricatur legem, et magis ipse fugiendi præbet occasionem.
 Si ergo fugam improperant persequentes, erubescant potius
 semetipsos. Quiescant insidiari, et quiescunt continuo fugientes.
 Sed a calliditate non desinunt sua, et comprehendere omni
 virtute festinant: scientes quia fuga persecutionem patientium
 iudicium [ms., indicium] est maximum persequentium. Nullus
 enim mitem atque clementem fugit aliquando, sed magis
 ferocem simul et callidum. Omnis enim qui gemebat et
 vexabatur a Saul, fugiebat et veniebat ad David (I Reg. xxii, 2).
 Sed isti propterea eos qui abscondunt se, interimere student,
 ne ipsorum malitiam videantur arguere. Qui etiam in hac parte
 cæcantiur. Nam quanto fuga manifestior est, tanto amplius
 eorum insidiis neces exsiliaque commissa omnibus sunt
 aperta. Nam sive perimant, mors contra eos semper exclamat;
 sive rursus exsilia minentur, ubique ipsi contra se mali
 memoriam destinare noscuntur. Et siquidem sanam haberent
 mentem, viderent semetipsos in his esse constrictos, seque
 in consiliis suis offendere. Sed quoniam sapere perdiderunt,
 propterea persecutione decipiuntur; et quærentes occidere,
 suam non contemplantur impietatem. Nam si derogant eis
 qui fugiunt, 290 quærentes occidere; quid faciant cum
 vident Jacob fugientem Esau fratrem suum (Gen. xxvii, 44),
 et Moysen in Madian descendisse propter Pharaonis timorem
 (Exod. ii, 15)? Quomodo satisfaciant fugienti David Saul,
 qui in domum misit ut interimeret eum, dum absconsus
 fuisset in spelunca (I Reg. xix, 11, et xxiv, 4), et mutasset
 vultum suum, donec declinaret ab Abimelech, ob quam
 causam inimicorum evasit insidias (Ibid. xxi, 13)? Quid
 dicant isti qui omnia proferunt petulant, videntes maximum
 Heliam in oratione quidem mortuum suscitasse; et tamen
 absconsum propter Achab, et fugisse propter insidias Jezabel?
 Tunc etiam quæsi filii prophetarum celati sunt, latentes
 in speluncis; et ut Abdiam (III Reg. xvii, 22, et xix, 3).
 Sed si hæc tanquam vetera non legerunt, saltem memoriam habeant Evangeliorum.
 Nam et discipuli propter metum Judæorum recesserunt,
 celantes semetipsos (Act. viii, 1); et Paulus in Damasco
 a principe gentis quæsitus, de muro in sporta depositus
 est, et manus quærentis effugit (II Cor. xi, 33). Hæc igitur
 de sanctis viris

Scriptura dicente, quam putas excusationem suæ petulantiae
 poterunt invenire? Sive ergo timorem improperent, contra
 semetipsos tanquam vesani loquuntur; sive contra voluntatem
 Dei hoc dicant fieri, Scripturarum divinarum videntur penitus
 inexpertæ. Nam in lege (Num. xxxv, 9) præceptum fuit ut
 deputarentur etiam civitates ad fugam; quatenus hi qui
 quærebantur ad mortem, quoquomodo liberari potuissent.
 In novissimo vero tempore sæculorum veniens ipsum, quod
 Moysi locutum est, Patris Verbum, rursus hoc dedit
 mandatum, dicens: Cum persecuti vos fuerint in hac civitate,
 fugite in aliam (Matth. x, 23). Et post pauca dicit: Cum
 ergo videritis abominationem desolationis quæ dicta est
 per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit
 intelligat: tunc qui in Judæa sunt fugiant in montana, et qui
 in tecto est non descendant tollere aliquid de domo sua; qui
 in agro, non revertatur tollere vestes suas (Ibid., xxiv, 15,
 16, 17, 18). Hæc enim scientes sancti, hujusmodi habuerunt
 conversationis modum. Quæ enim nunc præcepit Dominus,
 hæc etiam ante incarnatam sui præsentiam in sanctis locutus
 est. Et hic est hominum terminus ad perfectionem ducens,
 ut quod Deus jubet, hoc faciant. Propterea et ipsum Verbum
 propter nos humanatum, cum quæreretur, sicuti nos ipsi,
 abscondi dignatum est (Joan. viii, 59); et iterum cum
 persecutionem pateretur, fugit et ab insidiis declinavit
 (Joan. xi, 54). Decebat enim eum, sicuti famem et sitim,
 etiam hoc pati, et hoc modo ostendere semetipsum
 humanatum. Ab initio siquidem mox homo factus est;
 cum esset parvulus ipse per angelum mandavit Joseph:
 Surgens sume puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.
 Futurus est enim Herodes querere animam pueri (Matth. ii, 13).
 Mortuo quoque Herode, videtur propter Archelaum filium
 ejus in Nazareth fugisse. Et quando jam etiam Deum
 semetipsum innotescere, et manum aridam restituerat
 sanam; et Pharisei quidem egredientes concilium fecerunt
 adversus eum, ut eum occiderent: Jesus autem sciens
 discessit inde (Matth. xii, 14, 15). Nam et quando Lazarus
 suscitavit a mortuis: Ab illo, inquit, die cogitaverunt,
 ut occiderent eum. Jesus ergo jam non palam ambulabat
 inter Judæos, sed abiit inde in regionem juxta desertum
 (Joan. xi, 53, 54). Deinde Salvatore dicente: Antequam
 Abraham fieret ego sum. Judæi quidem tulerunt lapides ut
 mitterent super eum. Jesus autem absconsus est, et exiit
 de templo. Et transiens per medium eorum, abiit (Joan.
 viii, 58, 59; Luc. iv, 24), et ita discessit. Putas hæc
 videntes, magis autem audientes, cum non videant, quomodo
 secundum quod scriptum est, non debeant igne comburi,
 quoniam contraria his quæ Dominus facit et docet, cogitant
 et loquuntur? Nam quando Joannes martyrium sustinuit
 ejusque corpus sepelire discipuli, audiens Jesus, discessit
 inde in naves ad deserti locum seorsum (Matth. xiv, 13). Dominus
 itaque hæc faciens, ita docebat. Sed utinam isti vel sic
 erubescerent, et usque ad homines suam petulantiam
 declararent, et non magis, ac magis insanientes viderentur
 etiam ipsum arguere Salvatorem,

contra eum utique blasphemias mittentes [*ed.*, meditantēs]. Sed neque vesanorum quilibet eos poterit sustinere, cum arguantur nec Evangelia quidem ipsa nosse. Est enim occasio nostræ discessionis et fugæ rationabilis atque vera, quam in Salvatore quidem evangelistæ positam memorarunt. Nos autem etiam in sanctis viris oportet talia cogitare. Nam ea quæ de Salvatore humano modo conscripta sunt, eadem communiter humano generi deputantur. Quæ nostra sunt ille suscepit, et passiones nostræ infirmitatis ostendit. Quod Joannes ita conscripsit: *Quærebant ergo eum tenere, et nullus misit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus* (Joan. vii, 30). Nam antequam hæc venirent, dicebat ipse matri: *Nondum venit hora mea* (Joan. ii, 4). Et eis qui fratres ejus appellabantur ait: *Meum tempus nondum venit* (Joan. vii, 6). Rursus autem tempore passionis discipulis dicebat: *Dormite jam et requiescite. Ecce enim appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum* (Matth. xxvi, 45). Sed neque antequam veniret tempus, teneri se passus est, neque cum venisset tempus absconsus est, sed etiam semetipsum tradidit adversariis. Sic et beati martyres in persecutionibus temporalibus custodiebant semetipsos, et dum quærerentur, per latibula fugiebant; cum vero invenirentur, martyrio se subdebant. Hæc de Athanasio retulisse sufficiat. *SOCRATES, lib. iii, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 176.*

CAPUT XXXIII.

Quia Eusebius veniens Antiochiam propter Paulinum, et divisum videns populum fuerit indignatus.

Eusebius interea Vercellensis episcopus repente postmodum ab Alexandria venit ad Antiochiam, et inveniens Paulinum a Lucifero consecratum, plebemque divisam, Meletiique sequaces missas facientes seorsum, valde commotus est, quia factæ ordinationi non universi consenserant; reprehenditque apud semetipsum quod gestum est, et pro reverentia Luciferi, habita taciturnitate discessit: promittens in conventu episcoporum quæ gesta fuerant emendanda: habens tamen curam maximam, eos unire non potuit. Inter hæc etiam Meletius ab exsilio remeavit; inveniensque seorsum celebrare collectas socios suos, præsidebat eis; sed ecclesias quidem obtinebat Euzoïus, Ariani dogmatis præsul. Porro Paulinus unam tantummodo parvam intra civitatem detinebat ecclesiam, ex qua cum Euzoïus pro sui reverentia non eiecit. Meletius autem extra civitatis portas solemnia celebrabat. Tunc igitur hoc modo de Antiochia discessit Eusebius. Verum Lucifer sentiens non suscipere Eusebium **291** ejus ordinationem, hoc putavit injuriosum, ac vehementer irascebatur, et communicare declinabat Eusebio. Sed etiam quæ synodo placuerant, per contentionem reprobare nitebatur. Hæc dum inter eos tristitiæ tempore gererentur, multos ab Ecclesia removerunt, et denuo altera Luciferianorum hæresis est exorta. Sed Lucifer iram suam nequaquam complere prævaluit; erat enim confessio-
nibus suis obstrictus, dum per suum diaconem pro-

A misisset ratum se habiturum quod fuisset a concilio definitum. Quapropter ipse quidem Ecclesiæ tenens fidem, in Sardiniam ad proprium remeavit thronum. Hi vero qui prius cum eo contristati fuerant, hactenus ab Ecclesia segregantur. Verum Eusebius ad instar optimi medici iter faciens per Orientem, infirmos fide recreabat, imbuens atque docens prædicationibus ecclesiasticis universos. Hinc transiens venit in Illyricum; et inde rursus Italiam peragrans, hæc ipsa pronuntiabat. *SOCRATES, lib. iii, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 180.*

CAPUT XXIV.

De Hilario Pictariensi.

Verum Hilarius Pictaviensis secundæ Aquitanicæ pontifex, rectæ fidei dogmata dudum præseminaverat tam Italis quam Gallicanis episcopis, quippe cum primus ab exsilio remeasset (*An. Dom. 364*). Uterque ergo fortiter in fide laboraverunt. Sed Hilarius tanquam disertus suis libris satisfactionem de Trinitatis consubstantialitate conscripsit. Quibus hoc sufficienter exposuit, et vehementer Arianorum dogma destruxit. Hæc itaque post breve eorum exsilio tempus celebrata noscuntur. *SOCRATES, lib. iii, c. p. 8; edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 181.*

CAPUT XXV.

De Macedonianis.

Ea siquidem tempestate Macedonii sectatores, et Eleusii, Eustathii, atque Sophronii, omnes ab uno Macedonio nuncupati sunt, conciliaque frequentia faciebant. Et convocantes qui in Seleucia eos secuti fuerant, anathematizaverunt alterius partis episcopos, id est consentientes Acacio; fidemque Ariminensis concilii respuentes, ea magis quæ fuerant recitata apud Seleuciam et apud Antiochiam exposita firmaverunt. Qui dum requisiti fuissent ab aliquibus dicentibus: Vos, qui nunc Macedoniani vocamini, si aliud sapitis quam sectatores Acacii, cur eorum hactenus, tanquam eadem sapientium estis communione participati? Ita venenose responderunt per Sophronium Pompeiopoleos Paphlagonensem episcopum. Occidentales, inquit, in consubstantialitate languebant. Aetius autem per Orientem secundum substantiam dissimilitudinem prædicabat; et erant utraque prava, cum hi quidem inordinate divisa substantias Patris, et Filii, consubstantialitatis nomine copularent; ille vero a natura Patris naturam Filii aperte divideret, credens semetipsum pie prædicare dissimilem esse Patri Filium per substantiam. His ergo ita putantibus, media via nobis veritatem pietatis habere complacuit. Hoc itaque modo quærentibus satisfacere nitebantur. *SOCRATES, lib. iii, cap. 8. Edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 182.*

CAPUT XXVI.

Quia Julianus quoque persecutus sit Athanasium.

Igitur imperator audiens Athanasium, in Alexandrinorum Ecclesia constitutum, licite populo prædicare, multosque paganorum ad Christianitatem fuisse conversos, cum jussit exire de civitate (*An. Dom. 363*). Qui si maneret, damna maxima cum sustinere

præcepit : occasionem criminis in eum inveniens, quia dum prioris principis tempore fuisset fuga multatus, non ejus jussione episcopalem receperat sedem. Quamobrem secundum imperatoris præcepta se præparabat ad fugam. Videns autem circa se Christianorum populum lacrymantem : Habetote, inquit, filioli, fiduciam : nubes est, et cito pertransiet. Hoc dicto, valefecit; et diligentibus amicis commisit Ecclesiam, atque ab Alexandrina civitate discessit. SOZOMEN., lib. v, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 15, pag. 615.

CAPUT XXVII.

Quomodo Julianus foverit Cyzicum propter paganitatis cultum.

Interea Cyzicenis legatione fungentibus apud principem de propriis rebus et paganorum restitutione templorum, laudans eos propter sacrorum curam, quæ postulaverant universa concessit. Eleusium autem ejus civitatis removit episcopum, veluti vastatorem templorum; et quia viduarum pabula sacrarumque virginum monasteria constituerat; paganisque suaserat ut, paternam religionem relinquentes, ad Christiana dogmata se conferrent. Interdixit etiam Christianis peregrinis ne venirent ad Cyzicum: credens quia religionis causa excitarent seditiones, eosque alii ejus civitatis Christiani foverent. Et publici simul opiflces artificesque monetæ*, qui in duas erant divisi partes principum præceptione priscorum, cum uxoribus atque liberis Cyzicum habitare sunt jussi. Hi enim singulis annis certam oblationem publico conferebant: alii quidem militum chlamydes, alii vero pecunias novas. Cum igitur modis omnibus placuisset Juliano ritum constituere paganorum, vim quidem inferre atque tormenta populis sacrificare nolentibus fatuum judicavit. Sed hoc tantummodo præcepit, ut per singulas civitates numerus eorum conscriberetur: quos tamen nequaquam aut orare prohibuit. Sciebat enim quia non posset ulla necessitas suspendere quod voluntas spontanea suggessisset. Porro clericos et Ecclesiarum præsules a civitatibus suspendere festinabat, studens ut eorum absentia paulatim solveretur Ecclesia, neque sacrorum ministri, nec qui docerent, vel mysteriis participarent, existerent; et per hoc longo tempore paterentur propriæ religionis oblivionem. SOZOMEN., lib. v, cap. 14, Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 615.

292 CAPUT XXVIII.

De Tito Bostrensi episcopo.

Bostrensibus itaque publica voce præcepit ut Titum suæ tunc civitatis episcopum procul expellerent. Cumque jussisset hoc, clericisque minaretur, quasi ipsi facerent turbas in populo: tunc Titus libellum destinavit imperatori, contestans eum ac dicens quia inimica inter se esset turba paganorum atque Christianorum, et ejus suasionem Christiani magis a seditione quiescerent. Quo facto, nisus est imperator ex hujusmodi verbis Tito inimicitias populi concitare:

scribens Bostrensibus, quia Titus eorum accusator fuisset, dicendo suis monitis, non sua voluntate populum a seditione cessasse; eumque velut hostem populo suadebat expellere. Non enim quod justum erat aut legitimum jubebat agi; sed odio religionis, verbis quidem culpæ, operibus autem mala perficere contendebat. Quapropter per civitates et provincias Christiani diffugebant. Hujus participes plurimi meorum fuere progenitorum. Simul et avus, qui de patre pagano natus, ipse cum tota domo, et qui erant ex genere Alaphionis, Christiani primo sunt facti in Bethleæa, vico Gazensi nimium populo, habentique templa antiqua, ædificiaque pulcherrima, et maxime Pantheon in civitatis arce locatum, eminens super omnem vicum. Quem locum arbitror ex voce Syra et Græca deorum habitaculum nominatum. Fertur itaque his omnibus fuisse Christianitatis auctorem Hilarionem monachum. Cum enim dæmonio vexaretur Alaphion, diutius pagani atque Judæi incantationibus et lustrationibus apud eum usi, nihil illi prodesse potuerunt. Verum Hilarion solummodo Christi nomen invocans, dæmonium effugavit, eumque in religionem Christianam repente transposuit. Floruit itaque meus avus in expositionibus et interpretationibus scripturarum nostrarum, quoniam erat ingeniosus scientiæque fulcitus, ita ut etiam arithmeticæ artis esset expertus, ac propterea Ascalonitis et Gazensibus, et in circuitu Christianis valde gratissimus, tanquam religioni necessarius et ad solvendas dubitationes Scripturæ divinæ proficuus. Primi siquidem isti in eo loco ecclesias et monasteria construxerunt, easque honestate atque hospitalitate peregrinorum et indigentium pariter ornaverunt. Ex quo genere usque ad nos fuerunt viri optimi, quos grandævus juvenculus ipse conspexi. SOZOMEN., lib. v, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 616.

CAPUT XXIX.

Quod Julianus præcepit ut secundum Christianorum ritum etiam pagani orationes et eleemosynas facerent, et decimas templis offerrent, et cætera quæ Christianis facere moris est adimplerent.

Igitur imperator dudum studens paganitatem in omni sua ditione dilatari, graviter ferebat, videns Christianos potius approbari. Et templa quidem erant aperta, sacrificiæque paganorum per civitates secundum voluntatem illius procedebant. Ipse autem æstuabat, ne fervor ejus Christianorum abundantia frustraretur. Et maxime pulsabatur, quia multorum sacerdotum suorum Christianas audiebat uxores, et filios, atque servos. Arbitratus autem Christianitatis statum ex vita bona et conversatione consistere, studuit ubique templa paganorum constructione et ordine Christianæ religionis ornare, sedibus, atque processionibus, paganorumque dogmatibus, atque monitionibus. Lectores suæ superstitionis instituit ad instar clericorum, ut et horas certas, et dies, et orationes solemniter celebrarent: præcipiens pariter habere [hæc vox forte delenda] curam virorum atque

* Hinc apparet qualesnam fuerint monetarii, quorum in Pandectis fit mentio. Digitized by Google

mulierum philosophari scientium, habitaculis peregrinorum et pauperum, aliaque providentia circa egenos exhibitæ, paganorum religionem componere, et pietatis habere nomen. Si quis autem sponte vel invitus peccaret, secundum traditionem Christianorum instituit ut post pœnitentiam, mediocrem sustineret correctionem. Præcipuus vero zelatus dicitur notas litterarum episcopatum, quibus solent alterutris scribentes commendare peregrinos; et non proficiscuntur, et a quibus veniunt, modis omnibus iudicare; et solatia promereri, tanquam noti et amici sint testimonio directi signaculi. Hæc considerans festinabat ut pagani Christianorum assuescerent officii. Sed quoniam multis incredibile est eum studia Christianorum sequi voluisse, non aliunde quam ex ipsius imperatoris sermonibus est probandum. Hujusmodi enim Arsatio pontifici Galatiæ scripta direxit.

Paganorum ritus nondum agitur secundum intentionem nostram, propter cultores ejus in negligentia positos. Nam deorum claritas, magnitudo atque sublimitas, omni ratione omnique spe major est. Sed propitii sint nostris mentibus dii propter negligentiam quam habemus; cum illorum providentia in parvo tempore tanta facta sit, quantam neque orare primitus quicumque præsumperat. Cur ergo credimus hoc posse sufficere, neque respicimus quemadmodum superstitionem Christianorum auxerit cura peregrinorum, et circa sepulturas et mortuos multa solatia, honestæque conversationis studia, non vera, sed ficta? Quas res, arbitrator, apud nos debere sub veritate geri. Non itaque sat est te talem esse, sed omnes absolute circa Galatiam sacerdotes, quos aut deprecare, aut ratione flecte, aut certe festinanter a sacerdotali ministerio remove, nisi diis cum conjugibus, et filiis, atque servis colla submiserint: non ferentes ulterius eorum servos, aut filios hoc facere contemnes, aut Galicæos impie contra deos agentes, et impietates pietatibus præponentes. Deinde cunctos admone ut sacerdos neque ad spectacula procedat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti, operibusve turpibus, aut impudentibus præsit. Qui obediunt honorentur: inobedientes expelle. Xenodochia constitue per singulas civitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur: non tantum nostri, sed etiam extranei pecuniis indigentes. Et ut habeas unde fiat, interim decrevi singulis annis triginta millia modiorum tritici per universam dari Galatiam, et sexaginta millia sextariorum vini. Horum quinta pars pauperibus in templis observantibus debet expendi, reliqua peregrinis indigentibus [Ed. V, indigentibusque] distribui. Turpe namque est ut Judæos quidem non abjiciant, sed potius nutriant **293** impii Galicæi et suos pariter, nec non etiam nostros; nostri vero nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumque vicos offerre diis primitias frugum, eosque hujusmodi in benefactis institue, docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat, introducens Eumæam talia facientem. Nos ergo neque bona nostrorum imitamur; sed aliis permittimus negligentia

A non confusi, magis autem deorum reverentiam respicientes. Si igitur hæc te facientem ego cognovero, letitia plenus ero. Præsides provinciarum rarius domi suscipe; frequenter eis scripta transmittite. Ingredientibus eis civitatem sacerdotum nullus occurrat; cumque ad templa venerint deorum, intra januas eos nemo præcedat militum forte aut præcedentium officiorum; sed qui voluerit subsequatur. Cum ad ipsum limen templi pervenerit, privatus existat. Tu enim, sicuti nosti, intus es iudex. Hoc enim etiam sacra sanctio videtur exigere. Obedientes igitur pro veritate pii sunt; reluctantes vanæ gloriæ comprobantur. Quid enim patiat, aut quod mereatur auxilium, qui matrem deorum propitiam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt: neque enim fas est ut illi parcatur qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis, ut si mea volunt frui tuitione, omnes matri deorum studeant offerre culturam. *Sozomen., lib. v, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 619.*

CAPUT XXX.

Quibus modis conatus est paganitatem extollere, et milites ad cultum idolorum inclinare.

Hæc itaque faciens imperator ad destructionem Christianorum, neque suadere hoc subjectis prævaluit, et aperte vim inferre palam erubuit. Inter hæc, ut ad paganitatem milites insuesceret, studuit ad priscum schema reformare signum illud sublimius Romanorum quod Constantinus, sicuti prædictum est, in crucis formam mutaverat. Verum in publicis imaginibus depingebat Jovem, quasi de cælo sibi coronam et purpuram deferentem; Mercurium et Martem in se respicientes, velut pro testimonio sapientis et fortis. Et hoc agebat in imaginibus, ut sub occasione imperii latenter adorarentur dii, et hoc modo subjecti, clanculo fallerentur. Arbitrabatur enim quia si hoc sponte eis imponeret, postea quæ vellet imple-ret. Si vero respuentes agnosceret, venia sublata torqueret, tanquam circa Romanorum solemnia reluctantes, et in rempublicam atque ipsum imperium delinquentes. Pauci siquidem etiam pœnis subliti cognoverunt dolum: quia, sicut moris erat, adorare noluerant. Turba vero, ut assolet, per ignorantiam simpliciter imagines adorabat. Quod tamen imperatori nil profuit. Cumque multa excogitaret quibus paganorum ritus extolleret, invenit modum qui pluribus militibus Christianis claræ virtutis coronam dedit. Cum venisset itaque tempus quo imperialia milites solent dona accipere (hoc enim agitur plerumque die calendarum Januariarum, et natali principum et urbium regiarum), exquisivit quatenus eos simpliciter et ex prisca consuetudine fallere potuisset; jussitque ut unusquisque ad manum imperatoris accedentium, admonitus ab officiis, primo incensum offerret. Erat enim ante eum positum thus, et ara, secundum antiquam Romanorum solemnitatem. Tunc quidem alii licenter suam fortitudinem ostenderunt, et neque incensum offerre, neque donum accipere ab imperatore

sunt passi. Alii vero occasione legis et antiquitatis, ne mente quidem perceperunt quod commiserunt peccatum. Verum alii propter lucrum capti, aut timore turbati, seu jussione repentina conclusi, licet intellexerint, tamen paganitatem declinare nequiverunt. Plurimi siquidem per ignorantiam decepti, dum inter cibos, ut assolet, et pocula invocarent inter alterutros Christum, respondens quidam dixit: Quid patimini invocantes Christum, quem ante paululum denegastis, dum donum ab imperatore percipientes, thus in ignem mitteretis? Cumque hoc milites audissent, et quod gesserant agnovissent, statim exsiliantes publice currebant, atque impetu facto clamabant Deum suum, et cunctis hominibus testabantur se esse Christianos, et in eo nomine permanere, atque per ignorantiam se fecisse, et, si dici posset, solam manum paganam esse, conscientiam vero nihil simul egisse. Cumque venissent ad principem projecerunt aurum quod acceperant, et forti voce posebant ut reciperet quod dedisset, et illos occideret. Se enim poenitentiam agere fatebantur, eo quod improvide eorum dextera peccasset, et studere propter Christum etiam totum corpus poenae contradere. SOZOMEN., lib. v, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 620, 621.

Haec igitur furorem moverunt imperatoris. Et primo quidem eorum capita jussit auferri. Cumque deducerentur ad mortem sequente populo, miratique virtutem eorum pro pietate susceptam, venerunt ad locum quo rei puniri solent. Tunc spiculatorem rogavit senior omnium ut ante omnes cujusdam caput nomine Romani adhuc adolescentis abscinderet, ne dum alios respiceret frangeretur. Cumque ille genua flexisset in terra, et gladium spiculator evaginasset, venit repente nuntius clamore prohibens necem. Porro juvenculus ille occisione privatus, ait: Non fuit Romanus dignus ut Christi martyr appellaretur. Et licet sanguinem malignus imperator fundi prohibuisset, ductus invidia, verumtamen non eos in civitatibus habitare permisit, sed ad ultima Romanorum loca exsilio destinavit. THEODORETUS, lib. iii, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 140.

Postea vero praecepit ut qui sacrificare noluissent in palatium non intrarent; et neque collegio, neque foro eos, neque arbitrio, neque ulla dignitate, nec qualibet administratione participare jussit. SOZOMEN., lib. v, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 623.

CAPUT XXXI.

De corpore martyris Babylae, et de simulacro Apollinis fulmine concremato.

Cum igitur Julianus ad Pythium Daphnaeum peteret responsa de Parthici belli victoria, et ille vicinitatem corporis Babylae martyris accusaret, jussit ejus corpus auferri. Ob quam rem cum Christiani festivitatem deducto corpore psallentes agerent, et indignatione principis quidam Theodorus juvenculus multa passionum tormenta **234** pertulisset: hoc ita gesto, fallax daemon martyris quidem gloriam auxit, suum vero mendaciam clarius enudavit. Fulmen

namque caelitus missum omne templum accendit, et ipsum Pythii Apollinis simulacrum redegit in pulverem: erat enim ligneum et extrinsecus deauratum. Quod noctanter praefectus Orientis tunc nomine Julianus, Juliani avunculus, agnoscens, festinanter venit ad Daphnen, volens offerre deo suo solatia: vidensque eum redactum in cinerem, *ἰδὲν ἐστὶν, ἀδύτους* [id est, aditus] verberibus affligebat, credens hoc ab aliquo Christiano fuisse commissum. Qui licet torquerentur, tamen mentiri noluerunt, clamantes incendium non deorsum, sed desursum habuisse principium. Ad haec etiam rustici vicinorum venientes locorum, dixerunt se vidisse fulmen caelitus fuisse delatum. THEODORETUS, lib. iii, cap. 9 et 10. Edit. Christ. Vales. cap. 10 et 11, p. 132 et 134.

CAPUT XXXII.

De publicatione vasorum ecclesiasticorum, et quomodo Julianus praefectus et Felix, annihilantes ecclesiam, divinitus sunt puniti.

Interea jubentur vasa ecclesiarum sacra fisci aëario deputari. Sublatisque januis ecclesiae majoris, fit cunctis accessibile sanctuarium. Ingrediente siquidem Juliano praefecto Orientis ecclesiam, Felix praefectus regalium thesaurorum pariter introivit, et simul Elpidius comes rerum privatarum. Aiunt enim et Felicem et Elpidium primitus Christianos, tunc a pietate recessisse, impio principi parere cupientes. Julianus itaque praefectus impudenter contra sacrum altare mixxit; quem dum Euzois prohibere tentaret, eum ille percussit in capite. Fertur autem dixisse quia religio Christiana esset divina sollicitudine desolata. Porro Felix videns vasorum ornamenta, quae Constantinus et Constantius frequenter obtulerant: Ecce in quibus, inquit, vasis Mariae filio ministratur? Sed pro his impietatibus vesanisque praesumptionibus non post multum poenas exacti sunt. Nam repente Julianus saeva infirmitate detentus visceribus putrefactis interiit. Et flinum non per meatus digestiles emittebat, sed scelestum os, quod blasphemias ministraverat, organum hujus egestionis est factum. Aiunt enim ejus uxorem fide fuisse clarissimam, canque dixisse: Decet te, marite, laudare Salvatorem Christum, quoniam tibi per hanc correptionem magnitudinem propriae virtutis ostendit. Non enim agnoveras contra quem dimicare voluisti, nisi consueta longanimitate haec tibi flagella divinitus intulisset. His ergo verbis et passionibus imminentibus causam languoris agnoscens, rogabat imperatorem ut ecclesia quibus fuerat sublata redderetur. Sed nec illum flexit, et ipse terminum vitae suscepit. Porro Felix et ipse repente flagellum virtute divina suscipiens, sanguine tota die simul et nocte ex ore fuso, et venis corporis undique vacuatis, omnique virtute simul expensa, et ipse celeriter est extinctus, aeternaeque morti contraditus. THEODORETUS, lib. iii, cap. 11 et 12. Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 134.

CAPUT XXXIII.

Quomodo apud Antiochiam sacerdotis filius sit conversus.

His ita gestis, adolescens quidam sacerdotis filius,

in paganitate nutritus, ea tempestate ad Christianorum translatus est chorum. Erat enim tunc quædam insignis reverentiæ mulier, et diaconissæ honore fulgebatur. Hæc cum hujus matre habuit amicitias; quæ sæpius dum hujus mater ad eam veniret, hunc infantem amplectebatur, et ad cultum Christiani nominis invitabat. Porro, matre defuncta, veniebat adolescens ad eam, et doctrina consueta fruebatur. Cumque firmissime ejus consilium percepisset, requisivit doctrinam quo posset argumento et patris superstitionem declinare, et prædicationem veritatis adipisci. Quæ dixit, ut patrem fugeret, et Creatorem suum atque illius potius sequeretur, atque ad aliam iret urbem, in qua latenter imperatoris impii manus effugeret: ipsam se ejus curam habere promittens. Ad quam adolescens: Revertar, inquit, postea, et animam meam tibi contradam. Cum vero pauci transissent dies, Julianus venit ad Daphnen, celebraturus publica sacrificia. Cum quo etiam hujus pater; erat enim sacerdos, et sequi consuetus imperatorem: cum quo erat et iste puer, ejusque frater, habentes officium ut cibos imperatori apponerent. Solebant enim septem diebus in Daphne festa celebrari. Prima siquidem die, cum staret iste ante imperatoris accubitum, et epulas solemniter aspersisset, repletus horrore, cum celeritate Antiochenam venit ad civitatem ad illam mirandam mulierem. Quo facto, Ego: inquit, veni nequaquam tibi de promissione mentitus; tu vero utriusque salutem consulens, promissa completa. At illa repente surgens, apud Dei virum Meletium perduxit adolescentem: verum ille in superiori habitaculo interim eum habitare præcepit. Pater interea filium requirens, et Daphnen circuibat omnem, et ad urbem veniens, plateas cunctas perambulabat et vicus, oculis ubique currentibus et eum investigari desiderantibus. Cumque pervenisset ad locum ubi habitaculum sanctus Meletius habebat, suspiciens, vidit illum de fenestra respicientem. Et currens traxit, ac deposuit, atque ad domum usque perduxit. Primumque eum multis flagellis afficiens; deinde calefaciens obolos, manibus, ac pedibus, et dorso ejus imposuit. Post hæc vinctum in cubiculo clausis januis dereliquit, et ita perrexit ad Daphnen. Hæc ego a viro jam sene, cum narraret, audivi. Qui etiam hæc adjecit, quoniam Spiritu divino gratiaque repletus, contriverit omnia patris idola, et eorum infirmitati cœperit irrogare blasphemias. Quo facto, mente percipiens quod egisset, formidavit præsentiam patris, rogavitque Dominum Christum ut ei ferret auxilium, claustraque confringeret, et januas aperiret: Propter te, inquit, talia, Domine, pertuli, et hæc agere non expavi. Cum hæc, inquam, dixisset, ceciderunt repente claustra apertæque sunt januæ. At ille rursus ad magistrum venit, quæ continuo eum induens schemate mulieris, et in lecto resiliere constituens, post paululum obtulit rursus sancto Meletio. Qui eum episcopo 295 Cyrillo Hierosolymitano contradidit, et ita venerunt noctanter in Palestinam. Verum post Juliani mortem etiam patrem iste Christianam duxit ad veritatem; quod inter alia quoque

A nobis exposuit. THEODORETUS, *lib. III, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 14, p. 155.*

CAPUT XXXIV.

Quomodo Julianus aquis immolatis universa polluerit, eique resisterint Juventius et Maximinus.

Interea Julianus contra fidei pietatem impudentius armabatur, et vultu quidem se simulabat mitem: porro laqueos instruebat quibus deciperet innocentes. Et primum quidem fontes urbis, aquas Daphneos sacrificiis violavit, ut unusquisque aquam bibentium ejus horrore potiretur. Cumque etiam in publico venales cibos illo scelere complevisset (aspergebantur enim ex eis, et panes, et carnes, et poma simul, et olera, et cuncta quæ comeduntur), hæc videntes qui nomen salutare perceperant, ingemiscebant quidem atque mugiebant videntes abominationem tantam. Verumtamen comedebant, legi obedientes Apostoli: Omnia, inquit (*I Cor. x, 27*), quæ in macello venduntur comedite, nihil dijudicantes propter conscientiam. Verum duo quidam militia clari, erant enim scutarii principis, in quodam convivio, hoc horrore ferventius sunt accensi, atque mirabilium adulatorum in Babylone splendentium sermonibus usi sunt, dicentes: Tradidisti enim nos regi iniquo, qui recessit a te ultra omnes gentes quæ sunt in terra. Hæc quidam convivarum nuntiavit imperatori; qui repente illos ad se fortissimos adducens, requirebat quid locuti fuissent. At illi occasionem fiducia interrogatione sumentes imperatoris, laudabilemque sui firmantes zelum, dixerunt hæc pietatis more nutriti: O princeps, laudandis legibus hactenus servientes quas Constantinus et ejus filii. posuerunt, ingemiscimus nunc abominatione omnia videntes esse completa, et nefandis sacrificiis cibos potusque violari. Hæc et domi deslevimus, et te presente nihilominus ejulamus; hoc enim in tuo displicet nobis imperio. Hæc audiens ille mitis atque philosophus a sui similibus nominatus, mansuetudinis quidem exhibuit vultum, et impietatis faciem protinus enudavit, præcipiens amarissimas eis plagas inferri. Quos etiam luce privavit, magis autem, ut verius est, illius temporis infelicitate liberavit, victricesque eis coronas providit offerri. Fingebat enim se in eis quasi causam defendere imperialis injuriæ, et hæc divulgari jussit: invidens decertatoribus veritatis in appellatione martyrii pariter et honoris. Nomina fuerunt horum Juventius et Maximinus, quos Antiochena civitas, tanquam pietatis propugnatores venerata, pretioso monumento recondidit; et usque ad diem hunc festis annalibus honorantur. Sed et plurimi nobilium et dignitate fulgentium utentes tali fiducia, coronas æquales sunt adepti. THEODORETUS, *lib. III, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 157.*

CAPUT XXXV.

Quomodo Valentinianus, qui post eum imperavit, propter aspersionem aquæ immolatiæ ministrum percusserit templi.

Valentinianus etiam, qui post paululum sumpsit imperium, tunc millenarius erat circa palatia constitutus dux lanceariorum. Is zelum quem pro pietate

naonit non celavit. Eo namque tempore cum fulmi- A
 nandus ille Fortunæ templum ingrederetur in choro,
 et ex utraque parte januarum astarent ministri tem-
 pli, qui aspersione, sicut ipsi dicebant, purgarent in-
 gredientes, Valentinianus præcedens principem,
 aspersionis guttam sua vidit in chlamyde. Et indi-
 gnatus, pugno percussit templi ministrum: dicens
 se maculatum potius quam purgatum. Quod respi-
 ciens imperator, iussit eum in custodiam tunc redigi
 et ad eremum destinari. Sed ille cum annos et pauci
 transissent menses, pro mercede confessionis recep-
 it imperium. Non solum enim in illa vita diligentes
 se Deus honorat; sed aliquando etiam in præsentibus
 bonorum operum retributiones impendit, et præsen-
 tibus præmiis illie sperata confirmat. THEODORETUS,
 lib. III, cap. 15. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 138. B

CAPUT XXXVI.

De Artemio martyre et Publia abbatisa.

Artemium vero, qui temporibus Constantii dux
 fuit Ægypti, quoniam illius temporis idola multa
 confregerat, non solum facultate nudum reddidit,
 sed etiam capitis sectione multavit. Hæc et hujus-
 modi gessit ille mansuetus et ab iracundia remotus,
 sicut ab impiis vocabatur. Adjiciam super hæc etiam
 miraculum femine quæ zelo divino hujus contempsit
 impietatem. Publia quædam fuit illo tempore nomi-
 natissima et pretiosis virtutibus exornata. Hæc cum
 nuptiale jugum ad tempus paululum suscepisset, fru-
 ctum dignissimum reddidit Creatori. Joannes enim
 Antiochiæ presbyter multo tempore constitutus, et
 sæpe apostolici præsidii decreta refugiens, de
 terra illius femine mirabilis germinavit. Hæc habens
 apud se chorum conversatione digna virginitatem
 servantium, semper cum eis laudabat factorem sal-
 vatoremq; Deum. Transeunte vero imperatore,
 clarius in commune psallebant, contemptibilem et
 deridendum judicantes erroneum, illaque maxime
 cantica resonantes quæ idolorum videntur pompare
 [ed., traducere] debilitatem; dicebant cum David:
*Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum
 hominum. Et iterum: Similes illis fiunt qui faciunt
 ea, et omnes qui confidunt in eis (Psal. cxiii, 4, 8).*
 Hæc audiens Julianus, et vehementer accensus, eas
 cum transiret tacere præcepit. Quæ ejus legem par-
 vipendentes, chorum majori ordine compleverunt. D
 Rursusque illo transeunte psallebant: *Exurgat Deus,
 et dissipentur inimici ejus (Psal. lxxvii, 1).* Tunc ille
 sæviens, magistram chori præcepit adduci. Quam cum
 videret senectute maceratam, nec corporis canitiem
 miseratus est, nec animi studuit honorare virtutem;
 sed quibusdam spatiorum jussit ut eam alapis cæ-
 derent. 286 Quæ, veluti summum honorem contu-
 melias illas excipiens, domum reversa est, eumque
 olitis melodiis spiritalibus denotabat, sicut conscrip-
 tor illius cantici malignum spiritum effugaverat a
 Saul. Nam et Julianus erroneus dæmones sibi
 applicans, contra donum pietatis insaniebat. THEODO-
 RETUS, lib. III, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 18,
 p. 140.

CAPUT XXXVII.

De Basilio atque Gregorio.

Contristabat igitur eum non mediocriter Apollina-
 ris Syrus, omni scientia nimis instructus, simulque
 Basilius et Gregorius Cappadoces, illius temporis
 rhetores Christiani, alique plurimi eloquentes viri.
 Quorum alii quidem zelati sunt veram gloriam, alii
 Arianæ hæresis habuere vesaniam. Quamobrem ar-
 bitratus hinc armari Christianos, prohibuit eos Græ-
 corum doctrinis imbui et eorum lectionibus erudiri.
 Tunc Apollinaris, cum esset doctus et simul in-
 geniosus, pro Homeri poemate versibus heroicis
 Hebraicam conscripsit antiquitatem usque ad impe-
 rium Saul, et viginti quatuor libris opus omne divisit,
 unicuique libro nomen litteræ ponens secundum
 Homericam lectionem. Fecit autem et aliud opus
 secundum Menandri fabulas, comædiæ similitudine
 comparatas: imitatus enim Euripidis tragædias et
 Iyram Pindari. Et, ut absolute dicendum, divinis
 Scripturis argumenta sumens, omnes encyclicas le-
 ctiones tempore parvo composuit, numero, virtute,
 moribus, conscriptione, caractere et dispositione
 Græcorum valde pares. Et nisi quia vetustatem ho-
 mines honorabant, et quæ sunt in usu grata crede-
 bant, nam ut ego reor, æqua veteribus Apollinaris
 opuscula decrevisset. Fecit etiam non ignobilem ad
 ipsum imperatorem, sive contra paganos philosophos
 librum, cui titulum posuit, Pro veritate. In quo de
 sacris testimoniis tacens, probavit illos quidem fuisse
 deceptos, se autem sapere vera de Deo. Hæc autem
 considerans imperator, claris tunc episcopis scripsit:
 Legi, et reprehendi. Cui rescripserunt: Etsi legisti,
 sed non agnovisti: si enim cognovisses, nequaquam
 reprehendisses. Quidam dicunt hanc epistolam præ-
 sulis Ecclesiæ Cappadocensæ fuisse Basilii, quod in-
 credibile non est. Sive autem ejus, sive sit alterius,
 justum est virtutis laudare doctrinam. SOZOMEN., lib.
 v, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 623.

CAPUT XXXVIII.

De his qui amore pecuniæ a fide declinaverunt.

Plurimi siquidem non recta mente Christianum
 habentes nomen, quippe pecunias et honorem præ-
 sentem felicitati veræ fidei præponentes, ad sacrifi-
 ciorum scelera descenderunt. Quorum unus fuit so-
 phista Constantinopolitanus Eubolus. Is enim mores
 imperatorum sequens, sub Constantio quidem fer-
 ventissimum se finxerat Christianum, sub Juliano
 paganus celeriter est effectus; et rursus post Julia-
 num volebat esse Christianus. Prosternens etenim
 semetipsum ante januas ecclesiæ primum, magna
 voce clamabat: Conculcate me sal insensatum. SO-
 CRATES, lib. III, cap. 11. Edit. Christ. Vales. cap. 15,
 p. 181.

CAPUT XXXIX.

Quomodo Julianus pecunias abstulerit Christianis.

Igitur cum Julianus iret ad Persas, volens in eis
 ulcisci eo quod sub Constantio Romanorum terminos
 invasissent, et sciens quoniam in præliis eveniunt
 frequenter adversa, et quia plurimis pecuniis indige-

ret, adinvenit modum ut auferret pecunias Christianorum. Nolentibus ergo sacrificare pecuniam multam imposuit, exigebanturque vere Christiani. Singuli namque eorum secundum sui substantiam offerebant, et imperator ex injusta collectione injuste factus idoneus est. Ubi enim non erat, hanc dirigebat legem; ubi erat, utebatur ipse. Tunc ergo pagani Christianos graviter oppresserunt; interdum etiam tormentis corporalibus affligebant eos. Quod imperator audiens, Christianis quippe aduentibus eum, defendere contemnebat, dicens: Vestrum est ut patientes mala sustineatis; hoc enim est preceptum vestri Dei. *SOCRATES, lib. III, cap. 11. Edit. Christ. Vales. cap. 13 et 14. p. 185.*

CAPUT XL.

Quomodo ab Antiochenis irrisus sit.

Igitur imperator pugnaturus contra Persas venit in Antiochiam. Cumque populus quereretur, quia venalia quidem abundarent, sed carius venderentur: volens magnitudinem suæ largitatis ostendere, minora quam debuit pretia in foro rerum venalium deputavit. Et cum fugissent tabernarii negotiatoresque diversi, res necessariæ defecerunt. Antiocheni vero graviter hoc ferentes, contumelias fecerunt imperatori. *SOZOMEN., lib. v, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 624.*

Querebantur enim adversus eum, facetias de ejus barba proferentes; erat enim ejus barba valde prolixa. Dicebant ergo: Tondeatur, ut ad funes ejus proficiat barba. Et quoniam superstitionis suæ causa taurum idolis frequentius immolabat, aram vel taurum in solido suo formari præcepit. Ob quam rem lacerantes eum dicebant: Iste taurus evertet mundum. His injuriis provocatus ad iracundiam, interminatus est se Antiochiam affligere civitatem. Quamobrem ad Tarsum Ciliciæ reverti volens, jussit necessaria preparari. Ex quâ intentione eum sophista Libanius revocavit, scribens pro Antiochenis intercessionis librum, et rursus ad Antiochenos de principis iracundia; quos tamen libros non edidit. Verum imperator respuens se operibus vinlicare, reciprocis injuriis iram suæ indignationis amovit. Librum enim adversus Antiochenos fecit lepidum et satis urbanum, quem Antiochicum nominavit. Verum contra Christianos multa mala etiam in ea civitate commisit. *SOCRATES, lib. III, cap. 15. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 190.*

297 CAPUT XLI.

De simulacro Christi, quod deposuit Julianus.

Illud quoque, quod sub Juliano provenit, narrare non silebo. Fuit enim signum quidem virtutis Christi, et in licium contra principem iracundiæ Dei. Cum enim agnovisset in Cæsarea Philippi, civitate Phœnicæ, quam Paneam vocant, insigne Christi esse simulacrum, quod mulier illa sanguinis liberata profluvio constituerat, eo deposito, suam ibi statuam collocavit. Quæ violento igne de cælo cadente, circa ejus pectus divisa est, et caput cum cervico una parte dejectum atque in terra fixum: reliqua vero pars hac-

tenus restitit, et fulminis indicium reservavit. Statuam vero Christi tunc quidem pagani trahentes confregerunt. Postea vero Christiani colligentes, in ecclesiam recondiderunt, ubi hactenus reservatur. Hoc itaque simulacrum, sicuti refert Eusebius, omnium passionum et ægritudinum noscitur esse medicamentum. Juxta quod quædam herba germinavit, cujus speciem nullus nostræ terræ medicus, licet expertus, agnovit. *SOZOMEN., lib. v, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 629.*

CAPUT XLII.

De beneficio herbe quæ nascetur juxta simulacrum Christi, et de miraculis quæ per loca diversa pro nomine Christi fiebant.

Mihi namque videtur, quia, adveniente Deo, nullum miraculum nullumque beneficium putari debet incredulum. Nam et alia plurima miracula per civitates et vicos plerumque apud multos provinciales antiquitus tradita sunt, habentia veritatem; quod repente monstrabo. Est itaque civitas Palæstinæ Nicopolis nomine; hanc, dum adhuc vicus esset, Emaus sacer Evangeliorum liber appellat. Quam Romani post vastationem Hierosolymorum Judææque victoriam, Nicopolim ex eventu quippe victoriæ vocaverunt. Ante hanc urbem in trivio ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquam ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo passiones hominum diluuntur, et alia pariter animalia diversis detenta languoribus emundantur. Quod ut ita contingat, traditur ex quodam itinere apparuisse Christum ad fontem cum discipulis suis, et lavisse pedes, ex quo aqua facta diversarum medicabilis passionum. Fertur etiam quod in Hermopoli Thebaides, arbor quæ vocatur Perseidis, multorum languores subegerit, si fructus, aut folium, aut pars ejus corticis collo ægrotantium ligaretur. De hac enim arbore ferunt, quoniam dum apud Ægyptum Joseph cum Christo et Maria Virgine sancta fugisset Herodem, venissetque ad Hermopolin civitatem; mox ut ingrediebatur urbem, non ferens hæc arbor maximum Christi salutaris adventum, inclinata est usque ad terram, et eum suppliciter adoravit. Hæc ego de ista arbore a multis audiens narravi. Reor autem hoc signum fuisse factum civibus divinæ presentis: aut certe, quia ritu pagano hæc arbor propter magnitudinem atque pulchritudinem colebatur, mota est, non ferens Christi divinitatem; dæmonibus quippe contremiscentibus, cum viderent rerum talium destructorem, nec non et omnibus simulacris Ægyptiorum secundum Isaïæ prophetiam, fugatoque dæmonio, pro testimonio Christi arborem vacuam remansisse. Igitur apud Ægyptios et Palæstinos gestorum testimonia conservantur. *SOZOMEN., lib. v, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 629.*

CAPUT XLIII.

Quomodo Julianus Judæos armaverit contra Christianos, et de templo Hierosolymorum.

Igitur Julianus etiam Judæos contra Christianos armavit. Primumque convocans requisivit, cur eis præcipiente lege sacrificare, nequaquam immolatio-

nibus uterentur. Cumque respondissent uno tantummodo loco sibi offerendi sacrificium fuisse permissum, repente jussit Deo odibilis destructum resuscitare templum : credens infelix dominicum verbum se posse destruere; cuius per hoc veritatem magis ostendit. Hæc itaque verba Judæi libenter accipientes, cunctis per diversum terrarum orbem mandavere Judæis. Qui undique concurrentes, pecunias ad ædificium alacriter offerebant : ministravitque plurimum etiam imperator, non largitatis gratia, sed veritati repugnans. Misitque pariter præsidem, impiorum executorem dignissimum præceptorum. Aiunt enim quoniam ad repurgium faciendum argenteas hamas, et cophinos, et scaphas habuerunt. Cumque fodere jam cœpissent, statuto quidem die hoc multitudo plurima faciebat : nocte vero, spontanea terra de valle crecebat. Solutis itaque prioris etiam fundamenti reliquiis, nova omnia præparabant. Cumque gypsi et calcis multa modiorum millia præparassent, vis magna ventorum repente respirans, tempestates atque procellæ subito factæ, quidquid congregatum fuerat disperserunt. Adhuc autem vesanientibus eis, et nequaquam divina longanimitate correptis, maximus primo terræmotus est factus. Et quisquis non fuerat mysteriis divinis imbutus, vehementer attritus est. Cum vero neque hoc terrerentur indicio, ignis ex fundamentis quæ suffodiebantur egrediens, plurimos fodiementum concremavit, aliorum membra dissolvit. Nocte quoque plurimis in vicina porticu dormientibus, cadens subito cum tecto ipsa porticus, dormientes oppressit. Alia vero die in cælo signum splendens crucis salutaris apparuit. Sed etiam Judæorum vestes crucis signaculo sunt impletæ, non tamen splendenti, sed nigro colore signatæ. Hæc itaque Dei rebelles considerantes, et divina flagella contremiscentes, ad propria sunt reversi : confitentes esse Deum qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus. Quod audiens Julianus, dum utique caneretur ab omnibus, tanquam Pharaon indurato corde non timuit. THEODORETUS, *lib. III, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 20, p. 142.*

298 CAPUT XLIV.

De bello Persico, et quomodo Julianus illuc perrexit.

Igitur dum Persæ mortuum cognovissent fuisse Constantium, capta fiducia venerunt ad terminos Romanorum, denuntiantes bellum. Ob quam rem, collecto exercitu, Julianus misit in Delphum, et Delum, atque Dodonem, ad percipienda responsa, si expediret ei bella suscipere. Tunc universi vates et pugnandi fiduciam dabant, et victoriam promittebant. Unum vero responsum pro exemplo mendacii ac seductionis inserere non pigebit; est enim hujusmodi : Nunc omnes aggredimur dii, victoriæ tropæa referentes circa fluvium Thiren. Horum ego dux ero beligerator Mars. Horum itaque carminum ridiculum eos convenit divulgare, qui rationalem dominum Musarumque principem Pythium vocant. Ego autem mendacium seductionis ejus inveniens ingemisco. Thiren namque fluvium Tigrim voluit appellare :

quoniam Thiris ejus nomini similis est. Is enim fluvius ex Armeniæ redundans montibus, et per Assyriorum arva discurrens, sinum descendit in Persicum. Per hæc ergo responsa deceptus infelix, et victoriam mente somniabat, et post Persicum [al., Parthicum] prælium pugnam Galitiæ inferre præparabat; sic enim vocabat Christianos : contumeliam nominis se eis inferre putans, cum magis debuisset eorum considerare virtutem. Non enim Socrates, licet Critias fuerit appellatus, et Pythagoras Phalaris, ex mutatione nominis qualibet sunt peste participati; neque Nereus Thersites vocatus, naturalem pulchritudinem quam gerebat amisit. Horum nihil mente percipiens, ex hac appellatione aliquid monstri se nobis putavit inferre. Et fallaci responso credens, interminabatur per ecclesias dæmonum se statuere simulacra. THEODORETUS, *lib. III, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 143.* Post has igitur minas, ab uno viro in Bercæa debellatus est. Is enim nobilis erat, ejusque civitatis curiæ præsidebat, quem zelus Christi reddidit clariorem. Videns nantque filium in impietatem quæ tunc vigeat, fuisse demersum, expulit eum sua domo, et coram omnibus abdicavit. Qui in viciniæ civitatis itinere aggressus imperatorem, suam voluntatem et abdicationem patris innotuit. At ille quiescere juvenem imperavit, placandum promittens patrem. Cumque venisset in Bercæam, nobiles et honoratos convocavit ad prandium : inter quos erat et hujus pater, quem cum filio in suo prandere jussit accubitu. Tunc circa medias epulas dixit ad patrem : Non mihi videtur justum vim facere voluntati ad aliud declinandi, et animum ad alia mutare quæ non vult. Noli itaque esse filio violentus, sequi tua dogmata respuenti. Neque enim ego tibi vim facio mea sequi, licet cogere valde possim. Ille causam divinæ religionis mente percipiens : De isto, inquit, o imperator, erroneo dicis, et Deo odibili, et veritati præponente mendacium. Tum ille rursus mansuetudinis induens vultum : Cessa, inquit, detrahere. Et declinans ab eo vultum, adolescenti dixit : Ego tui curam habeo : quoniam patri tuo, ut hoc faciat suadere non possum. Hæc itaque non frustra retuli, sed volens ostendere non solum illius mirabilis viri fiduciam; sed quoniam contempta Juliani a plurimis sit potestas. THEODORETUS, *lib. III, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 144.* — In Antiochia namque vir quidam optimus, pædagogus adolescentium, habitabat. Eratque illic famosissimus sophista Libanius, impius, expectansque Juliani victoriam, habens præ oculis ejus minas. Ergo interrogavit pædagogum, quasi nostram deridendo religionem : Nunc inquit, fabri filius quid putas agit? At ille, quod post paululum contigit, repletus gratia divina prædixit. Respondit enim : O sophista, Creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, loculum sepulcræ Juliano composuit. Post paucos vero dies mors illius nuntiatur erronei, et in loculo positus, et advectus, minarumque tumore evacuatus est. THEODORETUS, *lib. III, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 145.*

CAPUT XLV.

Quomodo Julianus monachus ejus (id est Juliani imp.) mortem, antequam audiret, prænuñtiaverit.

Eo siquidem tempore religiosissimus Julianus, cognomento Saba, qui angelorum incorporalium vitam corporali conversatione videbatur imitari, cujus etiam vitam conscripsimus, prolixiores offerebat Deo preces, cum illius impii minus audisset. Et ea hora qua ille percussus est, orans, mortem ejus iste cognovit, licet plusquam viginti mutationes ab eo loco usque ad ejus exercitum esse viderentur. Aiunt enim quia dum continue ingemisceret, et clementi Domino supplicaret, subito lacrymarum ejus fluvius restitisset, fuissetque alacritate completus, et ejus vultus exhilaratus. Hanc animi permutationem ejus ministri respicientes, rogaverunt eum ut eis causam repentini gaudii patefaceret. Tunc ille dixit: Ferus sacræ vineæ devastator pœnas exactus est vastationis suæ, jacetque mortuus, terroribus minisque frustratus. Hæc agnoscentes exultaverunt omnes, Deoque hymnos gratificos obtulerunt. Postea vero a nuntiis est comperit eandem fuisse diem simul et horam necis Juliani, quam ille sacratissimus senior cognovit atque prædixit. THEODORETUS, *lib. III, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 24, p. 145.*

CAPUT XLVI.

De inconsulto Juliani ducatu.

Illum itaque semper inconsulte gessisse mortis demonstravit eventus. Transiens enim cum exercitu fluvium qui Persarum Romanorumque regna dividit, repente naves incendit, non suadens rebus aut verbis, sed cogens milites præliari. Porro duces alacritate completi, animabant milites, et eos spe varia confortabant, quam imperator absciderat, cum eorum reversionem incensis navibus abnegasset. Super hæc autem cum debuisset eibus militibus congregare, neque de propriis finibus præcepit afferri, neque de inimicorum abundantia jussit aliquid deprædari. Relinquens ergo habitabilem viam, pergebat per solitudinis loca: ubi et cibo et potu milites defraudati, et duces itineris non habentes, sed errantes in deserta provincia, sapientissimi principis agnovere consilia. THEODORETUS, *lib. III, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 146.*

299 Multos itaque vicos castraque detinens, jam etiam civitates capiebat. Cumque venisset Ctesiphontem civitatem, intantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur: offerens dare suæ patriæ partem, si solutus bello discederet. Quod ille noluit, neque supplicantibus est miseratus; neque mente percepit, quod vincere quidem bonum est, supervincere nimis invidiosum: credens præcipue magicis artibus, quas ei Maximus philosophus exhibebat, et arbitratus Alexandri Macedonis se gloriam percepturum, aut certe potiorem. Putabat enim secundum Pythagoram Platonisque sententiam, ex mutatione corporum Alexandri animam se possidere, aut esse potius in altero corpore alius Alexander. Ob hæc itaque causam Persarum regis noluit preces

A audire. SOCRATES, *lib. III, cap. 18; edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 194.*

Cum igitur in deserti loca primo captivorum habuisset ducatum, postea quidam senior, sub schemate proditoris, se ei compendiosum iter ostendere compromisit. Cumque tribus diebus ambulantes ad majorem solitudinem venissent, illum quidem sustibus occiderunt, conflentem hoc se fecisse pro patriæ libertate, et libenter tormenta omnia sustinere. Exercitus interea Persarum, ex itinere fatigato exercitui Romanorum iratus occurrit, seque ad congressionem prælii præparavit. SOZOMEN., *lib. VI, cap. 1, p. 635.*

Querebantur enim Romani de principe, cur noluerit bellum cum lucri promissione finire. Verumtamen Persis instantibus resistebant, ita ut frequenter verterentur hostes in fugam. Porro Julianus erat præsens in equo, et exercitum confortabat, inermis quidem spe felicitatis suæ præsumens. SOCRATES, *lib. III, cap. 18; edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 194.*

CAPUT XLVII.

De peremptione Juliani.

Contra quem jaculum repente delatum, discurrens per brachium, in ejus latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vite. Quis vero justissimum intulerit vulnus, hactenus ignoratur. Sed alii quendam invisibilem hoc intulisse ferunt; alii vero unum pastorum Israhelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo, sive angelus fuerit, palam est quia divinis jussionibus ministravit. Aiunt enim quia dum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo compleverit, et in aerem projecit, dicens: Galilæe, vicisti. Et in eo ipso confessus est cum blasphemia victoriam. THEODORETUS, *lib. III, cap. 20; edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 146.*

Callistus autem, qui inter familiares imperatoris tunc militabat, et heroico versu ejus conscripsit historiam, ait eum a dæmone vulneratum, fuisse defunctum. Julianus ergo quarto consulatu suo (*Anno Dom. 363*) quem ediderat cum Salustio, sexta die Junii mensis, in Persica regione defunctus est, anno tertio imperii sui, septimo vero ex quo Cæsar a Constantio fuerat ordinatus, vite anno tricesimo primo. SOCRATES, *lib. III, cap. 18; edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 195.*

CAPUT XLVIII.

Quæ magiæ post mortem ejus inventæ sint.

Post cujus mortem ejus magiæ compertæ sunt. Carra namque civitas est hactenus impietatis ejus reliquias habens. Per hanc iter agens, quoniam per Edessam propter pix religionis cultum transire noluerat, in templum quod a paganis colitur est ingressus. Ubi dum quædam cum suis consortibus sacrilegia celebrasset, januas et claustra disposuit, et quosdam ibi milites observare præcepit, ut interior nullus accederet, donec ipse remearet. Cumque mortuus fuisset, et impio pius successisset imperium, ingredientibus in templum invenerunt mira principis simulacra, ejusque sapientiam et famosissimam pietatem. Viderunt enim mulierem capillis apertis, extensas habentem manus, cujus uterum aperuerat,

ut Persarum victoriam in jecore ejus inspiceret. Hoc A [ed. Niv. et Frob., illius magiæ insultantes]. Ego autem etiam clamorem favoris eorum hic ponere necessarium judicavi, ut etiam apud posteros hæc memoria reservetur. Communiter enim clamabant omnes: Maxime fatue, ubi sunt tua vaticinia? Vicit Deus et Christus ejus. Hic ergo libri terminus est habendus, ne pio imperio impietatis potentia copuletur. THEODORETUS, *lib. III, cap. 21 et 22; edit. Christ. Vales. cap. 26 et 27, p. 147.*

LIBER SEPTIMUS.

300 CAPUT PRIMUM.

De Joviani imperatoris auspiciis, et quemadmodum a Persidis finibus sit egressus.

Milites igitur in maxima æstuatione venientes, omissa omni dilatione, altera die Joviano infulas imperatoris imponunt. Erat enim vir fortis, et nobilis, et illo tempore millenarius quo Julianus electionem militibus lege proposuit, ut aut sacrificarent, aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere quam imperatoris præceptionibus impiis obedire. Hunc ergo tunc Julianus propter belli necessitatem inter viros militares habebat. Qui cum violenter a militibus ad imperium traheretur, clamabat, dicens non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse Christianus existeret. Cumque vox omnium communiter proclamasset, dicentium se quoque esse Christianos, suscepit imperium. SOCRATES, *lib. III, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 195.*

Cogitabat itaque Jovianus de communi salute, et quomodo posset de medio hostium illæsum exercitum liberare. Nec indigni grandi consilio, sed seminibus pietatis utilissimum vindemiavit fructum. Repente namque suam providentiam Deus ostendit, et fluctuationem ejus ad portum tranquillitatis adduxit. Dum enim hujus angustiam Persarum rex agnovisset, missa legatione petivit pacem, deinde cibaria militibus destinavit, et forum venalium eis præparari in deserto præcepit. Celebratisque fœderibus, exercitum reduxit incolumem. THEODORETUS, *lib. IV, cap. 2, p. 132.*

Quæ pacta, quantum ad gloriam Romanorum turpia, sed tempori congruebant. Amissa namque Syria, et tradita Persis Nisibi, Mesopotamiæ civitate, discessit. Hæc itaque nuntiata Christianos confortaverunt, paganos intulerunt luctum. Porro milites incautum Juliani fervorem valde culpabant, causamque damni finium Romanorum ei potius inferebant: quoniam a Persarum quasi proditore seductus, naves quæ per fluvium frumenta debebant incendit, et famem militibus irrogavit. SOCRATES, *lib. III, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 196.*

CAPUT II.

Quid sophista Libanius contra Christianos scripserit, et quomodo Socrates historiographus ejus dicta confutarit.

Tunc itaque sophista Libanius lamentationis librum in Julianum conscripsit, quem Julianum denomi-

navit, fascinatum quippe laudibus illius: in quo etiam meminit librorum quos contra Christianos ediderat B Julianus. Et siquidem laudes imperatoris sophista dixisset, ego quiescerem, vestigia historiæ sequens. Sed quoniam tanquam callidus rhetor memoria Juliani librorum Christianam videtur lacerare religionem, propterea contra eum, positis primum verbis ipsius, pauca dicenda sunt. Hiemis, inquit, noctes amplius imperator extendens, incumbendo [*ms., in condendo*] libris, Palæstineum hominem Deum, Deique Filium referentibus, præliabatur enixius, et redarguendo prævaluit, ut risum et quamdam inanitatem ostenderet eorum quæ coluntur a talibus. In quibus laboribus sene Tyrio sapientior 301 est inventus. Propitius autem sit iste Tyrius, et placide verba mea suscipiat, tanquam a filio victus est. Hæc quidem sophistæ Libanii sunt. Verum ego sophistam C eum optimum fuisse novi; tamen si non ejus religionis fuisset cujus imperator erat, omnia quæ de Juliano Christiani dicunt, etiam iste tunc diceret, et forsitan quasi rhetor auget. Nam et vivo Constantio laudes, et eo defuncto injurias plenas criminibus ejus effudit. Et si senex Porphyrius fuisset imperator, libros ejus Juliani præposuisset operibus. Sed et Julianus, si sophista fuisset, dixisset forsitan etiam ipsum malum, sicut Eubolum. Quia ergo ille tanquam ejus sectæ, tanquam sophista et amicus imperatoris, quæ ei sunt visa dixit; et nos, ut possumus, obviemus. Primum itaque dixit, quia libris incumberet, hiemis noctes extendens. Incumbere namque significat quia intentionem habuerit ut vituperationem conscriberet, sicut consuetudo sophistis est. Nam olim hos libros scierat; sed tunc incubebat, et maximo prælio contendeat. Unde palam est quia non, sicut Libanius putat, redarguendo prævaluerat; sed infirmitate suæ veritatis æstuabat; et ea quæ bene illi cauteque sunt posita, tanquam destructor lacerare laborabat. Omnis enim qui resistit alicui; nunc vertendo, nunc celando veritatem, mentitur adversus eum contra quem litigat. Et qui insensu alicui est, omnia sicuti hostis non solum agit, sed etiam loqui contendit. Quia vero Julianus atque Porphyrius, quem Tyrium senem vocat, detractores ambo fuerunt, suis sermonibus arguuntur. Nam Porphyrius summi philosophorum Socratis vitam dilaceravit in historia philosophiæ quam ipse conscripsit; et talia de eo retulit, qualia soliti derogationibus oc-

cupari. Et hæc de illo Socrate, qui apud Græcos mirabilis castitate, justitia aliisque virtutibus habebatur; quem Plato mirabilis eorum philosophus, et Xenophon, et alter philosophorum thiasus (*id est chorus*), non solum tanquam Deo amabilem honorant, sed etiam ultra hominem sapuisse pronuntiant. Porro Julianus zelatus partem, passionem propriam in Casaribus enudavit, et omnium ante se regnantium vitas carpens, neque philosopho Marco pepercit. Igitur ambo detractores fuerunt. Non opus habeo plurimis uti sermonibus. Ego namque ex utrorumque verbis mores eorum conjiciens, hæc dixi. Quid autem de Juliano Gregorius Nazianzenus retulit audiamus. Ait enim in secundo libro contra paganos hæc verba post alia: « Hæc equidem de Juliano aliis ipsa experimenta tradiderunt, et assumpta potestas imperii; mihi autem olim ejus mores comperti sunt, dum hunc virum in Athenis clarius agnovissem. Venerat enim illic dum frater ejus imperatori videretur inimicus. Fuitque adventus ejus ratio duplex; una quidem quasi decentior, qua dicebat se venisse ut videret Helladam atque doceretur; altera vero secretior, et non nota plurimis, ut immolatores dæmonum et viros fallaces inquireret, quia nondum habebat impletatis suæ licentiam. Tunc igitur non frustra consideravi virum. Non enim fortuito ista conspexi; sed faciebat me tantum inconstantia morum ejus, et excessus uberior. Vates enim egregius est qui bene considerat. Nullum enim signum in eum mihi uidebatur. Cervix inflexibilis, humeri jactabiles, oculi currentes, huc illucque directi et furiose respicientes; pedes impatientes, nares spirantes injurias atque contemptum, schemata risibilia, et hoc ipsum semper habentia; risus incontinens, et quasi subhulians; consensus et negatio simul, ratio nulla ratione consistens, interrogatio inordinata, atque responsio nulla congruentia sibi conveniens. Sed quid per universa discuro? Hunc ante opera vidi, et operibus ipsi agnovi. Et siquidem essent mihi præsentibus qui tunc aderant, testarentur quia cum hæc vidissem, repente dixi: O quale malum nutrit respublica Romanorum! Et cum hæc prædixissem, optavi me inveniri debere mendacem. Melius enim fuerat hæc, quam ut tantis terra sceleribus impleretur. Nunquam arbitror talia fuisse prodigia, cum multa diluvia, multa incendia, multæ pestes, et hiatus terræ prævenerint; licet homines inhumani, et feroces, compositique dissimilibus naturis fuisse referantur. Ob quam rem digno sua superbia sine conclusus est. » Hæc Gregorius de Juliano narravit. Quia vero contra Christianos multa verba proferentes, nisi sunt vim facere veritati, quædam ex sacris litteris, pervertentes, alia permutantes, omnia tamen secundum suam surtentem intentionem: multi eis obviantes ista patefecerunt, destruentes et redarguentes eorum vana sophismata; et ante omnes Origenes, licet ante multa fuisset tempora Juliani. Is enim ea quæ videbantur turbare legentes sacratissimas lectiones, objiciens sibi met, et interpretatus ea, detractorum sophisticas adventiones exclusit. Quæ si sæpius legissent Julia-

anus atque Porphyrius, ea libenter accipientes, in aliud forte sua verba mutarent, et non ad blasphemiam sophismata vertentur. Quia enim læcerare studuit imperator, apud idiotas et simplices verba faciens, et non apud eos qui Scripturarum divinarum obtinent veritatem, ex his palam est: sumens enim ea verba quæ dispensationis causa humanius posita sunt, cum multa hujusmodi collegisset exempla, hæc novissime dicit: Horum igitur simula, si non aliquam habent ineffabilem contemplationem, maxima de Deo blasphemiam sunt plena. Hæc ergo Julianus in tertio contra Christianos libro dixit. In libro autem suo quem de Cynismo conscripsit, docens quomodo sacræ fabulas decet fingi, dicit oportere harum veritatem abscondi. Sic enim ait: Amat enim natura celari, et abdita deorum substantia non patitur nudis verbis in aures introire pollutas. Apparet ergo per hæc imperatorem suspicionem habuisse de divinis Scripturis: quoniam essent verba mystica, ineffabilem quemdam modum contemplationis habentia. Sed indignatur cur non omnes eandem sententiam habuerint, et insistit his qui inter Christianos divina simpliciter suscipere videntur eloquia. Non igitur oportebat eum contra simplices insurgere, nec propter illos contra sacræ litteras intumescere, neque odio habere, et aversari quæ magis bene intellexerant, quoniam non omnes tunc ita sentiebant sicut ipse voluerat. Similis ergo Porphyrio factus est. Ille namque in Cæsarea Palæstinæ a quibusdam Christianis cæsus, iracundiam non ferens, Christianitatem deseruit per furorem, et odio inimicorum scribendo blasphemias, Christianitate privatus est, sicut eum Eusebius Pamphili redarguit, et ejus verba destruxit. Imperator autem apud idiotas superbus inter Christianos **332** exstitit, ea passione in blasphemias Porphyrii declinavit. Ambo siquidem sponte deliquerunt, et scienter peccando dignissima pœna mulctati sunt. Cum igitur sophista Libanius velut irridens dixisset, hominem ex Palæstina Deum, et Dei Filium facient, oblitus suorum videtur esse verborum; ad finem namque ejus libri Julianum dedicavit, sic inter alia dicens: Primum namque nuntium ejus mortis pene peremerant, cur putaretur de Deo mentitus. Deinde paululum descendens, ait: O dæmonum alumne, dæmonumque discipule, et dæmonum observator. Qui licet hoc aliter intelligeret, verumtamen hæc eadem de Juliano dixit, quæ Christiani exprobrantes affirmant. Si ergo eum laudare cogitabat, oportebat eum hoc nomen effugere, nec eum deditum dæmonibus indicare; sicut sermonem alium declinavit, quem, dum reprehenderetur, de suis libris abscedit. Quomodo enim homo Christus dedicetur, et quemadmodum in aperto homo fuerit, invisibiliter autem Deus, et quemadmodum utraque sint vera, Christianorum ratio sacra novit: pagani vero antequam credant, intelligere nequeunt. Dicit enim sermo divinus: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai. vii, 9*). Quapropter non erubescunt multos homines dedicantes, et utinam bonis moribus introitos, aut justos, aut castos, et non potius lubicos,

iniquos et ebriosos, id est, Hercules, Dionysios et Asclepios, sicuti frequenter in suis libris Julianus jurare non erubescit. Quorum masculos feminasque Cupidines si enumerare voluero, longa digressio generatur. Sed sufficit hæc scire volentibus Aristotelis Pallium, et Corona Dionysii, et liber Egini multæ memoriæ, turbaque poetarum qui de talibus scribentes, vere ridiculum et inanitatem theologæ ostendere paganorum. Quia vero proprium paganorum est homines summa facilitate deificare monstrum. Rhodiis quadam calamitate detentis responsum est datum ut Phrygium Attin sacerdotem vesaniæ Phrygum celebritatibus placarent. Tale namque responsum est: Attin placate deum magnum purum Adonem, bonæ vitæ, divitiarum datorem, comatumque Dionysium. Hoc itaque responso, Attin, qui amore vesano semetipsum occidit, eundem Adonem, Dionysiumque nominavit. Cumque Alexander Macedonum rex transisset in Asiam, Amphictyones Alexandro faventes, carmina ista finxerunt: Jovem deorum consule, et Minervam honora ter genitiam, qui corpore mortali supernum abscondis regem, quem Jupiter heroum seminavit generibus adjutorem, bonæ leges lætitiæ Alexandrum statuere regem. Hæc in Pythia [ed., Parthia] pronuntiavit dæmon; qui cum potentibus adularetur, deificabat eos. Quid enim dicamus, dum etiam Cleomedem [ms. Lyr., Diomedem] athletam deificaverint, ita dicentes: Ultimus heroum Cleomedes civitatis athleta, quem sacrificiis honorate, quia mortalis jam non est. Propter hoc ergo responsum Diogenes Cynicus, et Oenomaus philosophus Pythium reprehenderunt Apollinem. Cyziceni vero tertium decimum deum Adrianum appellaverunt. Sed etiam ipse Adrianus amatum suum Antonium deificavit. Et hæc ridiculum, et inanitatem non dicit esse Libanius? Hæc ergo a nobis propter ejus detractionem, per digressionem dicta sufficiant. *SOCRATES, lib. III, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 22, p. 196.*

CAPUT III.

De rectitudine fidei Joviani, et quid Athanasius Alexandrinus scripserit.

Jovianus [ed. V. et Frob., Jovinianus] ergo imperator, mox ut imperit sui terras ingressus est, primum hæc conscripsit, ut episcopi de exilio remearent, et Ecclesias eis reddendas esse professus est qui expositam in Nicæa fidem inviolabiliter servaverunt. Scripsit etiam Athanasio, qui præcipuus erat horum dogmatum propugnator: petens ut ei rescriberet perfectam divinarum dogmatum disciplinam. Qui eloquentiores episcopos congregans rescripsit: rogans ut fidem Nicææ expositam custodiret, tanquam apostolicis dogmatibus congruentem. Cujus epistolæ verba sunt hæc. *THEODORETUS, lib. IV, cap. 2, p. 152.*

Piissimo atque clementissimo Victori, Augusto, Joviano Athanasius et reliqui episcopi, venientes ex persona omnium episcoporum Ægyptiorum, Thebaidis et Libyæ.

Decet Deo amabilem principem discendi habere

voluntatem desideriumque cœlestium. Sic enim vera et cor habens in manu Dei, et imperium cum pace multis annorum curriculis gubernabis. Volente igitur te a nobis tua discere pietate catholicæ Ecclesiæ fidem, gratias ob hoc Domino referentes curavimus, ut prolata in ab omnibus Patribus in Nicæa tuæ pietati insinuaremus fidem. Hanc enim repudiantes quidam, nobis equidem frequenter insidiati sunt, eo quod Ariani non consentiremus vesaniæ. Auctores vero facti sunt hæresis et schismatum universalis Ecclesiæ. Vera ergo et pia in Dominum nostrum Jesum Christum fides est omnibus manifesta, et ex divinis litteris agnita atque lecta. In hac enim etiam sancti martyrio consummati sunt, et requiescentes in Domino nunc consistunt. Manserat itaque semper fides illæsa, nisi calliditas quorundam hæreticorum eam violare præsumeret. Arius enim quidam ejusque sectatores erumpere et impietatem adversus eam inducere tentaverunt: dicentes, ex non exstantibus, et creaturam, atque facturam, convertibilemque esse Filium Dei; plurimosque per talia seduxerunt, ita ut etiam qui aliquid esse videbantur, blasphemiam hujusmodi traherentur. Verum sancti Patres nostri olim convenientes, sicuti prædiximus, in Nicæno concilio, Ariam quidem sectam anathematizaverunt: catholicæ vero Ecclesiæ fidem, scriptura teste, professi sunt. Eaque prædicatione hæresis exincta est, quæ ubique videbatur accensa. Hæc itaque fides per omnes Ecclesias legebatur atque prædicabatur. Sed quoniam Ariam hæresim quidam renovare volentes, ipsam fidem a Patribus in Nicæa prolata anathematizare præsumperunt; aliqui vero fingunt se eam profiteri, sed ipsam veritatem negare noscuntur, aliter interpretantes consubstantialitatem, et sancto Spiritui blasphemantes, cum dicunt eum creaturam esse atque facturam per Filium celebratam: necessario considerantes læsionem quæ ex hujusmodi causa contra populum generatur, offerre tuæ pietati confessionem **303** concilii Nicæni curavimus; ut pia religio tua cognoscat cum quanta scrupulositate conscripta est; et quantum errent, qui extra eam volunt aliquid edocere. Cognosce, Deo amabilis imperator, quoniam hæc quidem prædicatur a sæculo, et hanc professi sunt Patres Nicææ convenientes. In hac quoque fide concordant omnes Ecclesiæ in Hispania et Britannia, nec non in Galliis, Italiis et in Dalmatiis constitutæ, in Mysia, et Macedonia, et universa simul Hellada; sed etiam in universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, et in omni Ægypto, et Libya, Ponto, et Cappadocia partibusque vicinis, et Orientales Ecclesiæ, præter paucos Arii sectatores. Omnium namque prædictorum sententiam experimento cognovimus, et litteras habemus, eosque novimus, Deo amabilis imperator: quia cum pauci quidam huic fidei contradicant, præjudicium facere non poterunt in toto orbe terrarum. Multo enim tempore ab hæresi Ariana pulsati, nunc etiam pietati contentione maxima contradicant. Ut vero hæc pietas tua cognoscat, licet sciam, tamen studuimus fidem Nicæno concilio professam ab epi-

scopis trecentis decem et octo subjunge. Est autem hæc Nicæni concilii fides:

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium invisibiliumque factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum, consubstantiali Patri, per quem omnia facta sunt quæ in cælo et quæ in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis [ed. omitunt de cælis], incarnatus, humanatus, passus est, et die tertia resurrexit. Ascendit in cælos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, et antequam nasceretur non erat; et, quia ex non exstantibus factus est, aut ex altera substantia vel substantia: dicentes esse aut creatum, aut convertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia. In hac fide, Deo amabilis imperator, nos consistere necessarium est, tanquam sacra et apostolica: nullaque movere eam seductione verborum atque contentione; quod ab initio Ariani fecerunt, ex non exstantibus Filium dicentes; et, quia erat quando non erat, et creatus, et factus, et convertibilis est. Propterea, sicuti prædiximus, et Nicæna synodus hæresim anathematizavit hujusmodi: fidem vero professam est veritatis [ms. Lyr., Trinitatis]. Non enim simpliciter similem dixerunt Filium Patri, ne simpliciter similis Deo Deus verus esse crederetur; sed etiam consubstantiali scripserunt, quod proprium est genuini [ed., geniti] verique filii, ex vero et naturali Patre nascentis. Sed neque Spiritum sanctum alienaverunt a Patre et Filio; sed potius glorificaverunt eum cum Patre et Filio in una sanctæ Trinitatis fide, eo quod una sit in sancta Trinitate Divinitas. THEODORETUS, lib. iv, c. 3, edit. Christ.

Has litteras imperator legens, confirmavit quam habuerat de sacris scientiam et affectum; aliamque conscripsit legem, ut frumentorum consuetudo redderetur Ecclesiis, quam maximus constituerat Constantinus, et dari prohibuerat Julianus. Et quoniam propter illius impietatem orta fames non sinebat totam tunc summam quam Constantinus constituerat erogari, tertiam partem Jovianus ad præsens impendi promisit, ita ut, cessante fame, frumenta integra præberentur. THEODORETUS, lib. iv, cap. 4, p. 155.

CAPUT IV.

Quomodo Joviani temporibus orthodoxi floruerint, et hæretici sint oppressi.

Evocavit igitur imperator a Constantio exsilio missos episcopos, qui non occurrerant Juliani redire temporibus. Tunc autem etiam templa paganorum omnia clauderentur, et ipsi sacerdotes ubique fugiebant: indutique palliis, ipsa pallia reponerent, et ad schema commune revertentur. Quievit etiam pollutio sanguinis, quam publice insatiabiliter sub Ju-

liano celebrabant. Porro Christiani non quiescebant: præsules enim religionum adibant crebro principem, credentes ejus obtinere se voluntatem ad verum proprios inimicos. Et primum quidem Macedoniam libellum principi porrexerunt, postulantes ut expellerentur Ecclesiis qui dissimilem Filium prædicabant, et ipsi introducerentur in eas. Erant enim qui libellum obtulerant Basilius Ancyrae, Sylvanus Tarsi, Sophronius Pompeiopolis, Pasinicus Zilenus, Leontius Comanis, Calliocrates Claudiopolites, Theophilus Castabalenus. Horum libellum imperator accipiens, eos sine responso dimisit, hoc tantummodo dicens: Ego contentiones odi, eos autem qui ad concordiam festinant diligo pariter et honoro. Quod audientes qui ad contentionem se præparabant, quieverunt. Hoc ergo pro voto imperatoris est factum. Nam tunc intentio sectatorum Acacii revelata est; et, sicuti solebant, ad vota se principis contulerunt. Convenientes enim in Antiochia Syriae, habuerunt verba cum Meletio, qui ante paululum divisus ab eis, consubstantialitatem ita defendere videbatur. Hoc itaque fecerunt, quoniam eum honorari conspiciebant, principem tunc ibi morante. Communi ergo consilio libellum componentes, consubstantialitatem professi sunt, et Nicænam roborantes fidem, obtulerunt imperatori. Cujus libelli verba sunt hæc:

Piissimo et Deo amabili domino nostro Joviano Victori, Augusto, synodus presentium episcoporum ex diversis provinciis in Antiochena urbe conventurum.

Quoniam ecclesiasticam pacem atque concordiam tua primum studuit pietas celebrare, bene novimus etiam nos, Deo amabilis imperator. Quia vero verticem hujusmodi veræ unitatis et orthodoxæ fidei bene sumpsisti, neque hoc ignoramus. Sed ne cum his qui adulterant veritatis dogma reputemur, tuæ pietati suggerimus: quoniam sancti concilii in Nicæa olim et ab initio celebrati fidem et suscipimus et tenemus. Quando etiam consubstantialitatis nomen, quod aliter se quibusdam habere videtur, dicimus cautam interpretationem a Patribus excepisse, quippe significantibus quoniam ex substantia Patris natus est Filius; et quia sicuti is per substantiam Patri est 304. Non enim velut aliqua passio circa ineffabilem nativitatem creditur. Neque secundum aliquem paganorum usum percipitur a Patribus substantiæ nomen dictum; sed ad destructionem Ariatorum, qui præsumperunt ex non exstantibus de Christo aliquid impie prædicare. Quod etiam isti, qui nunc inæqualitatem assunt, asperius et audacius ad vastandam Ecclesiæ concordiam imprudenter ausi sunt perpetrare. Quamobrem huic nostræ relationi subjunximus exemplar fidei Nicæni concilii, quam etiam decenter amplectimur. Est enim hujusmodi: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, et reliqua. Et subscriptio: Meletius episcopus Antiochiæ obtuli, in superscriptis consentiens, Eusebius Samosatensis, Evagrius Scythicus, Uranius Apamiæ, Zoilus Larissenus, Acacius Cæsariæ, Antipater Rhosi, Abramius Urmenus, Aristonius Bo-

Jacobeli, Barlabentus Pergami, Uranius Melitinae, Magnus Chalcidis, Euthicius Eletheropoleos, Josacius Armeniae majoris, Titus Bostrensis, Pelagius Laodicæ, Arabianus Adrensis, Piso Adadenus per Lamirionem presbyterum, Sabinianus Zeugmatis, Athanasius Ancyrae per Orphitum et Aetium presbyteros, Irenæus Gaza, Piso Augustæ, Patricius Palti per Lamirionem presbyterum, Anatolius Beroæ, Theotimus Aramienus, Lucianus Arcenus. Hunc itaque libellum in collectione synodali Sabini conscriptum invenimus. Verum imperator propositum hoc habebat, ut blandimentis et suasionem verborum discordantium contentiones abscederet, dicens: Nulli quidem se quomodocumque credentium fore molestum, eos tamen diligere et nimis honorare qui principium ecclesiasticæ unitati præberent. Quia vero hoc egerit, etiam Themistius philosophus ait in laude quam in ejus protulit consulatione, ubi miratur imperatorem quod permiserit unumquemque colere sicut vellet; atque devicerit blandientium mores, quos valde deridens, ait manifestari per purpuram ^A. SOCRATES, *lib. III, cap. 20 et 21. Edit. Christ. Vales. cap. 24 et 25, p. 202.*

Igitur imperator tunc etiam Secundo nomine præfecturam gubernanti, prætorianam legem dedit, ut capitali sententia plecteretur qui sacram virginem nuptiali thoro violare præsumeret, vel impudico aspectu respiceret, ne dicam abripere forte tentaret. Quam legem ideo posuit, eo quod Juliani temporibus quidam hujusmodi virgines uxores ducere præsumperunt. SOZOMEN., *lib. VI, cap. 3, p. 640.*

CAPUT V.

Quod Athanasius venerit ad Jovianum, et ab eo sit decenter honoratus.

Inter hæc Athanasius Alexandrinæ sedis episcopus, cum paucis suorum communicato consilio necessarium judicavit ut Christianum videret imperatorem. Veniensque Antiochiam, principem de quo bus oportebat edocuit. Quidam aiunt quia eum ipse magis evocavit imperator, ut quæ necessaria pro religione et recta fide videbantur exponeret: disponensque, ut decebat, causas Ecclesiæ, de reversione cogitabat. Verum Euzois Arianæ sectæ, Antiochenæ civitatis episcopus, studebat ut Probatianus quidam eunuchus in Alexandria urbe ordinaretur episcopus. Cumque hoc ageretur, Lucius Alexandrinus a Georgio presbyter ordinatus, adiit imperatorem; et malèdicens Athanasio, quasi temporibus episcopatus sui fuisset inscriptus [*ed. Niv. et Frob., accusatus*], et plurima exilia sub præcedentibus sustinisset imperatoribus, essetque circa sacra per eum causa discordiæ: supplicabat insuper ut alius in Alexandria civitate ordinaretur episcopus. Verum imperator sciens quantæ Athanasio inimicorum invidiæ provenissent, derogationes hujusmodi non respexit; sed Lucium quidem cum multa interminatione tacere jussit; Probatianum vero ejusque se-

quaces eunuchos, auctores hujusmodi scelerum atque turbarum castigandos esse præcepit. Porro Athanasium, amicum sibi maximum factum, destinavit in Ægyptum; ut, sicut ei videretur, causas Ecclesiarum populosque disponderet. Fertur enim quia eum pro maxima virtute conversationis sapientiæque laudaverit. Aiunt quidam, antequam sub Constantio imperatore Ariani tenerent Ecclesias, somnium vidisse Antonium monachum, quasi burdones altare sacrum calcibus evertissent, experrectumque dixisse: quoniam ab adulteris et permixtis hominibus Ecclesia calcaretur. Quæ non fuisse mendacia posterior monstravit eventus. SOZOMEN., *lib. VI, cap. 5, p. 642.*

CAPUT VI.

De consulatione et fine Joviani.

Tunc igitur imperator, impetum retinens hæreticorum, discessit ab Antiochia, et venit ad Tarsum Ciliciæ, ibique corpus Juliani sepelivit. Et dum cuncta solemnia funeri ejus exhibisset, consul est designatus (*An. Dom. 364*). Dumque Constantinopolim festinaret, venit ad prædium nomine Dadastana inter Galatiam et Bithyniam: quo philosophus Themistius cum aliis senatoribus occurrens, consulari recitavit orationem. Feliciter tunc agi poterant res Romanæ publicæ et simul ecclesiasticæ sub principe benigno dispositæ, nisi repentina mors talem virum ab hominibus abstulisset. In prædicto namque prædio hiemis tempore, in phraxis languore constrictus, est mortuus consulatione suo et Varroniani filii, septimo decimo die Februarii mensis; qui regnavit mensibus septem, vixit annis triginta tribus. SOCRATES, *lib. III, cap. 22. Edit. Christ. Vales. cap. 26, p. 205.*

CAPUT VII.

De ortu principis Valentiniani, et quemadmodum fratrem Valentem ipse fecerit imperatorem.

Cumque in Nicæam Bithyniæ venisset exercitus, Valentinianum ordinavit imperatorem, virum optimum, et apice principali dignissimum. SOZOMEN., *lib. VI, cap. 6, p. 614.*

Valentinianus igitur ordinatus vicesimo quinta die ejusdem Februarii mensis, Pannonius genere, de Cibala civitate; cui tunc erat militum cura commissa, quoniam probatissime militarem noverat disciplinam. Fuit etiam vir magnanimus, et semper præsentis fortuna melior apparebat. SOCRATES, *lib. IV, cap. 1, p. 210.*

Is enim non modo fortitudine, sed etiam prudentia, temperantia, atque justitia, et corporis magnitudine præfulgebat. Sic enim fuit regalis 305 pariter et urbanus, ut dum exercitus tentasset ei alium sociare consortem, ille responderit, quod cantatur ab omnibus: Vestrum, inquit, fuit, o milites, imperatore non existente mihi dare regimen imperii; verum, ubi hoc ego suscepti, meum jam, et non ve-

^A Ed. V. et Frob. manifestare purpuram. Ed. Niv. addit, eos non Deum sed purpuram magis colere.

strum est de rebus cogitare communibus. Cujus A
verba mirati milites, ejus secuti sunt voluntatem. At
ille fratrem de Pœonia [*ms. Santheod.*, Pannonia]
vocans, quod non debuit, socium fecit imperii. THEO-
DORÆTUS, *lib. iv, cap. 5. Edit. Christ. Vales. cap. 6,*
p. 156.

Post triginta dies auspicii sui.

Cui Asia scepra contradens, pariter et Ægypti,
Europam sibi distribuit. Et veniens ad Hesperiam,
omnem illic (*ed. illico*) edocuit æquitatem, a prædi-
cationibus pietatis incipiens. SOCRATES *lib. iv, cap. 1,*
pag. 210. THEODORÆTUS, *lib. iv, cap. 5. Edit. Christ.*
Vales. cap. 6, p. 156.

CAPUT VIII.

De Ambrosii Mediolanensis episcopatu atque fiducia B
loquendi.

Auxentio namque defuncto, qui Mediolanensem
præsulatum tenuerat, multisque fuerat conciliis ab-
dicatus, evocans episcopos imperator, hujusmodi
aut eos verba locutus est: Nostis aperte, eruditi
quippe divinis eloquiis, qualem oporteat esse pon-
tificem, et quia non deceat eum verbo solum, sed
etiam conversatione gubernare subjectos, et totius
semetipsum imitatore[m] virtutis ostendere, testem-
que doctrinæ conversationem bonam habere. Talem
itaque in pontificali constituite sede, cui et nos qui
gubernamus imperium, sincere nostra capita sub-
mittamus, et ejus monita, dum tanquam homines
deliquerimus necessario, veluti curantis medica-
menta suscipiamus. THEODORÆTUS, *lib. iv, cap. 5.* C
Edit. Christ. Vales. cap. 6, p. 156.

Hæc cum dixisset imperator, petiit synodus ut
magis ipse decerneret, sapiens et pius existens. At
ille: Super vos est, inquit, talis electio. Vos enim
gratia divina potiti, et illo splendore fulgentes, me-
lius poteritis eligere. Tunc sacerdotes egressi, de
episcopali sede tractabant. Verum civitatis habitato-
res, ut assolet, tumultus faciebant, alii hunc, alii
illum ordinari petentes. Qui enim erant de Ariani
Auxentii secta similem sibi fieri concertabant. Rur-
sum orthodoxi sui dogmatis nitebantur habere epi-
scopum. Hanc seditionem Ambrosius, cui tunc præ-
sidentialis fuerat cura commissa, cognoscens et me-
tuens ne quid turbæ consurgeret, ad ecclesiam fes-
tinus accessit. At illi, cessante seditione, commu-
nem dederunt vocem: petentes ut pastor gregis
ordinaretur Ambrosius, qui nondum fuerat baptiza-
tus. Huc imperator agnoscens, repente jus in eum
baptizari, et tanquam dignum virum ordinari ponti-
ficem. Noverat enim ejus certiore[m] omni poudere
voluntatem, et totius regule decreta subtiliora. Ar-
bitratus etiam divinum in eo esse decretum, dum in
ejus electione etiam pars contraria consonaret. Is
ergo sacri baptismatis donum potuit, gratiam quo-
que simul suscepit episcopatus. Quo facto, hunc
hymnum optinuit imperator Salvatori et Domino
a tolisse fertur (his quippe quæ gerebantur inter-
erat). Gratias, inquit, ago tibi, Domine omnipotens
et Salvator noster, quoniam huic viro ego quidem

commissi corpora, tu autem animas; et meam elec-
tionem ostendisti tuæ justitiæ convenire. Cumque
post paucos dies sanctus Ambrosius cum multa fi-
ducia apud imperatorem quereretur quia male a
judicibus agebatur, tunc imperator ait: Hanc, in-
quit, confidentiam tuam dudum novi; et aperte pro-
bans, non solum non restiti, sed etiam in electione
ordinationis tuæ socius fui. Festina itaque sanare,
sicut divina lege præcipitur, animarum delicta no-
strarum. Hæc igitur imperator Mediolani et dixit, et
fecit. Cognoscens autem quosdam in Asia et Phry-
gia de divinis dubitare dogmatibus, in Illyrico qui-
dem præcepit synodum celebrari, et quæ de illis de-
creta atque firmata sunt dubitantibus destinavit.
Porro qui illic convenerant decreverunt fidem expo-
sitam in Nicæna urbe servandam. Scripsit autem et
ipse, socium adhibens in suis litteris fratrem, qua-
teus in his quæ placuerant duraretur. Nunc ergo
etiam legem ipsam ponere necessarium est quæ
aperte et ejus pietatem prædicat, et Valentis tunc
sinceritatem sine dubitatione demonstrat. THEODORÆ-
TUS, *lib. iv, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 7. p.*
157.

CAPUT IX.

Edictum Valentiniani et Valentis de consubstantiali
Trinitate.

Imp. maximi, pii, victores, Augusti, Valentinia-
nus, Valens et Gratianus, episcopis diocesanos Asiæ,
Phrygiæ, Carophrygiæ, et Pacatianæ, in Domino
salutem.

Tanto concilio in Illyrico celebrato, et subtiliter
habita quæstione de salutari Verbo, ostenderunt ter
beati pontifices Trinitatem consubstantialem Patris,
et Filii, et Spiritus sancti. Quam nequaquam decli-
nantes, juxta ministeria religionis magni Regis exer-
cent. Hanc ergo prædicari decrevit nostra quoque
potentia: ita tamen ut non dicant aliqui: Sequimur
religionem imperatoris, hanc patriam gubernantis,
et non illi potius obedientes qui nobis salutis man-
data contradidit. Evangelium namque Christi nostri
sic habet: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ
sunt Dei Deo (Matth. xxii, 21).* Quid ergo dicitis vos
episcopi et presules salutaris Verbi? Si ita se habet
vestra probatio, diligentes alterutros, imperiali abuti
dignitate quiescite; et nolite persequi eos qui Deo
perfecte ministrant: quorum orationibus et terrena
bella sedantur, et recedentium a Deo angelorum re-
pelluntur incursus, quique omnes dæmones corru-
ptores precum assiduitate confundunt, tributa secun-
dum leges inferre non respuunt, potestatique regia
non resistunt; sed sincera voluntate et superni Dei
mandata custodiunt, et nostris legibus subjungantur.
Vos autem inobedientes esse monstramini. Et nos
quidem subjicimus ei qui primus est et novissimus;
vos autem vobismet arrogatis. Nos itaque puros nos-
ipsos a vobis esse desideramus. Et sicut Pilatus in
examinatione nostri Christi, dum nollet eum peri-
mere, conversusque ad Orientem, et petens aquam,
diluit manus suas dicens: *Innocens ego sum a san-*

guine hujus justi (Matth. xxvii, 24) : sic etiam nostra A
majestas semper mandavit persecutionem non fieri,
neque fluctuationes inferri, nec invidere laboranti-
bus in agro dominico, neque dispensatores magni
Regis expellere; ut non ad præsens et sub imperio
nostro crescere videamini, et postea testamentum
306 Domini subdere passioni, sicut in sanguine
Zachariæ. Sed illi post adventum superni Regis, Do-
mini nostri Jesu Christi disrupti sunt, contriti
morti cum adjutore suo dæmone corruptore. Ille
præcepimus in Megetio, et Ciceronio, et Damasco,
et Lampone, et Brintisio, qui auditores fuerunt. Sed
etiam ipsa vobis gesta direximus, quatenus cognos-
catis ea quæ in eximio sunt concilio celebrata. His
ergo litteris subdidit etiam dogmata concilii, hæc
summam habentia : Prostemur, sequentes magnum B
orthodoxumque concilium, consubstantiali Patri
esse Filium; et non sic intelligimus consubstantia-
lem, sicuti dudum quidam exposuerunt, non vere
subscribentes, et nunc alii illos vocantes Patres,
virtutem sermonis respuunt, et sequuntur eos, qui
per consubstantialitatem similitudinem significatam
esse scripserunt; eo quod nulli reliquarum creatu-
rum per eum factarum similis sit Filius, nisi tan-
tummodo Patri. Sed qui hæc exponunt, creaturam
præcipuam Dei Filium impie dogmatizant. Nos ita-
que sapinus, sicut etiam concilia nuper Romæ et in
Gallis celebrata, unam esse eandemque substantiam
Patris, et Filii, et Spiritus sancti in tribus personis,
quod est in tribus perfectis subsistentiis. Constemur
autem secundum Nicænam expositionem, et incar-
natum Filium Dei consubstantiali ex Virgine sancta
Maria, et in hominibus inhabitasse, et complese
dispensationem pro nobis omnem in nativitate, et
passione, et resurrectione, et in cælos ascensione;
et iterum venturum, ut reddat nobis similitudinem
divinam; a semetipso Deum existentem carnigerum,
et hominem Deiferum. His ergo quæ prædicta sunt,
contraria sapientes anathematizamus, et eos simul
qui non vere anathematizant eum qui dixit, Ante-
quam nasceretur, non fuit Filius; sed scripsit, quia
et antequam operi nasceretur, virtute erat in Patre.
Hoc enim et in omnibus creaturis est, quæ non
semper existunt sicuti Deus. Filius enim semper
cum Patre est, sempiterna nativitate progenitus.

Hæc igitur imperator summam significavit : ego D
vero etiam ipsas concilii litteras ponendas existimo.
THEODORUS, *lib. iv, cap. 7. Edit. Christ. Vales. cap. 8, p. 158.*

CAPUT X.

Epistola Illyricianorum episcoporum ad Orientales episcopos profitentium consubstantiali Trinitati.

Episcopi Illyrici episcopis Ecclesiarum Dei, diocæ-
cescos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, et Pacati-
ana, in Domino salutem.

Convenientibus nobis in unum, et habita maxima
quæstione de salutari Verbo, probavimus consub-
stantiali esse Trinitatem Patris, et Filii, et Spi-

ritus sancti. Quamobrem justum fuit vobis litteras
destinare, non quibusdam argumentationibus reli-
gionem Trinitatis scribentes, sed in humilitate ro-
gantes. Has nostras litteras destinavimus per dilec-
tissimum fratrem et consacerdotem nostrum Elpi-
dium presbyterum. In presentibus itaque nostris lit-
teris, quasi illud refertur, quod in Salvatoris nostri
Jesu Christi libris ascriptum est, *Ego quidem sum
Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ. Nunquid
Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli
baptizati estis (I Cor. i, 12, 13)?* Et hæc quidem suffi-
ciebant humilitati nostræ, etiam si non vobis uni-
versales litteras mitteremus, propter tantum timorem,
quem ibi prædicatis cunctæ vestræ provinciæ, a Pa-
tre et Filio Spiritum sanctum dividentes. Quamobrem
necessarium habuimus ad vos destinare dominum
nostrum et comministrum Elpidium presbyterum, a
regio principatu Romanorum has litteras deferen-
tem; ut si forte talis est prædicatio vestra cogno-
sca, quoniam qui consubstantiali Trinitatem non
prædicant, anathema sint. Et si quis his non com-
municans invenitur, anathema sit. His autem qui
consubstantiali prædicant Trinitatem, præparata
sunt regna cælorum. Rogamus ergo vos, fratres, ut
non aliud doceatis, non aliud innovetis; sed consub-
stantiali semper et ubique prædicantes Trinitatem
possidebitis regnum Dei. Ob hoc scribentes, et com-
memorantes, has litteras destinavimus. De episco-
pis autem constituendis vel comministris jam consti-
tutis, si permanserint usque ad finem sani, bene;
C
alioquin ex ipso presbyterio repellantur. Similiter
presbyteros atque diaconos in sacerdotali ordine de-
stinavimus, ut sint irreprehensibiles undique, et a
curia, et ab officio militari. Propterea ergo hoc no-
luimus plurimis verbis scribere, eo quod direxerim-
us unum ex omnibus dominum nostrum et commi-
nistrum Elpidium, studiosè prædicationem vestram
cogniturum, si ita se habeat, sicut audivimus a do-
mino nostro et consacerdote Eustathio. De cætero
licet aliquando in errore fueritis, deponentes vete-
rem hominem, induimini novum (*Coloss. iii, 9, 10*).
Nam et ipse frater et comminister Elpidius docebit
vos veram prædicare fidem : quia sancta Trinitas
consubstantialis Deo et Patri, et Filio cum Spiritu
sancto sanctificata, glorificata, manifestata est : Pa-
ter in Filio, Filius in Patre, cum sancto Spiritu in
sæcula. Hoc itaque declarato, aperte poterimus san-
ctam Trinitatem confiteri consubstantiali esse
secundum fidem olim in Nicæa expositam, quam
Patres confirmaverunt. Qua fide prædicata, poterim-
us erroneum dæmonem declinare. Quo extincto,
pacifice nosmetipsos litteris degentes in pace saluta-
bimus. Scripsimus itaque vobis, ut noveritis Arianos
esse condemnatos, nolentes confiteri ex Patris sub-
stantia Filium et Spiritum sanctum, quorum nomina
sunt subjecta, Polychronius, Telemachus, Faustus,
Asclepiades, Amantius, et Cleopater. Hæc ergo ita
se habent, in gloria Patris, et Filii, et Spiritus san-
cti, in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos opta-
mus Patri et Filio Salvatore Christo, cum sancto

Spiritu multis annorum curriculum. THEODORETUS, *A* *lib. iv, cap. 8. Edit. Christ. Vales. cap. 9, p. 160.*

CAPUT XI.

De hæresi Audæanorum.

Famosissimus igitur imperator tanquam apocriphicis dogmatibus sollicitudinem perhibebat. Interea Syrus quidam et genere et lingua pariter, Audæus nomine, illo tempore fuit **307** dogmata nova reperiens : qui dudum quidem malignos habere conceptus incipiens, tunc manifestus apparuit. Prius namque fatue intelligens quod scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen. 1, 26*), humanam formam putavit habere Divinitatem, et corporis paribus esse distinctam, divinæ Scripturæ nequaquam sensum respiciens, quæ sæpe Divini s operationibus humanorum membrorum nomina circumponit, quoniam qui facile subtiliora intelligere nequeunt, per hæc Dei providentiam magis agnoscunt. Adject autem huic impietati et alia his vicina. Ex vesania namque Manetis aspersus, neque ignis, neque tenebrarum Deum asseruit Creatorem. Sed hæc quidem et quæcunque his similia celant Manetis vesaniæ participes, ut iste prædica-
bat, ab Ecclesia segregati sunt : quia quidam maledictam asserunt pactum ; quidam vero cum mulieribus non lege [*ed. V., non longe*] cohabitantes, contra legem vivunt. Et propterea dicunt remotius esse vivendum, celantes dogmatum blasphemiam. Est tamen eis habitatio arrogantia plena, et pharisaicæ propago doctrinæ. Nam illi animarum et corporum medicum accusabant in templo, dicentes apostolis : *Ut quid cum publ canis et peccatoribus manducat magister vester* (*Luc. v, 30*)? Et per prophetam de talibus dicit Deus : *Qui dicunt, mundus sum, noli me tangere, is i sumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die* (*Isai. lxxv, 5*). Sed horum stultitiam redarguere præsentis temporis non est ; quapropter ad narrationem reliquam procedamus. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 6. Edit. Christ. Vales. cap. 10, p. 162.*

Eni tempestate Messalianorum, quos *Εὐχάρτας*, id est Orautes, appellant, hæresis est exorta. Vocantur autem et alia appellatione *Εὐθουσιασταί*, id est sacrificatores. Ibi enim cujusdam demonis operationem expectant, et hanc sancti Spiritus præsentiam arbitrantur. Qui vero integro hujus rei languore participant, a versantur operationem manuum, quasi malignam ; somnolente semetipsum indulgent ; et iniquitatum phantasias, prophetias appellant Hujus hæresens principis fuerunt Dadasius, et Sebas, et Adelphius, Hermas, et Symeones, et alii, qui ab ecclesiastica quidem nequaquam communione rece serunt : dicentes divinum cibum nihil nec prodesse nec lædere, de quo Dominus dixit Christus : *Qui comedit meam carnem et bibit sanguinem meum vivet in æternum* (*Joan. vi, 55*). Cumque voluerint celare hunc languorem, etiam convicti impudenter negant, et alios hæc sapientes, quæ ipsi animo retinent, prorsus abdicant. Litoius itaque præsul Melitiniensis Ecclesiæ, divino zelo decenter ornatus, videns eo quod hic

languor multa monasteria, magis autem Itrorum, ut ita dixerim, speluncas invaderet, eas incendit, et lupos ab ovibus segregavit. Similiter etiam Amphilocheius, famosissimus ille Lycaonensis antistes, dum hæc pestis illic cresceret, eam valde compressit, et oves quæ tali contagione vexabantur eripuit. Postro Flavianus ubique laudabilis præsul Antiochenus, audiens hos in Edessa degere, et venenum proprium urbibus vicinis aspergere, turbam dirigens monachorum deduxit ad Antiochiam, et negantes eam pestem, hoc modo redarguit : accusatores itaque dixit calumniosos esse, testes vero mendaces, Adelphium autem valde senem cum mansuetudine vocans, et juxta se sedere præcipiens, ait : Nos, o senior, qui jam magnam partem vitæ transivimus, humanamque didicimus valde naturam, et adversariorum dæmoniorum machinamenta agnovimus, ipso experimento gratiæ ministraciones edocti sumus ; isti vero cum sint juvenes, nihil horum perfectius agnoscentes, spiritalia audire verba non poterant. Quapropter dicite mihi quomodo credis spiritum contrarium recedere, et gratiam sancti Spiritus advenire? His verbis senex ille mulcatus, omne venenum quod celabat evomuit, atque dixit : Nullam quidem utilitatem ex sancto baptismate baptizatis accedere, sed solam studiosam orationem inhabitantem dæmonem effugare. Dicebat insuper unumquemque nascentium a progenitore suo sicuti naturam, sic etiam dæmonum trahere famulatum. Et his expulsis per illam orationem studiosam sanctum Spiritum advenire et sensibilibus ac visibiliter suam designare præsentiam, atque corpus passionibus motus cujuslibet eripere, et animam a mala voluntate penitus liberare ; ita ut nequaquam de cætero egeat, neque jejunio macerante corpus, neque doctrina refrenante, et progredi disciplina libenter edocente. Non solum autem qui hoc impetraverit, corporis, inquit, exultationibus liberatur ; sed aperte etiam futura prævidet, et sanctam Trinitatem oculis cernit. Hunc itaque Flavianus fetidissimum effodiens fontem, et ejus pocula cunctis examinanda producens, infelicissimo ait seni : Velustissime malorum dierum, increpavit te os tuum, et non ego ; labia enim tua testantur adversum te. Cumque hic languor cunctis innotuisset, de Syria quidem expulsi, et ad Pamphyliam sunt progressi, eamque hujusmodi peste compleverunt. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 10. Edit. Christ. Vales. cap. 11, p. 165.*

CAPUT XII.

De Lampaseno concilio.

Igitur Valentinianus cum ita saperet sicut Nicæni Patres, similia profitentibus proderat ; aliter vero sapientibus non erat importunus. Qui cum initio regni de urbe Constantinopolitana per Thracias properaret ad Romam, tunc episcopi Hellesponti, Bithyniæ, et quicumque consubstantialem Patrem ac Filium prædicabant, legatum miserunt Hypatianum, Heracleæ Perinthi præsulém, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Is cum adisset imperatorem, et episcoporum legationem intimasset,

respondens Valentinianus, ait : Mihi quidem cum A
 minimus de populo sim, fas non est talia perscru-
 tari. Verum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud
 semetipsos congregentur ubi voluerint. Cum hæc ita-
 que respondisset princeps, in Lampsacum conven-
 erunt episcopi. Cumque duos tractassent menses, no-
 vissime decreverunt ut ea quæ Constantinopoli gesta
 fuerant, studio Eudoxii et Acacii, vacuarentur. Sim-
 iliter autem ut vacaret etiam expositio fidei, quam
 velut Occidentalium episcoporum proferentes, quos-
 dam subscribere in ea, sub ea promissione fecerunt :
 quia quod fuerat constitutum de dissimilis substan-
 tiæ nominis, penitus abdicarent; quod etiam sunt
 mentiti. Similem vero esse Patri Filium per substan-
 tiam asserabant : dicentes necessariam **308** similis
 adjectionem propter significationem substantiarum B
 [Hæc., substantiarum]. Fidem vero illam esse præ-
 cipiendam per omnes Ecclesias, quæ Seleuciæ fuerat
 promulgata et exposita in dedicatione Antiochenæ
 probatur ecclesiæ. Depositos autem ab eis qui dissi-
 millem Patri Filium asserabant, sedes proprias reci-
 pere decreverunt. Si quis autem eos accusare vellet,
 æquo hoc periculo facere sanciverunt : iudices esse
 decernentes episcopos recte sapientes, et de vicinis
 provinciis in ecclesiis convenientes, ubi testes es-
 sent singulorum qui dicerentur oppressi. Hæc decer-
 nentes, cum evocassent Eudoxium et qui cum eo fue-
 rant, locum eis penitentiae tribuerunt. Quibus obe-
 dire nolentibus, quæ fuerant placita cunctis Ecclesiis
 intimarunt. Cumque crederent studere Eudoxium ut
 universa regalia super partis faceret, et istis sine dubio C
 derogaret, necessarium putaverunt ut præcurrerent,
 et quæ fuissent Lampsaco gesta nuntiarent. Remean-
 tem itaque Valentem imperatorem de Thracia, in
 Heraclea adierunt. Fuerat enim cum fratre suo di-
 gressus usque ad quemdam locum. Tunc enim Eu-
 doxius jam apud principem atque proceres præcipuus
 habebatur. Adeuntibus ergo legatis a Lampsaco mis-
 sis, iussit imperator ne semetipsos ab Eudoxio se-
 pararent. Qui dum resisterent, et de gestis Constanti-
 nopolitanis apud Seleucem concilium habitis ad-
 versus Eudoxium quererentur, commotus ad iram
 princeps, illos quidem deputavit exsilio, ecclesiis
 autem tradi iussit Eudoxio. SOZOMEN., lib. VI, cap. 7,
 p. 616.

CAPUT XIII

Quemadmodum Valens factus fuerit Arianus.

Tempore quo Valens suscepit imperium, apostoli-
 cis dogmatibus ornabatur. Cum vero Gothi transi-
 sent Histrium, et Thraciam peragrarent, collecta mi-
 litia pugnare cogitabat adversus eos. Cui placuit ut
 non nudus sacra gratia dimicaret, sed sancti bap-
 tismatis munitus armis; et hoc quidem bene placuit, et
 valde sapienter. Quod vero postea gessit, magnam
 animi mollietatem et proditorem significat veritatis.
 Ea namque infelix passus est quæ prognitor Adam.
 Coniugis enim est seductus alloquio, et muliebribus
 velus illaqueatus. Illa namque primitus Ariane fal-
 laciæ captivibus irretita, etiam istum secum cor-

ruere in blasphemiam fovam persuasit : cujus seduc-
 tionis auctor fuit Eudoxius. Is enim adhuc Consta-
 ntinopolitanæ gubernacula tenebat Ecclesiæ, non re-
 gens, sed suam potius mergens navem. Tunc ergo in
 ipso baptismatis tempore, iurejurando miserissimam
 obligavit, ut et in impietate dogmatis permaneret, et
 undique contraria sapientes expelleret. Sic igitur ille
 doctrinam apostolicam derelinquens, contrarias par-
 tes sumpsit, et post paululum quæ juraverat adim-
 plevit. THEODORÆTUS, lib. IV, cap. 11. Edit. Christ.
 Vales. cap. 12, p. 165.

CAPUT XIV.

Qua crudelitate Valens sit usus adversus orthodoxos

Interea venit in Euræam; metuebat enim ne forte
 Persæ pacta sub Joviano triginta annorum facta sol-
 verent. Qui cum nihil moverent, degebat in Antio-
 chia. Quo tempore Meletium quidem episcopum de-
 stinavit exsilio, Paulino vero reveritus, illius vitæ
 pepercit. Eos autem qui Eudoxio communicare no-
 lebant, Ecclesiis expulsi, pecuniis condemnati, ver-
 beribus et aliis rebus afflixit.

Dicitur enim quia etiam multos in Oronte flumine
 suffocasset. SOZOMEN., lib. VI, cap. 7, p. 647.

De Samosata autem sanctum Eusebium expulsi,
 Pelagium, mirabilem pastorem Laodicensium, urbe
 privavit : qui cum in juventute duxisset uxorem, in
 ipso thalamo prima die nuptiarum sponsæ persuasit
 ut puritatem communi voluptati præponeret, atque
 ut charitatem fraternam adipisceretur, pro copulis
 nuptialibus erudivit. SOCRATES, lib. IV, cap. 2,
 p. 212.—THEODORETUS, lib. IV, cap. 12. Edit. Christ.
 Vales. cap. 13, p. 165.

CAPUT XV.

De tyrannide et perditione Procopii.

Cum hæc autem in Syria fierent, surrexit Con-
 stantinopoli tyrannus nomine Procopius : qui parvo
 tempore militiam sibi coarctans, festinabat
 adversus imperatorem. Quod dum nuntiatum fuisset,
 conturbatus Valens paululum suum impetum remo-
 ratur. Cumque belli eventus interea parturiret, ter-
 ræmotus factus multas diruit civitates. Sed etiam
 mare terminos proprios immutavit, et in quibusdam
 locis tanto potius influxit, ut loca quæ pridem am-
 bulari poterant rigarentur; ab aliis vero locis tan-
 tum recessit, ut arida tellus inveniretur. Hoc ergo
 factum est primo duorum principum consulatu (An.
 Dom. 365). SOCRATES, lib. IV, cap. 3, p. 212.

Sequenti autem anno, Gratiani et Dagalaiphi con-
 sulatu (An. Dom. 366), bella parabantur. Cumque
 tyrannus Procopius de Constantinopoli digressus,
 castra moveret adversus imperatorem, audiens Va-
 lens, venit ab Antiochia, et cum eo congressus est
 circa civitatem Phrygiæ Nacoliæ. Et prima quidem
 pugna devictus est. Post paululum vero Procopium
 cepit, tradentibus eum Agelone Gomarioque militi-
 bus, quos etiam postea inopinatis quibusdam suppli-
 cis iussit expendi. Despicens enim iusjurandum
 quod eis præbuerat, serris divisos crudeliter intere-

mit. Tyrannum vero duabus vicinis arboribus flexis, A singulos in eis pedes ejus ligari fecit, quæ dimissæ arcem repetentes, Procopium dividerunt. Et hoc modo tyrannus interiit. SOCRATES, *lib. IV, cap. 5, pag. 213.*

309 CAPUT XVI.

De exsilio sancti Eusebii Samosatani pontificis, et quia cives ejus, amore fidei alii episcopo se subdere noluerunt.

Eusebius interea Samosatenus episcopus in Thraciam exsilio deportatus, apostolicis laboribus desudabat. Is enim multas Ecclesias desolatas pastoribus esse conspicens, habitu militari sumpto, et calamato caput operiens, Syriam peragrabat, et Phœnicen, pariter et Palæstinam, presbyteros ordinans atque diaconos, aliaque Ecclesiæ replebat officia. Sicubi autem inveniret sibi concordēs episcopos, eos præsules egentibus constituēbat Ecclesiis. Quam vero fortitudinem sapientiamque monstravit imperialem suscipiens jussioem qua eum præcipiebat in Thraciis habitare, necessarium arbitror præscientes agnoscere. Venerat enim gerulus hujus præceptionis circa vesperam; quem Eusebius silentium habere, et adventum sui celare jussit, dicens: Si cognoverit hæc turba, sacri zeli amore flammata, te quidem interimet; ego autem pro tua morte apud Deum pœnas cogar exsolvere. Cum hæc dixisset, vespertino consuecti ministerio celebrato, circa ipsa somni primordia uni famulorum secretum pandens, solus egressus est senex: sequebatur itaque famulus, plumacium tantummodo et codicem gerens. Cumque venisset ad Euphratis fluminis ripam, juxta ipsos muros civitatis expositam, ascendit in navem, ut ad Zeugma navigaret; jussitque nautis ut remigarent, factoque die ille quidem pervenit ad Zeugmatis locum. Samosatæ vero gemitibus et lamentatione completi sunt. Nam cum ille servus suis proximis quæ jussa fuerant indicasset, et qui cum eo pergerent, et quos codices detulisset, ingemiscabant universi, pastore scilicet privati; fluiviusque navigantibus atque sequentibus est impletus. Cumque venissent, et desideratum pastorem cernerent, amplius ejulabant: ac suspirantes, fundentesque lacrymarum fontes, eum retinere nitentur, ne in lupos oves ejus incurrerent. Quem dum necere non valuissent, audierunt eo legente apostolicam legem (*Rom. xiii, 1*), quæ aperte jubet nos principibus et potestatibus esse subiectos. Quo facto, alii quidem ei obtulerunt aurum, alii argentum, alii vestes, alii famulos, tanquam ad peregrinam et extraneam properantem terram. At ille pauca quædam a valde notis accipiens, doctrinisque cunctos et orationibus suis armans, et pro apostolicis dogmatibus pugnare præcipiens, ad Ilistrum profectus est. Illi vero ad urbem propriam remeantes, et alterutros exhortantes, luporum circumspiciebant sapienter insidias. Nunc quoque narrandus est horum fidei calor et puritas. Vnto enim me delinquere, nisi per hanc relationem illi semper memorabiles habeantur. Cum ergo Arianorum participes egregio pastore nudassent gregem,

aliumque pro eo Eunomium nomine fecissent episcopum, nullus illic habitantium, non pauper, non dives, non famulus, non opifex, non agricola, non hortulanus, non vir, non mulier, non juvenis, non senex, ad ecclesiasticum accessit consuecti collegium, solusque debebat episcopus, tunc nullo eum neque vidente, neque penitus appellante, licet feratur eum multa vixisse mansuetudine: cujus rei hoc probatur indicium. Cum enim voluisset lavari, et ejus famuli balnei januas obserassent, volentesque ingredi prohiberent; ipse populum ante januas ingens, eas aperiri præcepit, et libenter secum omnes lavacro participari. Hoc idem et am in balnei solio fecit. Nam cum lavanti sibi quosdam videret astare, jussit ut cum ipso communiter aqua calida fruerentur qui tacentes astabant. At ille honoris causa hoc fieri putans, velociter ascendens, egressus est. Illi vero nequissimæ hæresis immunditia, etiam aquam judicantes esse pollutam, eam repente cuniculorum egestionibus tradiderunt, et alterum fecerunt solium temperari. Quod ille cognoscens, relicta civitate discessit, inimicam habitare civitatem, et horrorem habentem adversum se communem, arbitratur opprobrium. Quo de Samosatis abeunte, Lucium pro eo aperte lupum et ovibus inimicum constituerunt. Sed oves, licet desolata pastore, tamen quæ sunt pastoris operabantur. Permanserunt enim doctrinam apostolicam inviolabiliter conservantes. Quomodo enim etiam Lucium omnes habuerint odio, aliis narrationibus explanabo. Adolescentes in platea sphaeram alterutris porrigentes, lusu delectabantur. Isto autem transeunte, contigit ut sphaera cadens, per asini ejus transiret pedes: tum pueri vehementer ejulaverunt, arbitrati sphaeram pollutione completam. At ille hoc intelligens, jussit alicui sequentium ut sustineret, et quod gerebatur agnosceret. Pueri vero accendentes ignem, et sphaeram jaculantes per mediam flammam, hoc modo eam arbitrati sunt expiatam. Et hoc quidem novi esse juvenile et consuetudinis antiquæ reliquias. Verumtamen indicium est quod possit ostendere quale odium circa Arianam vesaniam civitas habuerit universa. Verum Lucius mansuetudine non est imitatus Eunomium; sed multos quidem sacerdotum fecit per judices exsilio deportari, eos præcipue qui viriliter pro sacris dogmatibus dimicabant, usque ad novissimos Romani fines imperii; Evolcium diaconi ministerio functum in eremum Oasim; Antiochum vero Eusebii maximi generatione decoratum (erat enim consobrinus ejus) et multis virtutibus coruscantem, nec non sacerdotii dignitate fulgentem, in Armeniæ terminos destinari suasit; cujus opera pro divinis dogmatibus celebrata quis explanare sufficiat? Cum itaque vir sanctus Eusebius post multa certamina virtutesque multas, innumerasque vi torias etiam coronam martyrii suscepisset, convenit solemniter modo provinciæ synodus pariter et Jovianus Pergensæ [*ms., Perrenæ*] tunc civitatis episcopus, qui paucis tempore Arianorum fuerat communione maculatus. Cumque universi Antiochum elegissent, avunculo proprio successorem, et ad sa-

crum perduxissent altare, et genua ad ordinationem inclinare compellerent, conversus et videns Jovianum suo capiti dexteram imponentem, manum ejus repulit: dicens non esse ferendam dexteram que aliquando sacramenta blasphemis celebrata successerat. Sed hæc quidem non post multum temporis evenerunt. Tunc enim in anteriorem est, ut dixi, ductus Armeniam. Qua tempestate vir sanctus Eusebius morabatur apud Ilistrum, Celtis Thraciam devastantibus et obsidentibus civitates, sicut ejus scripta commemorant. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 12, 13 et 14. Edit. Christ. Vales. cap. 13 et 14, pag. 166.*

310 CAPUT XVII.

De exsilio Barsæ episcopi.

Barsen quoque (cujus etiam nunc maxima gloria est, non solum in Edessa, quam regebat, vicinasque provincias; sed etiam in Phœnice, et Ægypto, nec non Thebaida, quas gentes cum maximo virtutis suæ splendore transierat) primum quidem Valens insulam Aradum habitare præcepit. Cumque cognovisset innumeros ad eum concurrere populos (quia cum plenus esset gratia, verbo ægritudines sanabat), in Oxyrynchum, Ægyptiacam civitatem, eum exsilio destinavit. Cumque etiam illic ejus gloria omnes accenderet, in quoddam castrum novissimum barbaris vicinum, cui nomen est Pheno, senex dignus cœlesti urbe deductus est. Aiunt quidam in Arado hactenus ejus constare lectum, eximia celebritate dignum; multi enim infirmantium, cum in illo collocantur, salutem fide percipiunt. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 15, p. 167.*

CAPUT XVIII.

Item de crudelitate Valentis quam gessit adversus orthodoxos, extincto Procopio.

Igitur imperator, extincto Procopio, felicitate proventus, denuo contra Christianos prælia commovebat, omnem religionem in Ariano dogmate cupiens concordare. Præcipue tamen eum ad furorem provocabat synodus in Lampsaco celebrata; non solum quia Arianorum abdicarat episcopos, sed quoniam promulgationem fidei Ariminensis anathematizaverat. Veniens igitur Nicomediam Bithyniæ, convocavit Eleusium Cyzici; is enim sectam Macedonii potius sequebatur, sicut jam dixi. Et faciens concilium Arianorum episcoporum, cogebat Eleusium ut in illorum dogmate consentiret: Qui primum quidem negavit; postea vero cum ei minaretur exsiliū, formidatus in Arianum dogma consensit. Quo perpetrato, mox poenitentia tactus, veniens Cyzicum, eam omni populo de violentia querebatur: dicens consensum violentia, non voluntate factum; et ut quærent sibi alium episcopum hortabatur, quoniam ipse per necessitatem dogma proprium denegasset. Porro Cyziceni propter amicitias ejus alii episcopo subditi voluerunt, manseruntque sub eo, non tamen a propria hæresi permutati sunt. Hoc audiens Constantinopolitanus episcopus, Eunomium in Cyzico ordinavit episcopum, tanquam qui posset populum calidi-

tate verborum ad suum circumvenire consensum. Descendente siquidem Eunomio, sacris præceptionibus (*id est, litteris principis*) expelli jubetur Eleusius, et in sede Eunomius collocari. Quo facto, amatores Eleusii extra urbem oratorium fabricantes, collectas ibi faciiebant. Hæc ergo de Eleusio dicta sufficiant. Nunc de Eunomio referendum est. SOZOMEN., *lib. vi, cap. 8, p. 648.*

CAPUT XIX.

De Eunomio hæresiarcho.

Eunomius notarius fuit Aetii, qui Sine Deo vocabatur, cujus memoriam fecimus. Cum quo dum esset, modum ejus sophisticum imitatus est; et sermonibus quibusdam vacans, faciensque sibi sophisticata, non sentiebat. Ex his inflatus, quia in blasphemias incideret; quippe dogma zelatus Arii, et multis modis reugnans dogmatibus veritatis. Paucum quidem edoctus ex litteris sacris, et eas neque intelligere prævalens, circa verba frequenter occupabatur, easque convertens semper, neque valebat intentionis suæ propositum adimplere; sicut septem ejus demonstrant tomi, in quibus vanissime laboravit, quos in Epistolam Apostoli ad Romanos fecit; multa enim illic verba profundens, intentionem epistolæ non potuit invenire. Sunt etiam alii similes ejus libri, quos qui legere voluerit, eorum contemptum experimentis agnoscat. Hunc igitur Eunomium Eudoxius in Cyzico fecit episcopum, expellere nisus Eleusium. Cumque illuc venisset, utens more solito dialecticæ, quasi peregrinum aliquid auditoribus inferebat. Quamobrem Cyzici tumultus exortus est, cumque urbe repulerunt, non ferentes ejus verborum fastum. Qui Constantinopolim veniens cum Eudoxio morabatur, episcopatu vacans. Sed ne detrudere videamur, audi vocem ipsius Eunomii, qua præsumit contra Deum sophisticatibus loqui. Sic enim ait: Deus de substantia sua nihil novit amplius quam nos, neque est illi potius, nobis autem agnita minus; sed quodcumque de illa novimus nos, hoc modis omnibus etiam ille novit. Quod autem rursus ille, hoc invenies immutabiliter in nobis. Hæc quidem aliaque similia Eunomius sophisticata, id est circumventiones faciens, non sentiebat occumbere. Quomodo autem ab Ariano paulo post segregatus est, proprio loco narrabimus. SOCRATES, *lib. iv, cap. 7, p. 215.*

CAPUT XX.

De sævia Valentis contra Constantinopolitanos orthodoxos.

Verabantur enim etiam Constantinopolim habitantes, qui Nicænum dogma profitebantur, quos omnes imperator expelli civitate præcepit, Novatianorum vero etiam ecclesias claudi; aliorum vero hæreticorum quod clauderet non invenit, dudum enim sub Constantio [*ms. Lyr., Constantino*] principe probabantur ablatae. Sed etiam Agelium, Novatianorum episcopum Ecclesiæ Constantinopoli constitutæ, exsilio deportatione damnavit: dicebatur enim mirabiliter conversari secundum ecclesiasticas sanctiones; cujus vita erat philosophica, et a pecuniarum pos-

essione segregata; quod etiam conversationis ejus qualitas ostendebat. Una enim tunica utebatur, semper ambulabat excalceatus. Qui non longo post tempore revocatus est, ecclesiasque recepit. Cujus rei fuit auctor quidam Martianus, vita, scientiaque 311 mirabilis, dudum quidem in regalibus militans, tunc autem presbyter Novatianus, artem grammaticam imperatoris filias edocebat Anastasiam atque Carosam. Ex quarum nominibus hactenus Anastasiana et Carosiana lavacra publica Constantinopoli nuncupantur. SOZOMEN., *lib. vi, cap. 9, p. 649.*

CAPUT XXI.

De destructione murorum Chalcedonensium.

Igitur imperator Valens Chalcedonensis urbis, contra Byzantium positæ, muros destrui jussit. Jura-verat enim hoc se facturum, tyranno victo: quia Chalcedonenses favore tyranni ei turpes contumelias intulerunt, et portas clausere civitatis. Murus ergo jussione destruebatur imperatoris, et saxa ad ædificium thermarum, quæ Constantianæ vocantur, Constantinopolim vehebantur. In'er quæ saxa unum inventum est in quo responsum habebatur inscriptum, olim quidem absconsum, tunc quidem manifestum. Significabat enim, quia dum proveniret aquarum abundantia civitati, tunc murus quidem lavacro serviret; innumeræ vero barbarorum nationes, Romanorum finibus discurrentes, cum crudelia multa committerent, novissime etiam ipsæ perirent. Post aliquantum itaque tempus evenit ut Valens aquæductum ædificaret, et abundantiam Constantinopoli præberet aquarum; tunc etiam barbaræ motæ sunt nationes. Responsum tamen etiam alio modo contigit adimpleri. Cum enim aquæductus in civitatem fuisset inductus, præfectus urbis tunc Clearchus nymphæum maximum ædificavit in platea quæ Theodosii nunc vocatur, ubi aquæ affluentia est emissa: in quo maximam festivitatem civitas habuit. Sed hoc responsum post paululum est impletum. Porro dum solveretur murus, principem Constantinopolitani rogaverunt ut a muri destructione cessaret. Cum quibus etiam supplicabant possessores Bithyniæ, Nicomedienses atque Nicæni. Verum imperator furore plenus, vix quidem supplicantium suscepit preces. Volens tamen jusjurandum implere, murum destruebat, eumque subinde minoribus lapidibus rursus ædificabat. Quod nunc etiam in quibusdam muri partibus invenitur, ubi maximis mirabilibusque lapidibus, vilis nunc fabrica superposita demonstratur. SOCRATES, *lib. iv, cap. 8, p. 216.*

CAPUT XXII.

De nativitate Valentiniani minoris, et de immensitate grandinis, et de ortu principis Gratiani.

Hoc itaque tempore talia gerebantur. Sciendum tamen quia bellum contra Procopium tyrannum gestum est consulatu Gratiani, et Dagalaiphi (*An. Dom. 366*), circa terminum Maii mensis. Post paululum vero tempus eodem consulatu, Valentiniano principi, in Occidentis partibus constituto, natus est filius nomen referens patris. Verum Gratianus ante

A ejus fuerat natus imperium. Et sequenti consulatu Lucicini et Jovini (*An. Dom. 367*) grandinis multitudo in Constantinopolitana urbe secunda Junii mensis die, saxorum gerens similitudinem, vehementer effunditur. Quod multi dicebant propter motum imperatoris accidere, qui plurimos sacerdotum exsilio deportaverat Eudoxio communicare fugientes. Post paululum vero tempus eodem consulatu, Valentinianus princeps filium Gratianum imperatorem constituit, vicesima quarta die mensis Augusti. Sequenti vero consulatu Valentiniani secundo, et Valentis item secundo (*An. Dom. 368*), terræmotus circa Bithyniam maximus Nicæam subvertit urbem, undecima die mensis Octobris. Agebatur enim annus duodecimus post Nicomediæ casum. Post paucum vero tempus alio terræmotu multæ partes Germæ civitatis, in Hellesponto constitutæ, destructæ sunt. His ergo ita provenientibus, nulla reverentia terruit, neque Eudoxium Arianorum episcopum, neque Valentem imperatorem. Non enim a persecutione cessabant. Porro terræmotus barbarum ecclesiasticarum indiciura esse videbatur. Cum ergo multi sacerdotum exsilio portarentur, soli divina providentia propter eminentem sui reverentiam exsiliū non sunt passi Basilius atque Gregorius. Quorum alter quidem Cæsareæ Cappadociæ fuit episcopus; Gregorius autem Nazianzenæ civitatis omnino vilissimæ, quæ est posita vicina Cæsareæ. De Basilio atque Gregorio procedenti sermone narrabimus. SOCRATES, *lib. iv, cap. 9 et 10. Edit. Christ. Valcs. cap. 9, 10, 11, p. 218.*

CAPUT XXIII.

Quomodo Ariani Macedonianos fuerint persecuti, et illi se contulerint ad Liberium.

Cumque igitur eo tempore consubstantialitatis dogma profitentes vehementer affligerentur, rursus persecutores contra Macedonianos insurreverunt (*An. Dom. 367*): qui terrore magis violentiaque costricti, per singulas civitates legationibus fungebantur apud alterutros: judicantes ut per necessitatem confugere deberent ad fratrem imperatoris, et ad Liberium Romanæ urbis episcopum, cujus fidem amplectebantur potius quam communionem Eudoxii. Miserunt ergo Eustathium Sebastiæ, qui sæpe fuerat depositus, Syllanum Tarsi Ciliciæ, atque Theophilum: mandantes ne declinarent fidei causa Liberium, sed Romanæ communicarent Ecclesiæ, et fidem de consubstantialitate roborarent. Hi si quidem cum litteris in Seleucia dispositis, ad Italiam pervenerunt; et imperatorem quidem videre non potuerunt; erat enim occupatus in Galliis, et contra Sauromatas dimicabat. Liberio tamen epistolas obtulerunt, qui eos suscipere nullatenus voluit: dicens eos Arianos esse, nec ab Ecclesia suscipi posse, qui Nicænam non susciperent fidem. At illi responderunt per pœnitentiam se cognovisse veritatem, et dudum abnegasse dissimilitudinis fidem, et similem professos per omnia Filium Patri, nihilque differre a consubstantiali per omnia similem. Hæc dicentes, exegit Liberius scriptam suæ sententiæ dare professionem. At illi libellum porrexerunt in quo etiam proposuerunt verba

fidei Nicæni concilii. Epistolas autem a Smyrna in Asia constituta, et Pisidia Isauriæ, atque Pamphylia, nec non Lycia factas, hic propter multiloquium non conscripsi. **312** Verbu vero libelli ab Eustathio et reliquis Liberio dati hæc esse noscuntur. **SOCRATES**, lib. iv, cap. 11. *Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 219.*

CAPUT XXIV.

L'ellus Macedonianorum Liberio Romano datus episcopo.

Domino fratri et consacerdoti Liberio Eustathius, Theophilus et Sylvanus, in Domino salutem.

Propter hæreticorum vesanas suspiciones, qui non cessant catholicis Ecclesiæ scandala generare, ea gratia omnem occasionem eorum perimentes, profitemur synodum Lampsaco celebratam, et Smyrna, B aliisque diversis locis, orthodoxorum episcoporum. Pro qua synodo legatione fungentes apud tuam paternitatem, et universos Italiæ, cunctosque Occidentis episcopos, litteras deportamus, catholicam fidem tenere, atque servare quæ in sancto Nicæno concilio sub beatæ memoriæ Constantino a trecentis decem et octo episcopis confirmata, perfecto, et immobili statu hæctenus, et in perpetuum permanebit, in qua consubstantialitas sanctæ pieque definita est contra Arii pravitatem. Similiterque nos cum prædictis eandem fidem tenuisse, atque tenere, et usque ad terminum custodire manu propria profitemur: condemnantes Arium impiamque doctrinam ejus cum discipulis suis eique similia sapientibus, nec non omnem hæresim, Sabellianos, Patripassianos, Marcionistas, Photinianos, Marcellianos; simul etiam Paulosamosatenos, eorumque doctrinam, omnesque his similia sapientes, et universas hæreses sanctæ fidei prædictæ contrarias, quæ pie catholiceque est in Nicæa a sanctis Patribus explanata: anathematizantes præcipue explanationem lectam in Ariminesi concilio, tanquam contrariam prædictæ fidei sancti concilii in Nicæa urbe celebrati; cujus lectione probata in urbe Thraciæ Nicæa, dolo atque perjurio capti Constantinopoli subscripserunt. Est autem fides nostra, et eorum pro quibus legatione fungimur, hæc: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium invisibiliumque factorem, et in unum unigenitum Deum, Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, hoc est ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, consubstantiali Patri, per quem omnia facta sunt que in cælo et que in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus, passus et resurrexit tertia die, ascendit in cælos, et venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Fuit quando non fuit, et antequam nasceretur non fuit, et quia ex non existentibus factus est, aut ex altera essentia vel substantia dicentes esse, aut convertibilem aut mutabilem Filium Dei, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

Eustathius episcopus Sebastię civitatis, et Theo-

philus et Sylvanus legati conciliorum Lampsaci, Smyrnæ et reliquorum, hanc professionem manibus nostris et propria voluntate subscripsimus.

Si quis autem præter expositam a nobis fidem, contra nos vel eos a quibus directi sumus, aliquid crimen inferre voluerit, cum litteris ad nos tuæ sanctitatis ad quos probaveris orthodoxos episcopos dirige, et apud eos nobiscum causam dicant. Et si quid criminis fuerit approbatum, in auctore procul dubio vindicetur. Hoc itaque libello legatarios obligans Liberius, eos in communionem suscepit. Quibus dans hujusmodi litteras, abire præcepit. **SOCRATES**, lib. iv, cap. 11. *Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 220.*

CAPUT XXV.

Epistola Liberii Romanæ urbis episcopi, et Siciliensium concilii ad Macedonianos episcopos post penitentiam.

Dilectissimis fratribus et consacerdotibus Eustathio, Cyrillo, Hypericio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Ortasio, Neoni, Eumathio, Faustino, Proclo, Passinico, Arsenio, Severo, Didymioni, Britanio, Callicrati, Demabio, Edessio, Eustochio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Martiano, Sthenelo, Joanni, Maceri, Charisio, Sylvano, Photino, Antonio, Autho, Celso, Euphranori, Milesio, Patricio, Severiano, Eusebio, Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Minodoro, Diocli, Chrysampelo, Eugenio, Eustathio, Callicrati, Arsenio, Eugenio, Martyri, Hieratio, Leontio, Philagrino, Lucio, et universis Orientalibus orthodoxis, Liberius episcopus et occidentales episcopi, in Domino salutem.

Optabile nobis pacis atque concordiæ gaudium vestræ litteræ detulerunt, fidei lumine resplendentes, fratres charissimi, oblatæ nobis per charissimos fratres et coepiscopos Eustathium, Sylvanum, atque Theophilum, et maxime quia vestram sententiam vestrosque sensus concordare et consonare cum mea humilitate, et Italici atque Occidentibus universis affirmaverunt atque demonstraverunt. Et hanc esse cognoscimus catholicam et apostolicam fidem, quæ usque ad Nicænum concilium integra invariabilisque servata est; et hanc ipsi retinere professi sunt, gaudique repleti, et omne vestigium ac nebulas ineptæ suspicionis abjicientes, non solum sermone eam, sed etiam scriptura corrente professi sunt. Cujus exemplar his litteris subdere necessarium judicavimus; ne ullam occasionem hæreticis ad exercendas insidias denuo relinquamus: quibus iterum flammam propriæ malitiæ commoventes, incendia discordiarum consuecte resuscitent. Hæc insuper sunt professi charissimi fratres nostri Eustathius, Sylvanus, atque Theophilus vestram charitatem semper hanc fidem habuisse, et hanc usque ad terminum custodire, id est in Nicæna urbe a trecentis decem et octo episcopis orthodoxis approbatam, quæ perfectam continet veritatem et os totius hæreticæ multitudinis [*Ms. Lyr., pravitas*] obstruit atque dissol-

vit. Non enim spontaneo motu, sed nutu divino tantorum episcoporum numerus aggregatus est contra vesaniam Arii, quanto numero beatus Abraham **313** tanta millia fide destruxit. Quæ fides, dum in substantia et nomine consubstantialitatis continetur, velut quoddam munitissimum et inexpugnabile castrum, omnia jacula et molitiones Ariane incredulitatis decenter evitat. Cum igitur omnes Occidentales episcopi Arimino congregati, quando eos Arianorum collegit vesania, quodam suasionem, aut, ut verius dicam, mundana potentia, hoc, quod cautiùs erat in fide positum, auferre aut oblique denegare conati sunt. Tamen nihil eorum calliditas profuit: nam pene omnes convenientes Arimino tunc terrore permoti atque decepti, nunc resipiscentes atque anathematizantes eos qui ibi convenerunt, aut subscribentes catholicæ fidei quæ in Nicæna urbe sancita est, nobisque communicantes, ferventius contra Arii dogma ejusque discipulos inflammantur. Cujus rei indicium etiam ipsi legati vestræ civitatis agnoscentes, vos ipsos in sua subscriptione junxerant, anathematizantes Arium et quæ ab ejus sequacibus Arimino gesta noscuntur contra fidem in Nicæna urbe sancitam. In quibus etiam vos capti, perjurio subscripsistis. Unde consequens nobis visum est scribere charitati vestræ et adjuvare iusta poscentes; maxime quia per professionem vestrorum legatorum resipiscentes [ms. *Santhæod.*, venientes] Orientales cum orthodoxis Occidentibus concordare cognovimus; et significamus, ut noveritis blasphemos Aimiuses, qui tunc videbantur per subreptionem maculati, nunc anathematizatos, et universos ad Nicænam respirasse fidem. Quod oportet per vos omnibus indicari quatenus possint qui violenter læsi sunt, si quando ab hæreticis tenebris ad divinum lumen catholicæ libertatis accedere. Qui post hanc synodum, nisi voluerint repuere venenum perfidiæ et blasphemias Arii universas abjicere easque anathematizare, cognosceant se cum Ario ejusque discipulis, cæterisque serpentibus, sive Sabellianis, vel Patripassianis, aut cujuscumque alterius hæresis socios esse, et communione privatos ab ecclesiastica synodo, quæ ad se filios adultærii non admittit. Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Has litteras Eustathius cæterique porcipientes, ad Siciliam rursus devenerunt, ibique facientes synodum Siculorum episcoporum, coram ipsis consubstantialitatis fidem professi sunt. Cumque Nicænam fidem roborassent, consonas ab eis quoque percipientes epistolas, ad eos, a quibus fuerant destinati reversi sunt. Qui Liberii præcepta suscipientes, legationes mittebant per civitates apud præsules, et consubstantialitatem fidei prædicabant: invitantes eos ut in Tarsum Ciliciæ pariter convenirent; quatenus Nicænam roborantes fidem, de cætero solverent omnem contentionem. Quæ fieri potuerunt, nisi Eudoxius Arianae religionis iussus, tunc apud imperatorem eminentens valde, prohibuisset. Qui amplius propter indictum iter ad Tarsum accensus, mala in eis potiora commisit. Quia vero Macedoniani per legatos, quos miserant, communicantes Liberio, Nicænam confirmaverunt fidem, ipse Sabinus in collectione synodali est pro-

A fessus. SOCRATES, *lib. iv, cap. 11. Edit. Christ. Vales. cap. 12, p. 222.*

CAPUT XXVI.

Cur Eunomius ab Eudoxio segregatus sit.

Circa hæc itaque tempora Eunomius ab Eudoxio separatus seorsim agebat missas; quoniam quem dum sæpe [ed. V per se] rogasset ut suscipere præceptor ejus Aetius, Eudoxius non audivit. Hoc autem non ideo refutavit, quia sectam destinabat Aetii, cum eam sci licet prædicaret; sed quoniam omnes unanimes illius, eum sectæ alterius fatebantur. Istæ ergo causa fuit ut ab Eudoxio separaretur Eunomius. Itæ igitur Constantinopoli gerebantur. SOCRATES, *lib. iv, cap. 12. Edit. Christ. Vales. cap. 13, p. 225.*

CAPUT XXVII.

De lææbris Athanasii.

Deinde Alexandria præceptum præfectorum, studio Eudoxii destinatum, conturbavit Ecclesiam. Verum Athanasius irrationabilem furorem populi motuens, atque timens ne malorum faciendorum ipse causa esse videretur, quatuor mensibus semetipsum in sepulcro patris abscondit. Cumque propter ejus abentiam, seditionem desiderio ipsius populus excitas et agrosens imperator propter hoc Alexandriam esse turbatam, litteris indicavit, ut Athanasius licenter teneret Ecclesias. Et hæc fuit causa ut usque ad Athanasii mortem Alexandrina non turbaretur Ecclesia. Quia vero post ejus mortem rursus Ariani eas Ecclesias invaserunt, post pauca narrabo. SOCRATES, *lib. iv, cap. 12. Edit. Christ. Vales. cap. 13, p. 225.*

CAPUT XXVIII.

De concilio Tyanensi, ubi litteræ Liberii et Occidentalium sunt receptæ.

Illo siquidem tempore celebrabatur concilium in Tyanis ab Eusebio episcopo Cæsareæ Cappadociæ, Athanasio Ancyrae, Pelagio Laodiciæ, Zenone Tarsi, Paulo Emeseno, Ostresio Melitense, et Gregorio Nazianzeno, alii quoque multis, qui verbis consubstantialitatis servandum esse apud Antiochiam Joviano imperante decreverant. Releguntur ibi Liberii et Occidentalium litteræ sacerdotum. Quamobrem gaudio repleti scripserunt universis Ecclesiis ut legerent decreta episcoporum apud Asiam celebrata, et Liberii litteras, Italorumque, Afrorum, atque Gallicanorum, nec non Siculorum. Detulerant enim horum litteras legati de Lampsaco destinati, ut considerarent omnium numerum sibimet concordantium. Plurima namque multitudo concilium Ariminense vincebat; pariterque scripserunt, ut in Tarsum Ciliciæ convenirent certa die; et illi quidem hoc modo alterutros invitabant. Cumque synodus pararetur in Tarsum, convenientes in Antiochia Cariæ, quasi 34 Asiani pontifices studium quidem concordie ecclesiasticæ collaudabant, consubstantialitatis vero nomen respicientes, fidem in Antiochia et Seleucia prolatam roborare nitebantur, **314** tanquam lucini martyris existentem, et multorum sudoribus a progenitoribus suis approbatam. Verum imperator

studio Eudoxii synodum in Cilicia celebrari prohibuit. **A** imperator impletum est, et in aliam sequentem naviculam nauæ transeuntes concremaverunt navem. Contigit autem ventum subsolanum nimie flare; et ipsa navis velociter est accensa. Cujus reliquæ pervenerunt ad locum qui Acidiza nuncupatur, ubi ad plenum cum viris religiosis absumptæ sunt. Quod tamen aiunt non sine ultione transisse. Fames namque repetite secuta est circa Phrygias gentes; ita ut necessitatem haberent habitatores patriam relinquere, et ad Constantinopolim diversasque provincias properare. **SOCRATES, lib. iv, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 227.**

CAPUT XXIX.

De Eudoxio episcopo Ariano, et de persecutione Valentis propter Evagrium orthodoxum episcopum.

Igitur imperator Valens festinans ad Antiochiam, de Constantinopoli digressus, venit in Nicomediam, et illic hujusmodi causa moratus est. Eudoxius enim Arianae religionis, mox post egressum imperatoris defunctus est consulatu Valentiniani et Valentis tertio (*An. Dom. 370*), cum undecim annis sedem Constantinopolitanæ tenuisset Ecclesie. Quamobrem Ariani in locum ejus ordinaverunt Demophilum. Verum prædicatores consubstantialitatis opportunum judicantes invenisse se tempus, Evagrium quemdam suæ fidei constituerunt episcopum. Quem ordinavit Eustathius, dudum Antiochenus episcopus, qui prius quidem a Joviano fuerat de exilio revocatus; tunc autem aderat in urbe Constantinopoli latenter degens, ut consubstantialitatis prædicatores sua præsentia roboraret. **SOCRATES, lib. iv, c. 13. Edit. Christ. Vales. c. 14, p. 225.**

Hoc factum ex alio rursus initio persecutionem Ariani movebant. hæc gesta dum pervenissent ad principem, metuens ne seditione civitas turbaretur, militarem manum a Nicomedia Constantinopolim destinavit; præcipiens ut teneretur et ordinator et ordinatus, et alter alibi mitteretur in exilium. Eustathius igitur in Bissam Thraciæ civitatem mittitur, Evagrius in locum alium destinatur. His ita gestis, Ariani amplius efferrati, vexabant vehementer orthodoxos, cædentes, contumeliis affligentes, carceribus recludentes, pecuniisque sæpe damnificantes, et omnia contra eos facientes importabiliter. Quæ dum illi ferre non possent, ad supplicandum principi veniebant, si quo modo mererent violentias evitare. Sed hoc cogitantes, valde frustrati sunt, ab injusto se arbitrati justitiam promereri. **SOCRATES, lib. iv, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 226.**

Cumque viri electi ex ecclesiastico collegio octoginta numero, quibus præerant Urbasus, Theodorus, et Menedemus, in Nicomediam pervenissent, preces obtulerunt imperatori, violentiam proclamantes, et ea quæ videbantur esse perpassi. **SOCRATES, lib. iv, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 227.**

CAPUT XXX.

Quod octoginta orthodoxi a Valente in navi cremati sunt.

Indignatus igitur imperator, ad præsens eclavit iram, latenter autem Modesto præfecto præcepit ut eos comprehensus occideret. Modus autem mortis erat quoddammodo pergrivus, quæ propter memoriæ contraditus. Metuens enim præfectus ne seditio nasceretur in populo, si eos aperte perimeret, simulavit se eos viros exilio destinare. Illis autem simpliciter acquiescentibus, jussit eos præfectus mitti in navem quasi exilio devehendos: præcipiens nautis ut cum ad mare medium pervenirent, eos demergerent, et hoc modo morerentur. Quo facto, perductis eis in medium sinum qui vocatur Astacenus, quod jusserat præfectus et

contigit autem ventum subsolanum nimie flare; et ipsa navis velociter est accensa. Cujus reliquæ pervenerunt ad locum qui Acidiza nuncupatur, ubi ad plenum cum viris religiosis absumptæ sunt. Quod tamen aiunt non sine ultione transisse. Fames namque repetite secuta est circa Phrygias gentes; ita ut necessitatem haberent habitatores patriam relinquere, et ad Constantinopolim diversasque provincias properare. **SOCRATES, lib. iv, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 227.**

CAPUT XXXI.

Quid Valens gesserit in Antiochia et Cappadocia.

B Valens itaque, Nicomedia relicta, pergebat ad Antiochiam. Interea dum venisset ad Cappadociam, solite [*ms. Lyr., sollicite*] ejus loci turbabat Ecclesiam, Arianis eas tradere volens. Quod se credebat cito perficere, eo quod pro quibusdam inimicitiiis Basilium Eusebio, qui tunc Cæsariensem regebat Ecclesiam, videbatur offensus; et abscedens in Pontum, cum monachis habitabat ibi philosophantibus. Porro populus, et maxime nobilium ac sapientium, Eusebium in suspicionem habebant, quasi ipse fuisset auctor fugæ viri philosophi vita verboque perfecti. Volebantque eum deserere, et apud semetipsos missarum celebrare solennia. Sed Basilium quidem, ne turba nasceretur in populo per seditiones hæreticorum, agebat in Ponto silentium cum suis episcopis, qui semper adhæserant illi. Contigit etiam ut circa Eusebium odium populi nasceretur. Dumque Basilio fuisset nuntiatum quia Valens veniret in Cappadociam, relicto Ponto, Cæsaream venit, et pactis cum Eusebio celebratis, Ecclesiam pro tempore suis adhortationibus roborabat. Valens autem, dum suam intentionem non valuisset implere, cum episcopis secum ambulantis tunc abscessit. **SOCRATES, lib. vi, cap. 13, p. 616.**

C Igitur imperator Valens parvipendens [*ed. V., pervidens*] famæ invasionem, venit Antiochiam Syriæ. Cumque ibi moraretur, nolentes Arianis consentire vastabat, vehementerque consubstantialitatis prædicatores imminabat. Et quos dum Ecclesiis per omnium civitatum Orientalium expulisset, non ei hoc suffecit, sed etiam eos diversis supplicis subdidit, multosque diversa morte contraditos interemit, plerimos tamen necabat in flumine. **SOCRATES, lib. iv, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 17, p. 228.**

CAPUT XXXII.

Quomodo in Edessa mulier cum fito currans ad martyrium, præfectum et imperatorem stupefactos a crudelitate removerit.

Dicendum quoque est quod in Edessa Mesopotamiæ gestum esse dignoscitur. In hac urbe est Theomæ apostoli basilica, clara nimis pariter et ornata. In qua propter loci reverentiam collectæ sæpius celebrantur. Quam volens imperator inspicere, et agnoscens sibi omnes odiosos **315** ibidem convenire, fertur manu percussisse præfectum, cur exinde orthodoxos non expulerit universos. Cumque præfectus injuriam

passus, invitus indignationi principis ministrare contenderet (non enim volebat tantis hominibus cædes inferere), latenter mandavit ut nullus in illa basilica remaneret. Sed nemo respexit neque consilium neque terrorem ejus. Omnes enim altera die ad locum orationis pariter confluerunt. Cumque præfectus cum multa militum manu ad basilicam festinaret ut imperatoris perficeret jussionem, quædam muliercula cum paupertate digna, suum filium manu trahens cursuque ad illam basilicam properans, præfecti interruptum officium. Indignatus vero præfectus mulierem jussit sibi adduci, dixitque ad eam: O infelix mulier, quo sic indecenter curris? At illa: Ubi et alii, inquit, ire festinant. Tunc ille: Non audisti quia præfectus illic occisurus est universos quoscumque comperit? Et mulier: Audivi, inquit, ideoque festino, ut illic inveniar inter eos. Et ubi hunc parvulum trahis infantem? Tunc mulier ait: Ut et iste martyrium suscipere mereatur. Hæc cum audisset vir ille, consideravit concurrentium voluntatem. Et mox recurrens ad principem, suggestit ei quod essent omnes mortem pro sua fide suscipere præparati: irrationabile dicens brevi tempore tantos occidere. Quo dicto ab ira revocavit imperatorem. Hoc ergo modo Edessenii furor imperatoris effugiunt. *SOCRATES, lib. IV, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 228.*

CAPUT XXXIII.

De examinatione et exilio plurimorum orthodoxorum.

Et hæc quidem cum præfectus imperatori dixisset, populum quidem, quod sustinebat, non pertulit experiri. Verum igitur duces eorum, id est presbyteros atque diaconos interrogare præceptus est, ut unum e duobus eligerent: aut communicare lupo, aut urbe pelli, et in quibusdam extremis partibus destinari. Cumque congregasset universos, mitibus utebatur verbis, persuadere nitens ut leges sequerentur imperatoris: indicium vesaniæ dicens esse, ut tanto imperatori pauci homines resisterent. Cumque cuncti tacerent, ad horum ducem Eulogium, virum valde laudandum præfectus ait: Cur non respondes his quæ dicuntur a nobis? At ille: non, inquit, oportet nihil interrogatum respondere. Tunc præfectus: Multa itaque verba locutus sum, monens vos quæ satis expediunt. Porro Eulogius universis hæc dicta fuisse respondit; et incongruum esse ut solus, alios decipiens, responderet. Si vero me solum, inquit, interrogas, meam declarabo sententiam. Præfectus ait: Communica possidentem regnum. At ille pacifice et nimis gratanter ait: Et mihi regni quoque sacerdotiique consortium est. Tunc præfectus irrisivum sentiens sæviebat, et injuriis contra senem usus, etiam hæc aiebat: Non hoc locutus sum, fulminande; sed quibus communicat imperator, communicare vos monui. Cumque dixisset senex pastorem se habere, et illius nutibus obedire, octoginta eodem tempore comprehensos destinavit in Thraciam: qui cum ducebantur, plurimo per iter [ed., pariter] apparatu fruebantur. Civitates enim occurrebant, et vicij devictores athletas honorantes. Sed hostes armavit

invidia, ut imperatori dicerent, quia plurimum honorem viris illis quæ contumelia putabatur afferret. Hæc agnoscens imperator, jussit ut bini separarentur, et alios quidem in Thracias, alios in extremam Arabiam, alios vero in Thebaidæ dispersit urbes. Aiunt enim quia et am fratres quos natura junxit, crudelissimus et ipse separavit. Porro Eulogium præsulum illorum, et Protogenem, qui post eum fuit, in Antinoum usque transmisit. Quorum virtutem non patior oblivioni contradere. Cum enim concordem viderent civitatis episcopum, ecclesiasticoque collegio communicarent, viderunt paucos esse ad ecclesias concurrentes. De qua re consulentes, agnoscerunt habitatores civitatis esse paganos; unde dolentes de eorum incredulitate lamentati sunt: non tamen lugendum esse diu arbitrati sunt, sed omni virtute de medicina cogitaverunt. *THEODORCTUS, lib. IV, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 17 et 18, p. 170.*

CAPUT XXXIV.

De miraculis confessorum.

Sacratissimus igitur Eulogius, in habitaculo suo redactus, tota die totaque nocte omnium deprecabatur Deum. Protogenes autem valde dignissimus, Eulonii litteris eruditus, ad scribendum velociter præparatus, inveniens opportunum locum, cumque sibi segregans ad docendum; adolescentium magister effectus est, quos et scribere velociter edocebat, et divina erudiebat eloquia. Dictabat eis Davidicæ melodias, et apostolicæ doctrinæ congruas lectiones meditari præcipiebat. Cumque unus adolescentium incidisset in ægritudinem, venit ad domum ejus; et tenens ægroti dexteram, languorem orationibus effugavit. Hoc agnoscentes aliorum parentes infantium, deduxerunt eum ad domos suas, et ægrotis auxiliari deprecabantur. At ille non ante se dixit Deum ut expellerentur ægritudines rogaturum, nisi prius ægroti sacri baptismatis munere potirentur; quod illi lætante impleverunt. Cogebat enim eos salutis desiderium, et sub uno animæ corporisque sanitate fruebantur. Si quando vero alicui suasisset ut sacram gratiam mereatur accipere, deducebat eum ad Eulogium, et concutiens januam, rogabat ut aperiret, ac signum dominicum ei qui fuerat renatus imponeret. Cumque ille difficiliter aperiret, ne inermis orationem, dicebat potius esse necessariam salutem errantium. Mirabantur igitur universi, videntes Protogenem talia facere, qui licet tantis lumen divinæ cognitionis impertiret, tamen Eulogio primatum per omnia reservaret; ut eos quos capiebat illi magis offret. Unde conjiciebant multo magis virtutem illius emere. Cum igitur fluctuatio quiescisset, tranquillitate facta, remeare præceptos deduxerunt omnes ingemiscetes, et lacrymantes, maxime vero præsul Ecclesiæ, eorum privatus affectu. Cumque ad propria remeassent, sanctus quidem Eulogius, Barse maximo ad vitam felicissimam transeunte, ejus suscepit regimen Ecclesiæ. Porro mirabilis Protogenes colere jussus est urbem Carrensiam desolatam, et spinis gentilium indigebat plenam, quæ utique plurimis laboribus indigebat.

THEODORETUS, *lib. iv, cap. 16. Edit. Christ. Vales, A*
cap. 18, p. 171.

316 CAPUT XXXV.

*De responso dæmonis, quis post Valentem imperatoris
 esset, et quod ob hoc Valens multos occiderit.*

Eodem tempore dæmon quidam erroneus, crudelitate Valentis abusus, ei persuasit ut perscrutaretur quis post eum suscepturus esset imperium. Quamobrem necromantiam fecit. Quibus artibus adimpletis, plurimos ille (dæmon non quidem aperta, sed obliqua solite responsa proferens) Interemit. Nam cum de imperio consuleretur, quatuor litteras demonstravit, θ, ρ, ο, δ, dicens hoc nomen post Valentem imperii culmen accipere. Quod dum ad aures pervenisset imperatoris, zelo ductus, multos peremit, quos tyrannidem assumere iudicavit. Occidebantur itaque Theodoriti, Theodori, Theodoti, Theodosii, Theoduli, et quicumque has litteras in capite sui nominis habuissent. Inter quos etiam Theodosiolus quidam, vir fortis, ex Hispania provincia genus ducens, occisus est. Hoc ergo timore plurimi sua nomina mutaverunt, negantes quæ prius habuissent cum juramento, ut pericula declinarent. SOCRATES, *lib. iv, cap. 15. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 229.*

CAPUT XXXVI.

*De Basilio episcopo Cappadociæ, et quomodo exsili
 minas evaserit.*

Valens igitur imperator, cum universas, ut ita dicam, Ecclesias pastore nudasset, in Cæsaream Cappadociæ venit, cuius tunc præsul erat Basilius, lumen totius orbis. Præmisitque præfectum, præcipiens, ut aut flecteret Basilium, quatenus dogmati communicaret Eudoxii, aut hoc facere nolens expelleretur. Audiens enim gloriam tanti viri, noluit ei prius inferre certamen: ne dum Basilius fortiter ejus jacula devitaret, fieret cæteris clarior imago virtutis. Hujus machinamenta, velut tela aranæ facta sunt; suffecerunt enim cæteris sacerdotibus ad utilitatem sui antiquæ Patrum narrationes, et velut quædam turres murum fidei indeclinabilem servaverunt. Porro præfectus Cæsaream veniens, et evocans magnum Basilium, honoravit, et mansuetis apud eum sermonibus usus est: monens ut tempori pareret, et non tantas Ecclesias propter parvam dogmatum subtilitatem vexari pateretur. Promittebat etiam imperatorias amicitias, multaque beneficia, propter hæc plurimè offerenda. Verum ille vir sacratissimus ait adolescentibus hæc verba congruere: Illi, inquit, et illorum similes talia promissa respiciunt. Nam qui divinis saginantur eloquiis corrumpere de divinis dogmatibus neque unam syllabam patiuntur; sed pro his, si contingat, etiam omnes mortis species amplectuntur. Amicitias autem imperatoris, magnas quidem cum pietate iudico, sine qua perniciem potius has appello. Cumque præfectus sæviret in eum, stultumque vocitaret, sanctus Basilius ait: Hanc stultitiam semper habere exoro. Quem dum egredi tunc iuberet, ut quid deberet facere cogitaret, sententiamque suam altera die depromeret, fertur vir ille famosissimus

hoc dixisse: Ego quidem etiam cras in se regredior, dummodo tu sententiam non permutes: sed vicem minis tuis. Post hæc verba præfectus occurrens imperatori, quæ dicta fuerant, et virtutem viri hujus, animæque fortitudinem, et fiduciam, nuntiavit. Tunc ergo tacens imperator ingressus est. Post hæc igitur contigit ut divinitus sibi plagas videret immissas. Filius enim ejus ægrotans, circa ipsas mortis portas agebatur periculo. Sed etiam conjugem diversæ occupaverant passionibus. Cognoscens ergo causam suæ tristitiæ, virum sacratissimum, quem penire minabatur, venire ad palatium deprecatus est. Duces autem præceptis imperialibus ministrabant. Tunc itaque magnus Basilius veniens ad palatium, vidensque principis filium circa mortem, ad vitam eum remanentem esse promisit, si per pios viros sacro baptismo potiretur. Hæc cum dixisset, egressus est. At ille jurisjurandi quod baptismatis tempore promiserat, memor, secundum stultum errorem præsentibus Arianis filium baptizare præcepit. Quo gesto, mox infans terminum vitæ sortitus est. Penitentia vero ductus Valens, et noxiam jurisjurandi iudicans veritatem, in sacrum templum ingressus, magni Basilii magisterio [ed. V., ministerio] sociatus est, et altari obtulit dona solemnia. Quem intra aulae, ubi ipse residebat, venire præcipiens, multa apud eum de divinis dogmatibus verba locutus est, et docentem libenter audivit. Ubi tunc aderat quidam nomine Demosthenes, super imperiales epulas constitutus, qui dum doctorem mundi culparet, barbarismum ferit. Tunc sanctus Basilius subridens: Videmus, inquit, sine litteris Demosthenem. Cum vero potius ille minaretur, sanctus ait Basilius: Tuum est de pulcherrimis cogitare, non dogmata divina decoquere. Post hæc imperator ita dilexit virum, ut etiam optima prædia, quæ illic habebat, pauperibus qui ab eo gubernabantur offerret: ex quibus leprosis præcipue necessaria ministrantur. Primum ergo Valens impetum hoc modo magnus Basilius declinavit. Cum vero postea reversus illic fuisset, priorum oblitus, quoniam a seductoribus ejus voluntas obsidebatur, rursus eum movebat ut ad partes declinaret hæreticas. Cui non persuadens, legem de ejus scribi præcepit exsilio, quam volens manus suæ subscriptione roborare, nullum apicem complere prævaluit, calamus enim contritus est. Cumque secundus et tertius calamus hoc pertulisset, et adhuc legem impiam firmare contenderet, commota est ejus dextera, eamque subito tremor invasit. Tunc ejus animo terrore completo, ambabus manibus chartam rupit. Ostenditque prævisor omnium Deus, quia et alios ipse permisit pati, et hunc ab insidiis liberavit; et per eum quæ in isto contingere, signum propriæ virtutis ostendens, et per alia dispensationis fortitudinem veritatem prædicans optimorum. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 175.*

Sciendum vero quia dum viveret Athanasius Alexandrinus episcopus, divina quadam providentia Alexandriam vel Ægyptum distulit commovere, audiens Athanasium a cuncta diligere plebe, et metuens

ne forte seditione facta respublica vexaretur. Verum Athanasius consulatu Gratiani secundo et Probi (An. Dom. 371), post crebra pro Ecclesiæ statu certamina hæc privatus est vita, cum quadraginta et sex annis per multa pericula sedem tenuisset episcopalem. SOCRATES, lib. iv, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 20, p. 230.

317 CAPUT XXXVII.

De fine Athanasii Alexandrini, et successione Petri, et seditione contra eum facta, et quod Romam profectus sit.

Cum igitur in Alexandria victor Athanasius, post multa certamina innumerasque coronas, vitæ terminum suscepisset, et ad laborum suorum præmia demigrasset, suscepit Petrus vir optimus præsulatum, quem dudum ille beatus elegerat, cunctis una consentientibus et sacerdotibus, et nobilibus, cunctaque plebe, et favore suo propriam ostendentibus voluntatem. Is enim Athanasii sudoribus particeps fuit, et dum esset in civitate, et dum diversa latibula peragraret, multifariaque pericula cum eo sustinuit. Quapropter cuncti sacerdotum concurrentes, dignum hæredem Petrum Athanasii clamaverunt. THEODORETUS, lib. iv, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 20, p. 175.

Cumque eum in pontificali sede constituisent, repente iudex provinciæ paganorum populum congregans, et pariter Judæorum, ecclesiæ septa circumdedit, Petrum exire præcipiens, nolentemque interminatus est ut abstraheret. Faciebat hoc imperatori placere volens, dum ei contraria sapientes calamitati submitteret. Quod autem verum est, impietatis ira completur: idolis potius placere nitentur, et tempestatem Ecclesiæ claram putabat esse festivitatem. Petrus itaque vir mirandus, insperatum respiciens bellum, latenter egressus est, et conscendens navem, profectus est Romam. THEODORETUS, lib. iv, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 176.

CAPUT XXXVIII.

Qua crudelitate Lucius Alexandriam fuerit introductus.

Transactis vero diebus paucis, Enzois ab Antiochia venit cum Lucio, et ecclesias ei contradidit; cuius etiam impietatem Samosatani noscuntur experti. Populus autem doctrinis primum Athanasii satiatus, deinde fastidians cibum sibi offerri contrarium, ab ecclesiasticis collegiis se suspendit. Porro Lucius armigeris utens cultoribus idolorum, alios verberabat, alios suspendebat, alios cogebat effugere, aliorum vero instar barbarorum vastabat domos. Sed hæc melius vir mirabilis Petrus in sua narrabit epistola. Ego tamen unum scelus Lucii referens, epistolam Petri ponam. Viri quidam in Ægypto conversationem imitantes angelorum, et civitatis evitantes turbas, vitam agere in eremo potius elegerunt, arenosamque terram et sterilem fructiferam reddiderunt, fructum quippe Deo suavissimum virtutis eorum et optimum referentem. Cuius deserti multi quidem videntur esse victores. Sed a puero illic crevit Antonius ille famosissimus, monachis vir-

PATROL. LXIX.

Autem luctaminis spiritualis ostendens. THEODORETUS, lib. iv, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 176.

CAPUT XXXIX.

Quæ miracula gesserint eremitæ in exilium a Lucio destinati.

Hujus ergo loci tunc incolas, sequaces Antonii, infelix Lucius expulit; eorumque sanctissimos præsules Macarium venerabilem, aliumque Macarium, Isidorum et cæteros de speluncis suis ejiciens, in quamdam insulam quæ ab impiis habitabatur hominibus destinavit; quippe quæ nunquam magistrum susceperat pietatis. Cumque navis in litus insule pervenisset, dæmon, qui ab illis honorabatur, relinquens idolum, ubi dudum habitare consueverat, filiam sui sacerdotis invasit, et bacchantem illuc usque perduxit ubi navis advenerat monachorum. Tunc dæmon utens lingua puellæ clamabat, sicut in Philippis per Pythonissam. Audebantque cuncti viri simul atque mulieres dæmonem proclamantem: O potentiam vestram, o ministri Christi: undique a vobis expellimur a civitatibus atque vicis, a montibus simul et collibus, ab eremo, quæ privata probatur hominibus. Sperabamus in hac insula commorantes, a vestris jaculis liberari: qua spe noscitur esse frustrati. Huc vos persecutores miserunt, non ut vos vexarent, sed ut nos per vos magis expellerent. Ecce recedimus ab hac insula; virtutis enim vestræ radii jaculamur. Hæc dicentes et his similia, puellamque in terra prosternentes, ipsi quoque omnino disparuerunt. Tunc ille sacratissimus chorus oratione facta suscitavit puellam, et suo patri sanam valentemque restituit. Verum illi qui miraculum conspexerant, ad sanctorum provoluti pedes, salutis viaticum se percipere supplicabant. Et templum quidem dæmonum destruxerunt; doctrinæ vero radii illuminati, sacri baptismatis gratia sunt potiti. His in urbe nuntiatis, omnes populi congregati Lucio detrahebant: dicentes iram sibi imminere divinitus, nisi sanctorum reverteretur chorus. Sic itaque metuens tumultum civitatis Lucius, sacratissimos viros ad suas speluncas remeare præcepit. Et hæc quidem sunt digna quæ abominationem illius impietatis aperiant. THEODORETUS, lib. iv, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 176.

CAPUT XL.

Litteræ Petri Alexandrini pontificis, in quibus Lucii mala referuntur.

Verumtamen præsumptionis ejus iniquitates litteræ Petri mirabilis edocent. Quarum ego longinquitatem fugiens, quæ in medio posita sunt ponere non omitam. THEODORETUS, lib. iv, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 177.

Provinciæ, inquit, iudex Palladius, cum esset religione paganus, et idola semper adoraret, contra Christum sæpius dimicare conabatur; et colligens prædictum populum, impetum fecit adversus ecclesiam, tanquam si barbaros subdere niteretur. Tunc itaque multa crudelia gesta sunt, quæ solummodo dicere volens, ipsa rei memoria dolore maxime

sum commotus, et fluxum protuli lacrymarum; diuque hoc potueram pati, nisi divina ratione animum relevassem. In ecclesia enim quæ Theona vocatur ingressa multitudo, pro verbis honorabilibus idolum favoribus **318** exultabant. Pro sacrarum lectione Scripturarum turpes manuum plausus agebantur. Re tractaque cum turpitudine voces contra Christi virgines contumelias dicunt, quas lingua hominum proferre non patitur. Audiens enim quilibet sapientium talia, claudebat auditus, et magis optabat esse surdus, ne huiusmodi verba audire compelleretur. Sed utinam vobis peccando quievisset, et non acta verborum turpitudinem supercrasset. Facilis namque detractio est huiusmodi, apud quos Christi sapientia et doctrinæ cultus inhabitat. Hi siquidem iræ vasa, ad perditionem facta, subsannantes, et horribilem sonum de naribus emittentes et, ut ita dicam, fetorem veluti de quodam cuculo profundentes, vestes sanctarum Christi virginum dirumpabant, quarum continentia formam sanctorum imitabatur angelorum. Et, sicut habet natura, nudas per totam circumferentes urbem, sicuti volebant eis cum turpitudine deludebant. Si quis autem eos tunc compatiendo prohiberet, vulneribus maceratus agebatur. Væ illis claudibus. Multæ siquidem violentam corporis sustinere corruptionem; plurimæ virginum ætibus in capite cæcæ, sine voce manserunt; quarum etiam funera solemnè sepultura tradita prohibita sunt. Multa denique corpora, hactenus a parentibus ingemiscentibus inquisita, reperiri non possunt. Sed cur parva de magnis loquor? Cur in istis immoror, et non potius ad necessaria jam recurro? In quibus bene novi, quia mirabatur quilibet nobiscum obstupescens patientiam Domini, quia non repente universa conclusit. Quæ enim nunquam facta sunt, neque per scripturas patrum nostrorum diebus audita, hæc super ipsum altare impii committebant. Sicut enim in scena turpi consistentes, puerum quemdam naturam masculi denegantem et utentem veste femineæ, inunctis oculis, et vultu serico colore depicto, ut de vestitu histrionis fingeret (ut apud prophetam scriptum est) idolum feminei schematis super ipsum altare, ubi adventum sancti Spiritus invocamus, circumitus huc et illuc agere, et manibus gestum [*Ed. V.*, abominationem; *Ed. Niv. et Prob.*, saltationem] celebrare fecerunt: ridentes, nefandasque mittentes voces. Qui rursus hoc parvum iudicantes, et præterita decora quam turpia potius æstimantes, quendam ex suis turpitudine notissimum, veste genitalibusque nudatum, in sede ponentes ecclesiæ, concionatorem turpem contra Christum impudenter elevaverunt. Pro sacris enim verbis ille scelera proferebat, pro honestis laudabat luxuriam, et pro pietate impietatem, pro continentia fornicationem et adulterium, masculorum concubitum, furtum, cibum, potum, ita huic virilia proclamabat. His ita gestis, et me ab ecclesia recedente (quippe cum illic stare non possem, ubi militum invasiones, ubi populus pro seditione redemptus [*ms.*, retentus] largitate pecuniarum, et gentiliùm multitudo magnis promissionibus

aderat), noster quæ si successor directus est, aut pro episcopatu quasi mundanam comparans dignitatem quidam Lucius, lupi nequitiam et actus habere festinans, non orthodoxorum episcoporum concilio, non decreto veracium clericorum, non petitione popolorum electus, sicuti concionantur ecclesiasticæ sanctiones; non quisquam episcoporum, non presbyterorum, non diaconorum, non populi multitudo, non præcedebant eum monachi hymnos decantantes Scripturarum. Sed Euzoius erat cum eo, dudum quidem damnatus cum Ario in sancto Nicæno maximoque concilio: nunc autem per patrocinia [*ms. Lyr.*,] rochiam Antiochensium vastator Ecclesiæ, et comes largitionum, ac militum dux omni impietate notissimus, nomine Magni, qui Juliani temporibus Berytiorum incendens ecclesiam, beatæ memoriæ Joviani temporibus ex propriis facultatibus eam reparare coactus est; ita ut pene caput tunc amitteret, nisi multorum labore imperialem clementiam meruisset. Considerare siquidem hæc vestrum zelum, et ad vindictam excitari deosco, quanta et qualis sicut commissa contra Dei Ecclesiam, cum talis adversum nos fuerit tyrannus excitatus. Is enim Lucius, qui per vestram religionem, et omnes orthodoxos episcopos frequenter abdicatus est pro rationabilibus causis, non astitit civitati, et non solum, sicut blasphemus et insipiens, dicit in psalmis: Non est Deus verus Christus; sed etiam in opportunitatibus est corruptus atque corrupti: gaudens in blasphemis contra eos qui Salvatorem colere comprobantur. Cum enim paganorum sensibus est vicinus, recentem præsumit erroneus colere Deum. Nam alii coram eo laudes huiusmodi proclamabant: Bene venisti, episcope, qui filium non defendis. Alii dicebant: Te Serapis amat et huc introduxit: simulacrum utique paganorum nominantes. Inter hæc eodem momento [*ms. Lyr. et ed. V.*, monte] prædictus Magnus impietatis ejus socius indivisus, armiger amarissimus, et minister crudelitatis ejus, collecta multitudo populorum, presbyteros atque diaconos decem et novem numero comprehendens, quorum quidam octogesimum transcederant annum, tanquam captos in quodam scelere, et Romanorum inimicos, legibus coarctabat: nesciens virtutem Christianorum legis, et apostolorum fidem per Patres traditam nobis; hæc etiam clementissimum principem Valentem grata habere pronuntians. Flectimini, inquit, miserimi, et Arianorum concordate dogmatibus. Flectimini, ignoscet enim vobis Divinitas, licet non veræ religioni cultum exhibeatis, non sponte, sed violenter hoc facientes. Necessitati namque satisfactio deest; spontaneam vero voluntatem accusatio digna subsequitur. Quapropter huiusmodi rationes [*ms. Lyr.*, directionem] præ oculis habentes, prompte sequimini, et dogmati Ariano subscribere, quod nunc prædicat Lucius: bene scientes quia si obeditis, pecunias, quæstus, honores ab imperatore percipietis; resistentes vero, carceres, supplicia, tormenta, flagella, vincula sustinebitis. Pecuniis simul possessionibusque privati, et postea pulsi, loca

crudelia inhabitare damnabimini. Sic iste fortissimus seductor, minas seductioni contemperans, invitabat atque cogebat ut omnes a pia sententia deviant. At illi nihil anarius astimantes quam pietatis prohibitionem, hujusmodi responderunt verbis, virtute fortique sensu seductionem minasque subdentes: Quiesce, jam quiesce his nos terrere sermonibus; cessa vana [ms. Lyr., ve-ana] verba proferre. Nos neque novum, neque recentem colimus Deum. Et licet inaniter furias, teque concutias sicut vehementer ventus, in dogmatibus pietatis ad mortem usque consistimus: non impotentem, non insipientem, non sine veritate aliquando fatentes Deum; non aliquando quidem **319** existentem, sicut impietas Arii temporaliter prædicat Filium. Si enim creatura est secundum ejus vesaniam Filius, non existens cum Patre, etiam Pater aliquando non fuit; quippe Filio non existente secundum eos aliquando. Si vero semper est Pater, existente quippe ex eo vero Filio, et non secundum generationis fluxum (Deus enim impassibilis est), quomodo non est insipiens atque vesanus qui hoc de Filio profitetur dicens: Erat quando non erat, per quem omnia, ut sint, per gratiam constituta sunt? Nostri siquidem Patres (a quibus isti eadentes, juste sine Patre sunt facti) in Nicæam venientes, et anathematizantes Arii sectam, cujus nunc iste juvenis patronus existit, non alterius substantiæ, quod nunc fateri nos cogis, extra Patrem esse dixerunt, sed ex ejus essentia. Quod bene et cum pia mente intelligentes, ex plurima sacrorum verborum collectione consubstantialitatem esse professi sunt. Talia siquidem et his similia dicentes, per multos dies exercuit, putans a pia eos sententia posse mutari. Qui magis velut in stadio fortiores effecti, terroremque conculcantes, et semetipsos Patrum rationibus coarctantes, validiorem habuerunt de pietate sensum, virtutis exercitium sua pericula judicantes. Sic igitur illis decertantibus, et spectaculum factis, sicut beatus scribit Apostolus (1 Cor. iv, 9), angelis et hominibus, universa civitas concurrebat, athletas contemplatura Christi, suaque constantia verbera judicis et flagella superantes, triumphumque pie contra Arianos per patientiam possidentes, quos ille utique credebatur se vincere, et illorum impietati contradere. Cum ergo defecisset eos tormentis afflicto, cunctis stentibus atque lugentibus, rursus collecta irrationabili multitudi- ne, ad judicium eos, imo magis ad præjudicium circa portum fecit adduci. Et cum illic consuete contra eos clamores emitterentur a paganis atque Judæis, et illi nolent Arianorum impietatibus consentire, sententiam protulit, universis ante tribunal ejus ingemiscensibus, ut ab Alexandria sublatis, in Heliopolim Phœnicæ ducerentur: cujus habitatores neque nomen Christi audire patiantur, sunt namque pagani. Quo facto, jubens eos navem conscendere, ipse stabat in portu nudum gladium vibrans: et hoc modo illos terrere putans qui bis acuto gladio hostiles demones crebrius vulneraverant. Sic ergo dimisit eos absque sumptibus et absque quolibet solatio, navigare præcipiens mari spumante, et, ut ita dicam,

A nolente suscipere viros iniqua jus ione communicare compulsos. Ingemult enim civitas universa, et hactenus lamentatur; et alii quidem suis manibus pectora percutiebant; alii vero manus et oculos tendebant ad cœlum, violentiam protestantes et veluti dicentes: Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quoniam injusta sunt quæ geruntur. Cunctaque simul gemitu complebantur, et veluti cantus quidam erat in civitate luctificens, currebatque fluvius lacrymarum. Cum igitur iudex ille præcepisset ut vela navis attollerentur, tunc gemitus ingens universorum, virginum et mulierum, seniorum et juvenum permixtus lacrymis est emissus. Cum illi ergo Heliopolim navigarent, ubi diabolica superstitione celebrabatur, omnes in media civitate communiter et singuli ingemiscens- B atque lugentes agebantur. Quibus tamen nec aperte licebat flere, jussi ne urbis præfecti Palladii; craterum et ipse paganus. Multi denique stentium arrepti et in carcerem ducti, deinde castigati, lacerati, verberati, novissime in metallo sunt traditi: viri utique Ecclesie et propter divinum zelum valde pugnantes. Erant enim plurimi eorum monachi, eremum incolentes, numero viginti tres: cum quibus post paululum diaconus, a dilectissimo fratre nostro Damaso, Romanæ civitatis episcopo, deferens nobis consolatorias communicationis epistolas, manibus post tergum vinctis, publice ab ipsis spiculatoribus ducebatur, veluti quidam reus insignis, et homicidarum verberibus coæquandus, lapidibusque simul et p'umbo ejus cervicibus maceratis, ad mare ductus est; et sicut illi sine sumptibus, sine ullo solatio metallico C deportatus exilio. Cumque iudex ille multos quoque infantium cruciasset, quidam eorum morientes, neque parentum, neque fratrum exsequiis solemnibus sunt potiti. O multa [ms. Lyr., temulenta] inhumanitas judicantis, magisque præjudicantis! Qui enim propter pietatem decertarunt, nec homicidis comparari potuerunt, quorum utique corpora insepulta relicta sunt: pie laborantes escis bestiarum volatulumque projecti sunt. Quique patribus necatorum naturali conscientia compati voluerunt, velut iniqui capite secti sunt. Quæ lex Romanorum, quæ barbarorum sententia, quoslibet patribus condolentes D ponit? Quando quisquam veterum hujusmodi gesit impietatem? Jussit itaque Pharaon ut masculi interficerentur Hebræorum; sed invidia et timor tunc protulit hoc præceptum. Quanto tamen illa quæ tunc gesta sunt humaniora modis existant! quanto desiderabilia ad discretionem iniquitatis hujus! Et licet malitia nequaquam separentur alteri ris, sunt tamen incredibilia quæ dicuntur, inhumana, crudelia, sæva, barbara, amara, sine misericordia, in quibus exultabant Ariani, choros agentes cum universa civitas ingemisceret. Non fuit enim domus in qua non erat mortuus, sicut in Exodo scribitur (Exod. xii, 30). Et cum hæc ita sint gesta (non enim quieverunt iniquitatis auctores, sed ad peiora profecti), usque ad episcopos provinciarum venena propria sparserunt, habentes iniquitatis suæ so-

latum comitem largitionum, quem prædiximus A
Magnum. Alios etenim episcoporum curiæ tradiderunt, alios diversis machinationibus affecerunt: volentes universos impietatibus obligari, et secundum patrem eorum diabolum quærentes quem sua rabie devorarent. Super hæc autem undecim Ægyptiorum episcopos, viros pene ab infantia usque ad senectutem eremum incolentes, verboque superantes et actu libidinem, piamque fidem sine confusione prædicantes, et dogma pietatis edocentes, multasque victorias de daemonibus exercentes, et Arianam sectam sapientissima ratione denotantes, exsilio direxerunt in civitatem Judæorum nomine Diocæsaream. Et velut infernus crudelissimus nunquam morte satiati fratrum, suæ savitiæ memoriam relinquere vo-

luerunt. Nuper enim Ecclesiæ catholice clericum degentes in Antiochia cum fidelibus monachis, volentesque eorum scelera denotare, aures imperatorias inflammantes, in Neocæsaream Ponti mittendos esse præparaverunt. **320** Qui, puto, propter ferocitatem locorum etiam vita privati sunt. Tales itaque tempus illud iragœdias exercuit, taciturnitate quidem et oblivione dignas, sed litteris memorandas ad oljurgationem eorum qui contra Unigenitum linguas suas exacerunt. Hi namque rabie coarctati blasphemice, non solum Dominum omnium jaculari nitenter, sed etiam contra ejus famulos bellum sine ullo fœdere susceperunt. THE DOCKETES, lib. iv, cap. 20; edit Christ. Vales., cap. 22, p. 178.

LIBER OCTAVUS.

321 CAPUT PRIMUM.

De conversatione, miraculis et responsionibus vel scriptis diversorum monachorum, nec non et episcoporum.

Eo tempore fuit Arsenius monasterii præsul. Is delinquentes juvenes non excommunicabat, sed magis ætate provectos. Dicebat enim: Juvenis excommunicatus spernit, provectus vero vel ceter excommunicationis dolore corrigitur. Alius nomine Pior ambulans comedebat. Consultus autem cur ita comederet: Non, inquit, volo veluti necesse arie uti cibo, sed tanquam extraneum aliquid agere. Pro qua re etiam ab alio requisitus ait: Ut ne, dum comedo, anima voluptatem sentiat corporalem. Isidorus dicebat quadragesimum se annum habere ex quo sentiret quidem mentem peccatum, non tamen sentiret vel concupiscentiæ, vel furori. Pambo autem, cum sine litteris esset, accessit ad quemdam ut diceretur psalmum; qui dum audisset primum versum tricesimi octavi psalmi: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; secundum versum non est passus audire, dicens: Si potero opere hoc implere, hic versus tantummodo mihi sufficiet. Cumque doctor qui eum tradiderat versum culparet cur per sex menses ad eum minime venisset, respondit: Quia versum illum adhuc opere non implevi. Postea vero, cum multos supervixisset annos, a quodam noto requisitus an didicisset versum: Quod agitata et novem, inquit, annis vix eum implere prævaui. Huic itaque quodam aurum dante ad cibaria pauperum, et dicente: Numera; ille respondit: Quod dedisti non eget numero, sed salubritatis affectu. Is enim Pambo, Athanasio episcopo deprecante, ab eremo descendit in Alexandriam. Cumque vidisset ibi mulierem thearralem, flevit; et a presentibus inquisitus quare ploraret: Dux, inquit, me res morerunt: una, quæ est illius perditio; altera vero, quia ego non tantum studeo placere Deo, quantum hæc ut turpibus placere possit hominibus. Alter quidam dicebat: Monachus, nisi operatus fuerit, violento judicatur æqualis. Piterius multas expositiones naturales adhibebat, et frequenter aliis alia requi-

B rentibus enarrabat. Per singulas autem explanationes orabat. Illo siquidem tempore inter monachos fuerunt duo viri Deo amabiles, nomine uterque Macarius; unus ex Ægypto superiore, alter Alexandrinus. Ambo pro multis rebus insignes, propter abstinentiam, conversationem, mores atque miracula, quæ eorum manibus agebantur. Ægyptios itaque Macarius tantas curas fecit, et tantos dæmones effugavit, ut ex ejus operibus liber proprius expleatur. Erat autem reverendus, et circa requirentes [Ed., delinquentes] severus. Porro Macarius Alexandrinus cum similis esset Ægyptio per omnia, in hoc mutabatur, quia circa consulentes hilarior apparebat, et vultu lætifico ad conversionem juvenes educabat [ms. Prob. et Nil., inducebat]. Horum discipulus Evagrius philosophiam C operibus possedit, prius sermone solummodo philosophatus, et in urbe Constantinopoli a Gregorio Nazianzeno diaconus ordinatus; deinde cum eo descendens in Ægyptum, et prædictos viros inspiciens, conversationem eorum zelatus est; tantaque miracula in ejus **322** manibus facta sunt, quanta in præceptorum ejus. Conscriptisque libros valde necessarios, quorum unus quidem Monachus titulatur; et est de Actuali. Alius Cognitionalis, secundum quod quispiam cognitione sit dignus: hinc capitula sunt quinquaginta. Alius vero contradictorius, ex divinis Scripturis collectus, contra dæmones tentatores: partibus octo divisus est, secundum numerum octo cogitationum; et sexcentæ propositiones ad contemplationem pertinentes, quæ γνωστικὰ προβλήματα, id est cognitionales propositiones denominavit. Insuper et versuum opera duo, unum quidem ad monachos in cœnobiis vel claustris constitutos; et unum ad virgines; quæ quam mira quamque necessaria sint, legentes intelligunt.

Sed opportunum est, sicut arbitror, pauca ejus dicta de monachis ac scriptura referri. Sic enim ait: Necessarium est enim vias inquirere recto præcedentium monachorum, et secundum eas exerceri. Multa enim inveniuntur ab eis dicta bene, simul et

acta. Inter quos etiam hoc ait quidam : Quoniam sicca et non inæqualis diæta charitati conjuncta, cito perducit monachum ad impassibilem portum. Is autem cum vidisset quemdam fratrum phantasiis nocte turbari, hoc modo curavit eum : præcipiens ut languentibus cibos jejunis ministraret. Unde requisitus : Nihil, inquit, sicuti misericordia hujusmodi passiones extinguit. Quidam tunc philosophorum accessit ad justum Antonium, dicens : Quomodo sufficis, o Pater, codicum consolatione privatus? ad quem Antonius : O, inquit, philosopho, meus codex natura creaturarum est, et adest cum voluero, verbaque mihi legit Dei. Requisivit me vas electionis Macarius, senex Ægyptius, dicens : Quare mali memoriam adversus homines retinentes, memorabilem virtutem animæ dissipamus; contra dæmones autem habentes mali memoriam, innoxii permanemus? Cumque in questione hujus interrogationis hæsissem, rogavi eum explanare sermone. At ille : Prima, inquit, passio furoris contra naturam est; consequens [*id est secunda*] vero, secundum naturam. In ipso ferventi meridie perveni apud sanctum Patrem Macarium, et siti vehementer accensus, aquam ut bibere postulaui. At ille : Umbra, inquit, tibi sufficiat; multi namque nunc iter agentium aut navigantium etiam hac refectione privantur. Deinde cum apud eum verba de abstinentia exercerem : Confide, inquit, filii, per viginti annos, neque pane, neque aqua, neque somno sum satiatus. Panem namque meum in pondere comedebam, aquam vero bibebam cum mensura; parvis ibus autem reclinatus somnum paululum rapiebam. Cuidam monachorum nuntia mors patris est; at ille nuntianti : Cessa, inquit, et blasphemare noli; meus enim pater immortalis est. Quidam fratrum Evangelium solummodo possidebat, quod vendens pauperibus erogavit, dignum proferens memorandumque sermonem : Ipsum, inquit, verbum vendidi quod mihi semper dicit : *Vende omnia tua, et da pauperibus* (*Matth. xix, 21*). Est quedam insula circa Alexandriam trans paludem Mareicæ, in qua habitabat monachus contemplantibus approbatissimus [*ms. contemplatissimus ac probatissimus*], qui dixit : Omnia quæ geruntur a monachis, agi propter causas quinque, id est, propter Deum, propter naturam, propter consuetudinem, propter necessitatem, propter opus manuum. Item ipse dicebat unam quidem naturam esse virtutem [*ms. Lyr., naturam esse virtutum*] : sed eam diversas species sumere per animæ qualitates. Nam et lumen, inquit, solis cum sine specie sit diversa, fenestris tamen per quas ingreditur schema quoddam varium facere videtur. Alius porro monachus : Propterea, inquit, abscindo libidines, ut auferam furoris occasiones. Novi enim furor non semper pro libidinibus litigare, nequem manu turbare, scientiam persequentem. Quod in senum dicebat : Charitas depositum ciborum aut pecuniarum servare non novit. Item ipse dicebat : Nescio me in eadem re a dæmonibus fuisse deceptum. Hæc igitur Evagrius in libro suo Acuali commemoravit.

In contemplativo autem hæc dicit : Quatuor virtutes

A et contemplationes earum a Gregori justo esse didicimus, prudentiam, fortitudinem, temperantiam atque justitiam. Prudentiæ quidem opus esse dicebat contemplari intellectuales sanctasque potestates absque sermonibus; quippe quos sapientia significari contradidit. Fortitudinis autem, perdurare in veritate, licet quispiam debelletur, et non accedere ad ea quæ nihil sunt. Temperantiæ vero proprium hoc esse respondit, suscipere primi agricolæ semina, et ea plantare convenienter. Porro justitiæ opus, ut pro merito singula cuique verba reddantur; alia quidem obscure pronuntiata, alia ænigmatibus inditata, quædam vero propter utilitatem simplicium aperte disposita. Columna itaque veritatis Cappadox Basilius ait : Humanam scientiam reddit crebra meditatio et exercitatio meliorem, eam vero quæ gratia Dei conceditur, justitia, patientia atque misericordia. Et humanam quidem etiam passibiles suscipere poterunt, diviniæ impassibiles tantummodo sunt capaces, qui etiam orationis tempore proprio mentis lumine resplendentes semetipso inspiciunt. Ægyptiorum vero sacratissima lux Athanasius ait : Præcepit Moyses mensam contra aquilonis constitui partem. Quamobrem cognoscant contemplativi quis est qui contra eos spiret, et omnem tentationem forti mente sustineant, et cum lacritate ad se accedentes enutrient. Thmuitanorum Ecclesiæ angelus Serapion dicebat : Mens quidem spirituali intellectu potius perfecte purgatur. Charitas autem curat membra furore tumescere; iniquas concupiscentias et influentias [*ms. Theod., iniquitates concupiscentias influentes*] continentia retinet. Maximus contemplationum doctor Didymus ait : De providentia atque judicio apud temetipsum semper exerce sermones, et studiorum materiam memoria retine. Peccata enim omnes in his peccamus, rationemque iudicii in corporum differentia, in qua etiam est mundus, invenies : providentiæ vero, in modis quibus a malitia vel ignorantia ad virtutes atque scientiæ culmen evaditur. Hæc autem ex Evagrii dictis retulimus.

Fuit autem et alius vir mirabilis inter monachos, cui nomen Ammonius, qui tanto sine ulla curiositate fuit, ut cum Athanasio Romam veniens, nullum opus civitatis inspiceret, nisi tantum ut videret Petri et Pauli basilicas. Is Ammonius ad episcopatum tractus, atque defugiens, dextram sibi mot amputavit aurem, ut semi corpore ordinationis opus effugeret. Cumque posterior tempore etiam Evagrius a Theophilo Alexandrino pontifice ad episcopatum tenus, nihil amputans de corpore suo fugisset, veniens ad **323** Ammonium [*ms. Lyr., et colloquens ei*] cum joco dicebat, quasi male fecisset, ut aurem amputaret, et de eo [*ms. Theod., Deo*] reus existeret. Ad quem Ammonius : Tu, inquit, Evagri, ignoras te puniendum quoniam abscidisti linguam. Et ne tibi arrogare videaris, non uteris gratia Dei. Plurimi siquidem eo tempore digni fuerunt viri, quorum si quis velit verba miraculaque cognoscere, et quemadmodum illis fuerint etiam bestiarum subjugarum, librum legat Palladii monachi, qui discipulus fuit Evagrii. Omnia namque

de istis subtiliter explanavit, in quo etiam seminarum imitationem conversationemque memoravit. Evagrius igitur atque Palladius mortuo Valente post paululum floruerunt. SOCRATES, *lib. iv, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 235.*

Hujus temporis est ut quantos potuero memorare possim qui sunt in illo tempore inter Christianos philosophati. Quorum unus quidem in Ægypto Joannes, cui futura et aliis incerta Deus non minus quam antiquis prophetis revelavit, donumque dedit ut curaret insanabiles passiones. Is enim a juventute laudans Deum, degebat in solitudine, comedebatque herbas atque radices, bibebatque aquam si comperisset. Cumque venisset ad senectutem, divina jussione migravit ad Thebaidam, et multorum monasteriorum factus est præsul. Qui oratione tantummodo languores et dæmones effugabat; et cum litteras non didicisset, ad rememorandum aliquid codicibus non egebat: quia quidquid semel mente perceperat, sub veritate retinebat. In hac itaque regione philosophabatur Ammon Tabensiorum præsul, circa tria millia discipulorum habens; non minus quoque et Theonas, multorum præsides fuere monachorum: ambo operatores inopinabilium rerum, et divina providentia prophetiaque completi. Dicitur namque Theonam eruditum Ægyptiarum, Græcarum Latinarumque litterarum fuisse, et triginta annis habuisse taciturnitatem. Porro a nullo hominum visum irascentem, aut jurantem, aut mentientem, aut vanum aliquid, aut asperum, vel infirmum protulisse sermonem. Ea tempestate fuerunt Copres, et Hellin, nec non Helias. Copres quidem, ut aiunt, divinum habuit donum salutes efficiendi passionum et dæmones expellendi. Hellin vero a parvulo nutritus in monasterio, plurima inopinabiliter miracula faciebat, ita ut etiam ignem in sinu portaret, et nequaquam ejus vestis arderet. Verum Helias tunc quidem non procul ab Antinoo civitate degebat in eremo, agens annum ætatis circa centesimum atque decimum. Antea tamen pene septuaginta annis solus vixit in solitudine, et usque ad hanc ætatem jejunando, et viriliter conversando pervenit. Fuit etiam Apelles in Ægypto ex fabro ferrario, qui dum aliquando per noctem hoc opus exerceret, umbra dæmoniaca, veluti mulier speciosa, eum de castitate tentabat. At ille ferrum quod operabatur ex fornace trahens, eam percussit in faciem. Tunc illa stridens et ingemiscens, procul effugit. Inter hos etiam Isidorus fuit, qui undique monasterium muniens, curabat ut nullus egrederetur, sed omnia necessaria haberet interius. Nec Serapion circa decem millia sub se monachos habens, quos omnes sic educabat, ut ex propriis sudoribus necessaria compararent, et aliis ministrarent egentibus. Diochorus quoque non amplius quam centum monachis præsidebat. Qui, cum presbyter esset, sacrificia faciens, omnem perfectionem adhibebat examinando et diligenter dijudicando accedentes ad sacra mysteria, ita ut explerent mentem, et mali cuiuspiam conscientiam non haberent. Eulogius presbyter fertur præscientiam habuisse cogitationum quorumlibet ad se venientium, eorumque

A delicia palam redarguebat, et quæcunque latenter cogitassent, sibi revelata manifestabat. Qui vero laiquid mali gessissent, vel pravum consilium habuissent, ab altari suspendebat, manifestans eis peccatum quod egerant, et diligentia purgatos rursus suscipiebat. His itaque similis erat Apollo in Thebaida, qui quadraginta annis in interiore morabatur solitudine, speluncam parvulam in monte vicino habens; sed pro multitudine miraculorum parvo tempore insignis effectus, plurimorum præsul exstitit monachorum. Eo namque tempore multi et optimi studiose philosophabantur in Alexandria, quasi duo millia viri; quorum alii in solitudine morabantur, alii circa Mareotem degebant. Excellenter autem inter alios emicabat Dorotheus, genere Thebæus; cujus hæc fuit vita, ut quotidie lapides a mari colligeret, et annis singulis hospitium ædificaret, et fabricare sibi non valentibus daret. Noctibus autem propter eorum cibum faciebat sportas, ut venderet. Cujus cibus erat panis unciæ sex, et oleorum minorum fasciculus unus, et ad bibendum aqua. Hic a juventute sic vivens, nec in senectute defecit. Nunquam visus est in lectulo soporatus, vel pedes pro requie tendisse, aut dormire pro voluntate, nisi quantum operando, aut comedendo natura compressos oculos claudere potuisset; ita ut sæpe, dum comedendo dormiret, cibus ex ejus ore labere ur. Aliquando ergo somno valde gravatus, cum in sercore cecidisset, obdormivit; expurgatus autem, et contristatus, sub silentio dixit: Si angelis dormire suaseris, et mihi ulterius suadebis. Quod forte dicebat ad somnum, aut ad dæmonem, qui eum nitebatur a bonis actionibus impedire. Huic laboranti quidam dixit: Cur ita perimis corpus tuum? At ille: Quia me, inquit, occidit. Piamonem vero presbyterum ferunt, quia, dum sacrificaret aliquando, sanctum angelum circa sacræ vidisset altare stantem, et præsentem monachos in codice conscribentem absentesque delentem. Joanni quoque tantam Deus noscitur donasse virtutem contra passiones atque languores, ut plurimos podagricos et articulos habentes solutos curaret. Inter hos Benjamin senior valde clarus habebatur, dono Dei potitus ut sine medicamine, tactu manuum, aut olei, facta oratione, sanaret ægros. Hunc ferunt incidisse in hydropicam passionem, et tantum ejus corpus iatumuisse, ut non posset per januas cellulæ suæ, in qua habitabat, efferri, nisi januæ cum tabulis antepositis sublatae fuissent. Is ergo passionis suæ tempore pene octo mensibus ante mortem, in sella latissima sedens, curabat solemniter ægrotantes: non graviter ferens quoniam suæ ægritudini non prodesset, sed etiam se videntes consulabatur, et deprecabatur ut rogarent Deum pro anima ejus, et de corpore non curarent: Quia et dum sanum, inquit, caset, nihil profuit mihi. Marcum in Scythi degeantem ferunt etiam in juventute valde fuisse mansuetum et sapientem, memoriaque Scripturarum divinarum satis idoneum, et tantum Deo amabilem, ut, dum ad dominicam corpus accederet, 324 angelus ei sacramenta præberet, cujus manum usque ad juncturam brachii

tantummodo se dicebat inspicere. Macario vero datum est ut ultra superaret dæmones. Huic occasio conversionis commissum homicidium fuit. Nam dum puer esset, et oves pasceret circa Mareiam paludem, ludens quemdam cœtaneum interemit, et metuens fugit in solitudinem. Qui dum tribus annis sub divo moraretur, postea parvum hospitium fecit sibi, in quo annis viginti quinque moratus est. Plurimi equidem se eum audisse dicebant, quia gratias illi calamitati referret, et salutiferum vocaret illud homicidium non sponte commissum, quo ei beatitudinis causa provenerat. Apollonius autem, dum per omne tempus vitæ nihil vitæ monachicæ didicisset, sciens quia nec scribere, nec artem jam exercere posset propter ætatem, omnia medicamina et cibaria opportuna laborantibus ex propriis pecuniis comparabat, singulasque januas monasteriorum a matutino circumibat usque ad horam nonam visitando languentes, et ministrando quo indigerent. Qui morituros, alio [Ed. Niv. et Frob., alteri] tradidit quod habebat, jubens ut talia vota servaret. Moyses autem cum servus esset, propter culpas expulsus e domo est; qui latrocinio deditus, homicidia multa commisit. Postea vero conversus, repente hujusmodi philosophiæ virtute completus est. Cumque propriis vitæ fervore phantasiis adhuc prioris libidinis moveretur, multa abstinentia domabat corpus suum, panem solummodo comedens, et multum opus efficiens. Sex autem annis per totam noctem stans oravit, neque genibus inclinatis, neque oculis in somno clausis. Insuper etiam noctanter circumibat cellulas monachorum, et lagenas singulorum aqua complebat, cum longe aut decem, aut viginti, aut triginta stadiis aqua manaret. Qui licet ita domaret corpus, priorem tamen valetudinem non amisit. Fertur enim quia, dum quatuor latrones ejus invasissent hospitium, comprehendisset omnes atque ligasset, suisque humeris impositos ad ecclesiam perdaxisset, in voluntate monachorum ponens quid de eis facere vellent. Fuit ergo in summa philosophia, et terribilis dæmonibus, et presbyter in Schyti constitutus. Vixit annis pene septuaginta quinque. Sub hoc igitur imperio fuit Paulus de Libya in Schyti, non minus quam quingentos monachos habens. Nihil autem operabatur neque percipiebat, nisi quod comederet tantum. Orabat autem solummodo; et veluti quoddam tributum habens impositum, trecentas orationes Deo unaquaque die reddebat. Et ne numero forte delinqueret, trecentos lapides ponebat, et singulis orationibus lapidem mittebat in sinum. Expensis vero lapidibus, orationes sciebat esse completas. Tunc enim Pachomius abbas in Schyti florebat, a juventute usque ad senium optime conversatus. Quem neque circa corporis sanitatem, neque circa animæ passionem dæmon aliquando decepit. Stephanus autem circa Mareiote[m] habitavit, perfecte degens et integra continentia. Qui circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit, et Antonio magno notissimus. Fuit itaque mansuetus et sapiens, locutione summis et utilis, tristantium consolabatur animos, et ad alacritatem revocabat, licet necessaria tribulatio

proveniret. Talis etiam erat in cladibus propriis. Denique dum infirmitatem incurabilem incurrisset, et medici putrida membra ejus incidissent, ille manibus tamen operabatur, palmarum plectens folia, et præsentibus persuadens ut de rebus hujusmodi non dolerent, neque aliud cogitarent nisi de bono fine: Deus, inquit, quæ fecit, cuncta utilia sunt. Ego autem novi quia hujusmodi passiones pro peccatis eveniunt. Et melius est hic pœnas solvere, quam perire[m] mortem perpetua supplicia sustinere. Pior autem cum de domo patris ad philosophiam conversionis exiret, promisit nullum se propinquorum de cætero fore visurum. Post quinquaginta vero annos dum ejus soror eum vivere [ms. Lyr. et ed., videre vellet] et habitare in eremo cognovisset, non cessabat donec eum inspiceret. Quam dum episcopus loci jam grandævam propterea videret affligi, scripsit præsulibus eremi, ut Pior[m] dirigerent. At ille, quoniam contendere [ms. Lyr., contemnere] nefas est, jussionibus seniorum obediens, et assumens quemdam, venit ad patriam. Cumque ante januas domus euz accessisset, et suum nuntiasset adventum, veniente germana, clausis oculis dixit: Ecce ego sum Pior, quantum vis aspectu satiare. Tunc illa gratificata laudavit Deum. At ille oratione facta, remeavit ad eremum: ubi fodiens aquam, invenit amaram, eaque usus est usque ad ultimum vitæ diem. Post cujus obitum nullus illic habitare prævaluit. Ego autem reor quia per orationem, eum ad suos usus fecit dulcem, dum etiam alibi non exstantem oratione meruerit emanare. Nam cum Moyses et ejus monachi puteum aliquando fuderent, et nec venim aliquam repererent, nec amplius jam fodere altitudo permetteret, medio die supervenit Pior, et oratione facta, descendit in foveam, cunq[ue] tertio percussisset terram, mox emanavit aqua. Cumque oratione facta discederet, illis eum petentibus ut vel ex aqua gustaret: Ad hoc, inquit, directus sum, et propter quod veni peractum est. Ammonium itaque ferunt nimis eruditum, Origenis Didymique discipulum, a juventute usque ad novissimum diem præter panem assum nihil aliud comedi se. Hunc dum voluissent quidam ad episcopatum pertrahere, nec ille posset eos sermonibus evitare, abscidit propriam aurem, dicens: Jam modo neque volentem me quisquam patitur ordinari, dum ecclesiastica regula corpore perfectos exquirat. Proinde discedentibus illis et denuo remeantibus, atque dicentibus: quia morum perfectionem potius Ecclesia quam corpus exquirat: juravit etiam linguam suam abscidere, si ei vim niterentur inferre. Quo audito, qui venerant quieverant [Ed., recesserunt]. Eo siquidem tempore fuit Evagrius vir eloquentissimus atque mitissimus, a Gregorio episcopo Nazianzeno decenter eruditus, cujus etiam fuit archidiaconus. Ferunt enim eum aspectu pulcherrimum, et circa cultum vestitus ornatum. Cumque eum quidam senator zelotypus uxori suæ cognovisset esse notissimum, ei mortis parabat insidias, quæ ad effectum pervenire potuerunt, nisi ei quædam terribilis et salutaris visio prædixisset. Vidit enim in somno, quasi pro crimine fuerit compre-

lensus, ferroque vinetus pedibus manibusque ad supplicium duceretur. Quod dum fieret, quidam protulit Evangelium, et promisit eum de vinculis esse solvendum si ab urbe Constantinopolitana discederet; idque compulsi sibi iurejurando promitti. At ille, tactis Evangeliiis, hoc se complere promisit; et vinculis solutus experrectus est, ac sacra credens **325** visioni, pericula declinavit. Tunc ab urbe Constantinopolitana venit in Hierosolimam. Fuerunt etiam in Rhinocorura non peregrini, sed provinciales viri, philosophiaque florentes. Inter quos fertur Melas episcopus huiusmodi fuisse benignitatis. Dum missi fuissent qui episcopos resistentes Ario deportarent exsilio, venerunt ad hujus ecclesiam. Quem dum invenissent veluti ultimam ministrum candelas ecclesiae preparantem, interrogaverunt ubi esset episcopus. At ille: Ego, inquit, vos episcopo nuntiabo. Tunc ex itinere fatigatus ad episcopium duxit, et, apposita mensa, pavit ut valuit. Postea ministerio completo ciborum, dixit se esse episcopum. At illi mirati virum, causas aperuerunt; et reddita reverentia ei, dederunt fugam. Tunc ille: Non, inquit, declinabo, quod mei similes libentissime susceperunt: sed volens exsilio praecepta suscipio. Hujus frater Salomon ex negotio ore conversus, ad magnum philosophiae culmen evectus est. Hoc tempore Epiphanius, qui postea Cypri fuit episcopus, inter eremitas maximus habebatur. Fuit etiam in Carris Protopogenus episcopus post Vitum, qui, ut ferunt, sibi professus est in Domini Epiphania revelationem: quia vidisset imperatorem Constantinum, quemadmodum ei Deus futura monstraret, et juberet ut quod ei diceret, obediret. Apud hunc [Ed., hos] itaque tanta abstinentia vigeat, ut propter multa jejunia dentes ejus vermibus ebullirent [ms. Lyr., caderent et evellerentur]. Alios vero quosdam usque ad octoginta annos panem ferunt penitus non gustasse: Heliodorum plurimas insomnes duxisse noctes, jejunioque septenos continuasse dies. Multi quoque apud Palaestinam et Syriam, atque Persas, fuere monachorum, quorum si vel nomina conscribere quispiam voluerit, multos libros implebit. SOZOMEN., lib. II, cap. 28, p. 677.

CAPUT II.

Quod Ariani Constantinopoli comprehendentes orthodoxos, multos in navi concremaverint.

Eo siquidem tempore in Constantinopolitana urbe comprehendentes Ariani quosdam religionis pie presbyteros, eosque mittentes in navem inermem, et trahentes in pelagus, aliis quippe in alia nave sequentibus, immisso igne cremaverunt. Quo facto, sancti viri cum igne atque mari pugnantes, novissime sunt absorpti, et triumpho martyrii coronati. THEODORETUS, lib. IV, cap. 22. Edit. Christ. Vales., cap. 21, p. 187.

CAPUT III.

Quod Valens paganus, Judaeis et haereticis tribuerit potestatem suas festivitates agendi, et orthodoxis ubi-

que prohibuerit, et de Flaviani Diodorique virtutibus.

In Antiochia vero Valens plurimo tempore commoratus, omnibus licentiam dedit gentilibus, atque Judaeis, nec non haereticis, suas festivitates agendi. Nam et gentiles festivitates agebant, daemonibus ministrantes, et post Julianum a Joviano idololatrias vanitates extinctas, florere rursus iste permisit; et Jovis cultum, atque Dionysii, sacraque Cereris jam non in occulto, tanquam sub pio imperatore celebrabant; sed per mediam plateam bacchantes, ubique currebant. Illis tantummodo tunc princeps erat inimicus qui apostolicam doctrinam praedicare videbatur; et eos primum quidem a sacris basilicis fecit expelli, quibus Jovianus famosissimus imperator novam dederat ecclesiam. Cumque in monte sacra celebrarent, hymnis laudantes Deum, et divinis illae eloquiis perfruentes; licet aeris adversitatem saepius sustinerent, aliquando pluviiis, aliquando nivibus, aliquando gelu, frequenter ignis ardore macerati, neque in hujusmodi locis laudibus divinis eos frui permisit, sed missis militibus effugavit. Tunc Flavianus atque Diodorus, veluti quaedam propugnacula, jaculis imminentibus resistebant. Nam cum Meletius eorum pastor seorsum degere cogeretur [ms. Lyr., conaretur], isti curam gregibus adhibebant, lupis quidem objicientes propriam fortitudinem, et sapientiam suam, ovibus autem curam congruam jugiter offerentes. De montanis igitur locis expulsi, contra ripas vicini fluminis pascebant oves. Non enim patiebantur secundum Israelitas captivos in Babylone organa sua suspendere; sed laudabant creatorem et largitorem Deum in omni loco dominationis ejus. Sed neque in hoc loco concilium piorum quietum esse permisit hostis servorum Christi. Veruntamen concordia illorum mirabilium pastoris magni discipulorum ad exercitium sanctas oves enutriens, spiritualia pascua ministrabat. Et Diodorus quidem sapientissimus atque fortissimus, velut quidam fluvius perspicuus, atque torrens, oves quidem proprias irrigabat: luporum vero blasphemias penitus diluebat; et generis sui nobilitatem spernens, libenter sustinebat quamlibet pro fide calamitatem. Flavianus vir optimus, et ipse genere nobilissimus, honestatem solam judicabat esse pietatem, et velut puer exercitatus, maximum Diodorum quasi quendam infanitorum certaminum urgebat [ed. Niv. et Frob., urgebat] atletam. Illo namque tempore non concionabatur inter ecclesiastica collegia; sed hoc agentibus multa solatia conferebat consiliorum, et scripturarum, atque expositionum [ms. Lyr., ex scripturarum expositione]. Et doctores quidem contra Arianas blasphemias tendebant arcus: iste vero, velut ex quibusdam pharetris, suae membris sagittas congruas offerebat; et non solum domi, sed etiam publice haereticis resistens, retia eorum facillime erumpebat, et labores ostendebat araucarum. THEODORETUS, lib. IV, cap. 22. Edit. Christ. Vales., cap. 21, p. 187.

CAPUT IV.

De laudibus Aphraatæ monachi, et qua fiducia Valentis responderit.

Cum his itaque laborabat Aphraates, cujus conversationem alio loco conscripsimus. Is enim ovium salutem suæ quieti præponens, et speluncam deserens propriam, pastorales sudores aggressus est. Quantas vero virtutis divitias congregavit, nunc referre superfluum est. Unum tantummodo ejus debet dici, quod huic historiæ valde congruit. A Boreæ parte fluvius currit Orontes nomine circa palatium; a meridie vero est maxima porticus, undique turres excelsas habens. Inter palatium vero et flumen platea est quæ egredientes ex urbe mittit ad suburbanos **326** agros. Per hanc plateam dum transisset Aphraates, ad hostilia certamina properabat, ut sacris ovibus curas necessarias exhiberet. Ilunc de palatio respiciens imperator, vilissimo pallio vidit indutum, et in longæva senectute celeriter properantem. Cumque dixisset quidam, quia iste esset Aphraates, in quo civitas universa penderet, dicit ei imperator: Dic mihi, ubi vadis? At ille sapienter respondit, et congrue: Pro tuo, inquit, oraturus imperio. Tunc imperator: Oportebat te domi, inquit, orare secundum monachicum morem. At ille sanctissimus: Optime, inquit, dicis, si sic quoque permitteres, hoc me facere oportebat. Et hoc hactenus egi, donec Christi oves pace pristina fruerentur. Quia vero tumultu maximo commoventur, et periculus impedit, ne captivæ teneantur, necesse est ubique discurrere, easque a necessitate salvare. Sed dicit mihi, tranquillissime imperator: Si puella essem in cubiculo residens, et ad lanam vacans, videremque paternam domum ignibus concremari, quid me facere congrueret? Sedere intus, et ardentem contemnere domum; an certe discurrere, ubique aquam ferre, et flammam extinguere? Credo quia dicis hoc potius fuisse faciendum; id enim puellæ sapientis est opus. Hoc ergo nunc agit, imperator. Te namque in paternam domum nostram mittente flammam, discurremus, ut eas velociter exstinguamus. Hæc illo dicente, interminatus est quidem, sed tacuit imperator. Unus enim cubicularius imperatoris aspere respondens viro sanctissimo, hujusmodi cladem noscitur pertulisse. Is enim habebat balnei curam: ubi post hæc verba descendens, ut imperatori pararet ingressum, et mente percussus in aquam ferventem descendit, ibique defunctus est. Sedebat imperator expectans, ut, eo renuntiante, lavaretur, eoque tardante, misit alios viros, cur moraretur. At illi ingre si, viderunt eum in solio [*ms. Santhead., dolio*] fervente defunctum atque solutum. Quod dum nuntiatum fuisset imperatori, cognoverunt virtutem orationis Aphraatæ, non tamen ab impiis dogmatibus recesserunt [*ms. Lyr., cessaverunt*], sed secundum Pharaonem induratum est cor eorum. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 23 et 24. Edit. Christ. Vales. cap. 25 et 26, p. 188.*

CAPUT V.

De Juliano monacho.

Hac itaque tempestate Julianus ille famosissimus

A solitudine relicta venit Antiochiam. Nam cum hæretici, soliti facile sarcire mendacia, hunc virum suæ dicerent esse pravitatis, miserunt ad eum lumina veritatis Flavianus, atque Diodorus, pariter et Aphraates, Acacium, virtute florentem, qui postea Bersæ fuit episcopus: rogantes ut multis hominum millibus subveniret, et adversariorum fallaciam redargueret, veritatisque dogmata confirmaret. Is ergo vir sanctissimus, et veniens, et revertens, et in ipsa maxima civitate, quanta miracula fecerit, in historia Deo [*al. Philotheo*] antebili a nobis conscripta retulimus. Quia vero totus populus civitatis ad collegia nostra convenit, nullum sæculum dubitare confido. Res enim inopinabiles ad se probantur universos attrahere. Sed quia maxima miracula ille vir operatus est, B etiam veritatis hostes nequeunt denegare. Hoc enim et in Alexandria temporibus Constantii fecit magnus Antonius. Deserens enim solitudinem, totas circumibat urbes, satisfaciens universis, quoniam Athanasius doctrinæ apostolicæ prædicator exstaret, et hostes essent veritatis participes Arii. Sic igitur sciebant illi sacratissimi viri quid tempori unicuique congrueret, et quando opus erat frui quiete, quando necessarium solitudini præponere civitates. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 25. Edit. Christ. Vales. cap. 27, p. 190*

CAPUT VI.

De Acepsema et aliis.

Fuit igitur illo tempore in Cyrestensium eremo famosissimus Acepsemas in cella reclusus, et sexaginta annis neque visus neque locutus est. Zeugmatius quoque mirabilis, qui licet oculorum acie privaretur, omnia circumibat, confortans oves lupisque resistens. Propter quam causam monachicam ejus cellulam concremaverunt; sed Trajanus magister militum fidelissimus aliam ei fabricavit, multoque eum fovit auxilio. Hoc itaque tempore fuit Ephræm in Edessa, in Alexandria vero Didymus. Et Ephræm Syra usus lingua, spiritualis gratiæ radios emittebat. Qui licet nesciret doctrinam Græcæ, multos Græcorum eruditosque redarguit, et totius hæreticæ pravitatis infirmitatem nudavit. Et quoniam tunc Harmonius Bardisanus quædam cantica componens, et impietatem melodicæ suavitati permiscens, illiciebat audientes, et capiebat in peste, iste sumens iude concentus, pietatem cantilenæ permiscuit, et audientibus suave nimis et utile medicamen apposuit; quæ cantica triumphatorum martyrum festivitates hactenus efficiunt clariores. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 26. Edit. Christ. Vales., cap. 28, p. 191.*

CAPUT VII.

De malis quæ sub Valente in Alexandria et per Ægyptum gesta sunt.

Cum igitur imperator Valens lege præcepisset persequendos esse in Alexandria et Ægypto cunctos orthodoxos, omnia vastabantur. Alii namque ad iudæa trahebantur, alii mittebantur in vincula, alii verberibus agebantur, plurimaque supplicia adversus quietis amatores ingerebantur. Et dum hæc in Alex-

audacia fierent secundum Lucii voluntatem, fuisset A que in Antiochiam reversus Euzoïus, mox ad monasteria per Ægyptum constituta processerunt magister militum cum multitudine armatorum, et Lucius Arianus. Cumque plurima viris sanctis mala facerent, nec eos ullo modo superarent, persuasione Lucii Patres monachorum mittuntur in exsilium. Inter quos Macarius Ægyptius, et alter Alexandrinus. Cumque venissent in insulam quamdam, aereptam eiusdem filiam sacerdotis a dæmone, clamantemque illis viris: Cur venistis etiam hinc nos expellere? suis orationibus liberatam patri restitunt, et ad Christianitatem sacerdotem simul et reliquos habitantes in insula perduxerunt. Qui mox simulacra projicientes, formam templi in ecclesiam mutaverunt. Baptizabantur enim, et officia Christianitatis gratisime docebantur. Sic igitur propter consubstantialitatis fidem, viri admirabiles probabiliores **327** effecti sunt; aliosque sanantes, firmiorem operibus ostenderunt fidem. *SOCRATES, lib. IV, cap. 19. Edit. Christ. Vales., cap. 24, p. 252.*

CAPUT VIII.

De Didymo et scriptis ejus; de Gregorio Pontico ejusque miraculis.

Eo siquidem tempore virum alium fidelem produxit Deus, ut per eum fidei testimonium perhiberet, Didymum, mirabilem virum, qui omni tunc doctrina florebat. Is cum parvus adhuc prima litterarum elementa doceretur, passione oculorum perdidit visum. Cui Deus pro visibilibus oculis intelligibiles condonavit. Nam quod per oculos doceri non potuit, auditu vigilantia cognovit; qui dum a puero fuisset ingeniosus, vincebat etiam acute conspicientes. Facile namque regulas grammaticæ atque rhetoricæ artis didicit. Cumque venisset ad philosophiam, mirabiliter dialecticam, arithmeticam, musicam, aliaque philosophiæ disciplinas didicit animoque recondidit, ita ut celeriter obviaverit eis qui oculis inspectoribus talia didicissent. Sed etiam Vetus Novumque Testamentum adeo perfecte cognovit, ut multos ederet libros. Qui et de Trinitate tres libros fecit, et Origenis opus De Principiis, id est Περὶ Ἀρχῶν, interpretatus, in eis explanationes reliquit eximias. Fertur enim cum Antonius Valentis tempore propter Arianos venisset in Alexandriam, vidisse Didymum, eique dixisse: Non te conturbet, o Didyme, amissio sensibilibus oculorum; tales etenim oculi tibi desunt quibus et muscæ et pulices noscere possunt. Sed gaude potius quoniam habes oculos quibus etiam angeli contuentur, per quos videtur Deus, et ejus lumen inspicitur. *SOCRATES, lib. IV, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 240.*

Didymus ab infantia privatus oculis, grammaticam, rhetoricam, arithmeticam, geometriam, et astronomiam, et syllogismos Aristotelis, et eloquentiam Platonis auditu didicit; non quasi hæc veritatem erudirent, sed tanquam adversus mendacium arma veritatis existerent. *THEODORETUS, lib. IV, cap. 27. Edit. Christ. Vales. cap. 29, p. 192.*

Et quoniam aliqui ex nominis similiudine noscuntur errare, necessarium est ostendere quoniam alter est Gregorius Ponticus, ortus ex Cæsarea Pontica, nimis antiquus, et discipulus Origenis. De isto namque Gregorio multus est sermo in Athenis, et Beryto, nec non et Ponto, et ut ita dicatur, in universo orbe terrarum. Is enim cum discessisset ab Athenis, venit in Beryto, ibique jura legebat. Cumque cognovisset in Cæsarea libros sacros Origenem exponere, venit illic, expositiones magniloqui illius auditurus. A quo veram philosophiam eruditus, evocantibus parentibus remeavit ad patriam. Ubi primo quidem, dum esset adhuc laicus, plurima signa fecit, languores curando, dæmones per epistolas expellendo, paganosque sermonibus et operibus sibiimet subjugando. **B** Hujus meminit et Pampbilus martyr, et Eusebius in libris quos de Origene conscripsit. Fuit ergo Gregorius antiquus iste, discipulus Origenis, et alter Nazianzenus, fraterque Basilii. Fuitque alius Gregorius Alexandrinus, Arianus. *SOCRATES, lib. IV, cap. 22. Edit. Christ. Vales. cap. 27, p. 244.*

CAPUT IX.

Quod Novatiani festivitatem Paschæ mutaverint, et de schismate inter Cornelium Romanum episcopum et Novatum facta pro recipiendis errantibus.

Ea tempestate Novatiani, habitantes in Phrygia, festivitatem Paschæ mutaverunt. Quomodo autem gestum sit dicam: primo tamen referens, cujus rei gratia circa Phrygum Paphlagoniorumque gentes **C** severius ecclesiastica regula conservetur. Novatus presbyter se ab Ecclesiæ Romanæ communione suspendit, quoniam Cornelius episcopus fideles qui sacrificaverant tempore factæ persecutionis a Decio, in communione receperat. Pro hac itaque causa segregatus, et ad episcopatum a consortibus suis episcopis evocatus, scribebat Ecclesiis, ne eos qui dæmonibus immolaverant ad sacramenta susciperent, sed invitarent quidem ad poenitentiam; remissionem vero Dei relinquerent potestati, cuius solius est peccata dimittere. Tales epistolas suscipientes in unaquaque provincia, secundum proprios sensus responsa reddebant. Cum ergo ille mandaret ut non oporteret sacris interesse mysteriis eos qui post baptismum peccatum commisissent, quod ducit ad mortem: quibusdam quidem videbatur amara nimis **D** et dura hujusmodi regula; alii vero veluti justam rectamque suscipiebant. Inter hæc mota quæstione, venerunt litteræ Cornelii Romani præulis, quæ remissionem peccantibus etiam post baptismum promittebant. Sic ergo ambobus diversa scribentibus, et ex divinis eloquiis sua sensa firmantibus, singuli provincialium diversas sunt secuti sententias. Sanantes namque sanare promissa remissione, etiam reliquo tempore deliquerunt. Unde videtur quia gentes Phrygum castiores quam aliæ magis esse noscuntur. Novatus itaque, licet propter conversationem subtilissimam segregaverit semetipsum, non tamen mutavit Paschæ festivitatem. Nam secundum Patres Hesperios etiam iste celebrabat. Agitur enim apud

illos Pascha post æquinoctium olim, et ex quo Christiani esse cœperunt. Sed iste quidem postea sub persecutione Valeriani principis martyrio terminavit vitam. Hi vero qui ex eo nomen habuerunt ejusque fuere participes, facto concilio paucorum episcoporum in vico Puzeno, ubi sunt fontes Sagarii fluminis, regulam protulerunt ut Judæos observent azyma facientes, et cum eis agant Paschæ celebritatem. Postea tamen etiam Novatianorum Ecclesia propter illud concilium noscitur esse divisa. SOCRATES, *lib. iv, cap. 23. Edit. Christ. Vales. cap. 28, p. 245.*

CAPUT X.

De Damaso et Ursino, qui Romæ episcopi pariter ordinati sunt.

Eo tempore cum Valentinianus imperator nullam hæresim perturbaret, post Liberium Romæ Damasco ordinatur episcopus, simul et Ursinus ex diacono ejus Ecclesiæ in basilica Siniensi latenter. Ob quam rem multis seditione 328 vel præfecti tunc Maximini animadversione punitis, remoto Ursino Damasus permansit episcopus. SOCRATES, *lib. iv, cap. 24, Edit. Christ. Vales. cap. 29, p. 247.*

Tunc itaque apud Hesperiam Damasus Romanus et Ambrosius Mediolanus spiritalibus jaculis feriebant hostes. Cum quibus etiam illi qui ad longa fuerant exsilia destinati, litteris confortabant suos, et adversarios destruebant. Quos divina providentia gubernatores in fluctuatione præparavit, et militum sapientissimos duces in præliis. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 28. Edit. Christ. Vales. cap. 31, p. 195.*

CAPUT XI.

De fine Valentiniani majoris, et auspiciis Valentiniani minoris; et quomodo Valentinianus, viva priori conjugè, duxerit aliam uxorem.

Inter hæc igitur Valentinianus imperator Hesperix, contra legatos Sauromataram vehementi furore commotus, eruptione venarum fluxu sanguinis expiravit, post consulatum Gratiani tertium et Equitii [An. Dom. 375], septima decima die mensis Novembris, anno vitæ quinquagesimo quarto, imperij undecimo. Quo moriente, Italiæ milites, sexta die post ejus mortem, Valentinianum puerum ejus filium ad imperii culminem provexerunt. Cujus imperium frater scilicet Gratianus et Valens patruus licet ingrate (quod eis ignorantibus factum sit), tamen postea susceperunt. Hoc itaque modo Valentinianus minor in paterno successit imperio. Is enim natus est de Justina, quam vivente Severa priore conjugè Valentinianus hoc modo duxisse probatur uxorem. Justus Justinæ pater, cum esset Piceni judex Constantii temporibus, vidit in somnis quoniam ex dextro femore imperislem purpuram genuisset. Cumque visio per multos recitaretur, ad Constantii aures usque pervenit. At ille considerans somnium, tanquam imperator ex eo nasceretur, mittens occidit Justum. Cujus filia Justina, cum orphana remansisset a patre, virgo permansit. Posteriore vero tempore pervenit ad Severæ notitiam, ad quam frequentius veniebat, et amabatur; ita ut etiam cum ea balneis uteretur.

A Cumque Severa secum lavantem Justinam diutius inspexisset, pulchritudine virginis obligata est, et dixit imperatori quia sic speciosa esset virgo Justina, ut etiam ipsa, licet esset mulier, ejus tamen amore sit capta. Verum imperator, ejus sermone concepto, Justinam ducere tractabat uxorem; non tamen Severam abjicere, ex qua Gratianus fuerat natus, quem paulo ante firmarat imperatorem. Legem itaque protulit publice per civitates proposita sancientem, ut liceret volentibus habere duas uxores. Cumque posita lex haberetur, Justinæ ipse conjunctus est: ex qua natus est Valentinianus junior et filix tres, Justa, Grata et Galla; quarum dux quidem in virginitate manserunt, Galla vero postea major Theodosius imperator duxit uxorem; ex qua Placidia filia noscitur ei esse progenita. Nam Arcadium et Honorium ex Flacilla priore conjugè habuisse cognoscitur. SOCRATES, *lib. iv, cap. 26. Edit. Christ. Vales. cap. 31, p. 218.*

CAPUT XII.

Quod Themistius philosophus Valentem ab orthodoxorum nece avocaverit.

Interea Valens in Antiochia Syriæ degens, consubstantialitatis cultores vehementer insequabatur, nisi eum liber Themistii philosophi revocasset, in quo peroraverat quia eum esse non oporteret infestum, propter discordiam ecclesiasticorum dogmatum, quando etiam apud paganos ultra trecentarum sectarum differentia videretur, et unusquisque pro dogmate proprio in sententia diversa consisteret. Et si forte hoc Deo gratum potius esset, dum non facile cognoscitur, et diverso modo glorificatur; quatenus unusquisque amplius timeat, dum integritatem ejus scientiæ, vel quomodo, aut qualis, quantumque sit magis ignorat. His ergo Themistii ratiocinationibus atquantulum mitior factus est imperator. SOCRATES, *lib. vi, cap. 36, p. 695.*

CAPUT XIII.

Quemadmodum se Gothi contulerint ad Valentem, et quomodo ad Gothos pestis Ariana pervenerit.

Non tamen omnino se ab indignatione suspendit, sed pro morte imponenda sacratissimis viris decernebat exsilia, donec ejus impetum causa hujusmodi reipublicæ removisset. Barbari trans Illiistrum constituti qui vocantur Gothi, civile bellum inter se duabus partibus commoverunt: uni præerat Fridigerus, alteri Athalaricus. Cumque prævaluisset Athalaricus, Fridigerus confugit ad Romanos, eorumque postulavit auxilium: Quo cognito, Valens præcepit Thraciæ militibus ut barbaris auxilia commodarent. Hoc solatio victus Athalaricus est, etiam fuga versus. Ob hanc ergo causam Fridigerus volens aliquod beneficium repensare Valenti, cum suis omnibus dogmata ejus religionis amplexus est. Unde hætenus Gothi Ariani esse noscuntur. Tunc etiam Vulphilas Gothorum episcopus litteras Gothicas adinventit, et Scripturas divinas in eam convertit linguam. Cum igitur non solum Fridigeri Gothos, sed etiam Athalarici Vulphilas edoceret, tunc Athalaricus videns religionem patriam violari, multos

Arianorum suppliciis tradidit, quos Ariani martyres nunc appellant. Non vero post multum denuo inter se barbari compacati, a vicinis gentibus Hunnorum deprædabantur. Expulsique de propriis, ad Romanorum loca confugiunt, servire potius volentes imperatori. Hoc dum cognovisset Valens, nihil futuri providens, terras eis tribuit Thraciarum, arbitratus præparatum se contra omnes barbaros habere solatium; ac propterea milites de cætero negligebat, et eos qui dudum contra hostes laboraverant despiciens, etiam a collatoribus provinciæ per vicos et civitates pro unoquoque milite octuaginta solidos exigebat, qui dudum eorum tributa releverat. Hoc ergo fuit initium ut illo tempore Romanorum republica calamitatibus subderetur. Barbari namque cum Thraciam **329** tenuissent, licenter Romanorum provinciam devastabant. Hæc audiens Valens, cum ab orthodoxorum exiliis non quiesceret, tunc tamen hac se necessitate suspendit. Turbatus enim ab Antiochia Constantinopolim venit: unde etiam aliquantum Christianorum persecutio tunc cessavit. **SOCRATES, lib. iv, cap. 27 et 28. Edit. Christ. Vales. cap. 32 et 33, p. 250.**

Interea Valens imperator, dum Gothorum gentem commovisset ad prælium apud Bosphorum, tunc fatuus vires suæ infirmitatis agnosceus, misit ad fratrem solatia petens. At ille rescripsit quia religiosum non esset talem virum juvare, qui Deo rebellis existeret; sed magis esse justum ut ejus superbia sedaretur. Quod dum ille miserimus agnovisset, licet majori necessitate constrictus, non tamen a sua nimietate cessavit, sed Deo fuit et veritati rebellis. Terentius igitur inter hæc victor reversus est ab Armenia, vir optimus et pietate decenter ornatus. Hunc ei jussit Valens poscere dona que vellet. At ille quod decebat pium virum cogitare respondit; petiit enim non aurum, non argentum, non prædium, non cingulum, neque donum [*ms. Theod., domum*]; sed ut eis qui pro apostolica doctrina pericula sustinerant, una præberetur ecclesia. At ille petitionem ex scripto susceptam cognoscens, quæ illie tenebantur ascripta dirupit, eumque alia postulare præcepit. Verum ille colligens verba precum: Suscipe, inquit, o imperator, et habeto donum: aliud vero non postulo. Intentionis meæ judex est universorum judex. Cum ergo Valens transisset Bosphoro venisset in Thraciam, primum quidem Constantinopoli commoratus est, præparans bellum; deinde Trajanum cum expeditu contra barbaros destinavit. Cumque remeasset ille devictus, derogabat Valens ei molitiem, et causam timoris ascribens. At ille usus fiducia, viro fortissimo congruenti: Non, inquit, imperator, ego sum victus; sed tu victoriam perdidisti, dum Deo resistis, et illius solatia barbaris facis potius opportuna: dum enim a te expugnatur, pro illis pugnat; et necesse est Dei sequi victoriam. An nescis quos ab Ecclesiis expulisti, vel quibus eas contradidisti? Hæc eadem Aranthus et Victor magistri militum sunt professi; et imperatorem, ne tunc indignaretur, adjuverunt. Aiunt etenim Isaac monachum, ha-

Abentem cellulam illic, cum videret eum ingredientem ad pugnam, cum clamore dixisse: Quo vadis, imperator, qui pugnas adversus Deum, quem non habes adiutorem? Ipse enim contra te barbaros movit, quoniam et tu adversus eum blasphemias linguas plurimas excitasti, et qui ei psallunt a sacris domibus expulsi. Quiesce ergo rebellare, et ille faciet bella cessare. Redde gregibus pastores extimios, et victoriam sine bello percipies. Si vero nihil horum sic agens pugnare contendis, experimento cognosces quam *durum est contra stimulum calcitrare* (Act. ix, 5). Nam neque reverteris, et exercitum vehementer amittes. Beiranon autem omni virtute clarus, universæ Scythiæ præsul, habens zelo fidei cor accensum, pro corruptione dogmatum et iniquitatibus quas contra sanctos agebat, Valentem sæpe redarguit: clamans cum sacratissimo David: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundabar* (Psal. cxviii, 46). Qua tamen gratia barbari Ariano sint vitiiati languere narrabo. Tempore quo transeuntes Histrum, pacem cum Valente fecerunt, tunc præsans [*ms. Lyr., præsul*] Eudoxius sugge sit imperatori ut ei Gothi communicarent. Dudum enim divinæ scientiæ radiis imbuti, apostolicis dogmatibus pascabantur. Communio, inquit, unius dogmatis firmiorem faciet pacem. Ille Valens laudans, a ducibus Gothorum exegit ut dogmatum quoque concordiam retinerent. Illi vero dicebant paternam se mutare non posse doctrinam. Et cum illo tempore Vulphilas esset eorum episcopus (quem valde sequebantur, ejusque verba quasi leges immobiles aestimabant), hunc verbis pecuniisque flectens Eudoxius, egit ut barbari communionem amplecterentur imperatoris; sic decipiens eos, ac dicens certum esse verborum, non differentiam dogmatum. Quamobrem hæcenus Gothi majorem quidem Patrem Filio dicunt: creaturam vero Filium nequaquam dicere patiuntur; licet hoc asserentibus communicare videantur. **THEODORETUS, lib. iv, cap. 23 et seqq. Edit. Christ. Vales. cap. 31 et seqq., pag. 695.**

CAPUT XIV.

De reversione Petri episcopi in Alexandriam, et de ejus morte, et de successione Timothei.

Hoc itaque tempore, imperatore ab Antiochia discedente, confortati sunt qui ab eo persecutionem patiebantur, et maxime Alexandrini; Petro quippe revertente de Roma cum litteris Damasi Romanæ urbis antistitis, confirmantis consubstantialitatis fidem, et Petri episcopi roborantis ordinationem. Quo facto, populus sumpta fiducia, Lucium expulit, et reduxit Petrum. Sed Lucius Constantinopolim navigavit: Petrus cum paucum vixisset tempus, reliquit fratrem suum Timotheum successorem. **SOCRATES, lib. iv, cap. 30. Edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 254.**

CAPUT XV.

Quomodo Valens contra Gothos pugando sit devictus et mortuus.

Petro Valens imperator cum tricesima die Maii mensis sexto consulatu suo, et Valentiniani junioris secundo (An. Dom. 378), Constantinopolim venisset,

Invenit populam in mœstitia constitutum. Barbari namque per Thracias discurrerent, etiam Constantinopoleos suburbana vastabant, non existente qui eis resistere fortiter prævaleret. Qui dum usque ad muros venissent urbis, afflicta civitas murmurabat; quasi eos imperator illuc evocasset, dum nec resisteret, et magis bella prætraheret. Circenses Iudi igitur agebantur, et illic imperatori clamabant: Da arma, et nos pugnabimus. Hinc accensus imperator, undecima die Junii mensis egreditur, interminutus poenas se pro injuriis, cum rediret, a Constantinopolitanis civibus exacturum, et quoniam primitus videbantur Procopio præbuisse solatium; ita ut civitatem à ratro vertere minaretur. Deduxit igitur cives usque ad urbem Adrianopolim, quæ est in confinio Macedoniae. SOCRATES, *lib. iv, cap. 31. Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 254*

Et, exercitu quidem præmisso, ipse in quodam vico victoriam sustinebat. Porro milites, barbarorum impetum non ferentes, alii fugiebant, alii **330** ne-

cabantur. Barbari autem venientes ad vicum ubi Valens, agnita proditione, latitare et se celare utebatur, inmisso igne concremaverunt cum vico etiam pietatis inimicum. THEODORETUS, *lib. iv, cap. 31. Edit. Christ. Vales. cap. 36, p. 195.*

Qui terminum vitæ sortitus est nona die mensis Augusti, eodem consulatu, id est quarto anno ducentesimæ octuagesimæ nonæ olympiadis (*An. Dom. 378*). Aiunt enim aliqui eum igne consumptum, cum in vicum fugisset quem barbari concremaverunt. Alii vero ferunt, quæ, mutato imperiali habitu, ad pedestrium venit exercitum; et cum equestres se tradidissent pugnare nolentes, in congressione universos pedestres repente confossos: ubi dicunt ipsum quoque ignoto vulnere fuisse prostratum. Defunctus est autem anno vitæ quinquagesimo. Qui cum fratre regnavit annos tredecim, post fratrem vero tres. Tali sorte defunctus est. SOCRATES, *lib. iv, cap. 31. Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 255.*

LIBER NONUS.

331 CAPUT PRIMUM.

Quia mortuo Valente Constantinopolim barbari devastabant.

Igitur defuncto Valente, denuo barbari, usque ad muros Constantinopoleos venientes, ejus suburbana vastabant. Quapropter cives, quæ invenissent arma portantes, hostibus ut poterant resistebant. Uxor enim Valentis imperatoris, nomine Dominica, præmia ex ærario publico bene pugnantibus secundum consuetudinem militum ministrabat. Quibus etiam Saraceni præbuerunt solatia, quæ eorum regina, nomine Maria, Romanis [*Mss. et ed. V., Romanorum*] fœderata, direxerat. SOCRATES, *lib. v, cap. 1, pag. 259.*

CAPUT II.

De benignitate Gratiani, et fidei rectitudine.

Porro Gratianus Valentiniani filius, cum dudum patre defuncto Europæ scepra tenuisset, defuncto Valente sine sobole, Asiæ quoque Libyæque regna suscepit. Moxque pietatem, quam mente perceperat, operibus demonstrabat, initiaque regni sui rerum omnium Domino dedicavit. Scripsit itaque legem: præcipiens ut expulsi pastores ad sua ovilia remearent, sacræque basilicæ eis redderentur qui communionem Damasii sequebantur. Is enim Damasus Romanæ urbis episcopus, laude dignus, vir mirabilis, semper ornatus, dicere facereque pro apostolicis dogmatibus cuncta festinus, post Liberium gubernacula suscepit Ecclesiæ. Direxit igitur imperator cum hujusmodi lege etiam Saporem quemdam, tunc nominatissimum militiæ principem, et Arianæ quidem blasphemæ prædicatores, veluti quasdam bestias, divinis septis jussit expelli; optimis vero pastoribus et sacris ovilibus universa restitui. Hoc ergo in universis provinciis decrevit observari. THEODORETUS, *lib. v, cap. 1 et 2, p. 199.*

Gratianus itaque cum juniore Valentiniano regno potius, ab exsilio revocatis omnibus, lege sancivit ut unaquæque religio licenter sacra celebraret; solos vero ab ecclesiis prohibuit Eanomianos, Photinianos et Manichæos. SOCRATES, *lib. v, cap. 2, pag. 260.*

CAPUT III.

De contentione apud Antiochiam inter Paulinum et Meletium facta, et de Apollinare Laodiceno ejusque secta.

Tunc igitur in Antiochia, quæ præsidet Orienti, contentio hujusmodi causa provenit. Pro apostolicis dogmatibus laborantes, sicut jam dictum est, erant divisi; et alii post calumnias irrogatas Eustathio, Arianam abominati vesaniam, apud semetipsos sacra celebrantes, Paulinum habebant antisitem; alii vero post ordinationem Euzoii, cum Meletio convenientes, ejus doctrina fruebantur. Ad hæc autem Apollinæ Laodicæ alterius partis sibi met præsulatum assumpsit. Qui dum pietatis indueret vultum, et apostolica seINGERET dogmata conservare; post pantalum manifestus hostis apparuit. De divina namque natura aditernis rationibus utebatur, gradus **332** quosdam generans dignitatem, et sacramentum dispensationis imperfectum explanare præsumens, animi inque rationalem, quæ corpus regit, privatam salute confirmans. Si enim animam non assumpsit secundum illius rationem Deus Verbum, neque medicinam præbuit, neque honorem dedit; sed corpus quid in terrenum ab invisibilibus virtutibus adoratur; anima vero, secundum divinam imaginem facta, in infer ora permansit, contumeliis induta peccati. Qui plurima super hæc vesanus asseruit. Aliquando etenim pariter constebatur et ipse ex sancta Virgine assumptam carnem, aliquando vero eam cum Deo Verbo caelitus descendisse, aliquando

enim ipsum factum carnem, sumpsisse nihil ex nobis. Aliasque plurimas et inanes fabulas sarris promissionibus copulabat, quas in præsenti dicere superfluum judicavi. Talia siquidem ille dicens, non solum suos peste complevit, sed etiam quosdam nostrorum fecit hujusmodi lepra participari. Post paucum vero tempus, dum suum viderent opprobrium, et Ecclesiae claritatem, pene cuncti reversi sunt, et communionem ecclesiasticam percipere meruerunt; non tamen priorem deposuere languorem, sed magis plurimos constantium latenter sauciaverunt. Ex hac ergo radice in Ecclesiis germinavit una carnis deitatisque natura, et ut divinitati Unigeniti passio copuletur; et alia quaecunque populis et sacerdotibus certamina genuerunt. Sed hæc quidem postea facta sunt. Tunc igitur veniente Sapere magistro militiæ, et ostendente principis legem, Paulinus quidem fabelatur se Damasi esse participem. Promittebat etiam Apollinaris, hoc ipso languore celato. Sacratissimus vero Meletius sub quiete degens, illorum certamina devitabat. Porro Flavianus sapientissimus tunc in ordine presbyterii constitutus, primo quidem veniente magistro militum, ita ad Paulinum locutus est: Si communionem Damasi, o amice, sectaris, ostende nobis dogmatum tuorum aperte consortium; ille namque dum unam Trinitatis substantiam confitetur, tres subsistentias prædicat in aperto; verumtamen e diverso subsistentias perimis Trinitatis: ostende itaque dogmatum concordiam, et suscipe secundum leges ecclesias [Ms. Lyr., secundum leges ecclesiasticas]. Cum ergo illum his sermonibus objurgasset, conversus Apollinari dixit: Admiror te, o amice, sic impudenter veritati resistere, cum aperte noveris quoniam laudabilis Damasus perfectæ naturam notatam a Deo Verbo dicit assumptam: tu vero contraria fatearis. Mentem namque nostram salute fraudas. Si autem false loquimur, te forsitan accusantes; vel nunc novitatem a te natam denega, et Damasi amplexus doctrinam, sectam suscipe venerandam [Ms., septa veneranda] veritatis. His itaque rationibus sapientissimus Flavianus illorum fiduciam ita redarguit. Porro Meletius omnium mansuetissimus, omnium tranquillissimus atque modestus, Paulino dixit: Quoniam et mihi harum ovium curam commisit Dominus, et tibi similiter aliarum, suscipe hanc sollicitudinem, et communica alterutris sub dogmate pietatis. Jungamus amice greges, et solvamus de præsulatu contentionem: communiter pascentes oves, curam earum communiter offeramus. Si autem de sede certamen est, ego etiam hanc contentionem consabor expellere. In sede sacrum ponatur Evangelium, et ex utraque nos parte sedeamus. Et si quidem prius ego terminum vitæ suscepero, solus eris antistes; si vero hoc tibi prius e venerit, ego rursus gregis habebo curam. Cum hæc ergo Meletius cum omni mansuetudine protulisset, Paulinus acquiescere non consensit. Tunc magister militiæ, iudex utrorumque verborum, ecclesias Meletio tradidit. Paulinus autem aliarum ovium pertransit antistes. Verum Apollinaris præsulatu Ecclesie nudatus, novitatem doctrinæ suæ

A aperta impudentia prædicabat, et ducem semetipsum ostendit hæreseos, et ipse quidem in Laodicea crebro morabatur. In Antiochia vero jam prius Vitalem ordinaverat, vita quidem optima decoratum, et apostolicis dogmatibus enutritum [Ms. Lyr., eruditum], postea tamen hoc languore per refectum. Porro sacratissimus Meletius Diodorum illum cuius jam meminimus, qui sub hac tempestate nimis asperissima, Ecclesie navem sine submersione servaverat, Tarsensium pastorem constituit, eique Ciliciæ gentis curam commisit: Apameiæ vero pontificalem curam Joanni dedit; qui licet genere ac nobilitate fulgebat, tamen progenitores propriis virtutibus adornabat. Hunc ergo et sermo decorabat et vita. Is itaque tempore tempestatum confidelium suorum numerum gubernavit, cooperatorem habens laudabilem Stephanum, quem sacratissimus Meletius ad alia certamina destinavit. Nam dum agnovisset Germanicam Eudoxii peste corruptam, hunc ibi tanquam sapientissimum medicum destinavit. Erat enim omni Græcorum doctrina plenus, et divinis dogmatibus farcinatus [Ms. Lyr., saturatus]. Quamobrem spe sua fraudatus non est. Usus namque dono spiritualis doctrinæ, lupos mutavit in oves. Porro magnus Eusebius de exilio remeans, Acacium summæ claritatis virum in Beroæ ordinavit episcopum, in Hierapoli Theodotum, cuius mira conversatio hactenus decantatur; Eusebium in Chalcide, in Cyro nostra Isidorum. Alunt enim quia etiam Eulogium, qui pro apostolicis dogmatibus fuerat decertatus et in Antinoë cum Proogene missus exilio, Edesæ ordinasset episcopum. Bares enim sacratissimus, jam de præsentem luce migraverat. Sanctus vero Eusebius ultimum episcopum Marin in civitate Dolicha fecit. Hæc enim parva civitas vesaniam tunc obclinuerat Arianam. Ubi dum accessisset Eusebius, ut Marin, virum pluribus virtutibus decoratum, in sede collocaret episcopati, quædam mulier Ariana peste completa, tegulam de tecto demisit, qua ejus caput valde contrivit, isque post paululum ad vitam meliorem de hac luce migravit. Qui moriens, præsentem jurejurando constrinxit ut ab ea quæ hoc fecisset nullo modo pœnas exigerent, imitatus Dominum suum, qui pro crucifixis ait: *Pater, dimitte eis; non enim sciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34); simul et conservum Stephanum, qui post multos lapidum jactus clamabat: *Domine, ne eis statuas hoc peccatum* (Act. vii, 59). Hoc ergo modo magnus Eusebius est defunctus. Et qui Turaciæ barbaros evitavit, impiorum hæreticorum manus declinare non potuit; sed martyrii coronam illorum ferocitate suscepit. Hæc ergo gesta sunt post reversionem episcoporum. THEODOKETUS, lib. v, cap. 3. Edit. Christ. Vales. cap. 2 et 3, p. 200.

333 CAPUT IV.

De Theodosii ducatu, et quomodo a Gratiano imperatore fuerit ordinatus, et ad Orientale missus imperium, orthodoxis profuerit, et retruserit hæreticos.

Porro Gratianus Thraciam barbaros vastare cognoscens, Italia relicta, in Phoenicem [Ed. Frob. et Niv., Pæoniam vel Pannoniã] venit. Ea tempestate

Theodosius tam propter parentum nobilitatem quam A pro fortitudine propria nominatissimus habebatur; et ob hanc causam invidia similium iudicum fatigatus, in Hispania morabatur, ubi et ortus fuerat et nutritus. Cumque imperator quid faceret hæsiteret; quippe cum barbari elevati victoria inexpugnabiles esse viderentur, ducatu Theodosii pugnam credidit terminari: repente siquidem euni ab Hispaniis evocans, et magistrum militum esse denuntians, cum expeditu ad barbaros desinavit. At ille fide munitus, confidenter ad Thracias est profectus. Quo dum venisset, vidissetque barbaros, exercitum ordinavit ad pugnam. Congressione vero facta, impetum barbari non ferentes, suas acies reliquerunt. Et illi quidem fugiebant, hi vero fortiter sequebantur. Immensaque caedes tunc facta est barbarorum. Plurimis igitur interemptis, paucisque latenter transeuntibus Histrum, mox dux optimus exercitu disperso per vicinas urbes, ipse velociter remeavit ad principem, ita ut ipse triumphorum suorum nuntius exstitisset. Quod tamen nec ipsi imperatori, dum miraretur factum, credibile videbatur. Invidi siquidem etiam fugisse eum dicebant, et exercitum perdidisse. At ille derogantes sibi petiit dirigi, qui viderent hostium multitudinem peremptorum. His verbis imperator flexus, direxit qui res actas inspicerent, eique renuntiarent. Porro dux optimus inter hæc divinam visionem vidit, et ab ipso Deo aperte sibi monstratam. Conspexit enim in somnis quia sanctus Meletius Antiochenæ civitatis antistes, chlamydem sibi vestiret imperialem, et corona caput ornaret. Hæc cum nocte vidisset, cuidam mane retulit amicorum [Ed., clericorum]. At ille clarum esse somnium dixit, et nihil ænigmaticum, nihil dubium continere. Cumque pauci omnino transissent dies, qui pro victoriæ inspectione missi fuerant remeaverunt, peremptaque hostium multâ millia narraverunt. Quamobrem lætatus princeps, Theodosium fecit imperatorem. THEODORETUS, lib. IV, v, vi, p. 203.

Consulatu Ausonii et Olibrii (An. Dom. 379), sexta decima die Januarii mensis. SOCRATES, lib. v, cap. 2, p. 200.

Traditaque ei sceptrorum parte Valentis, ipse rusus ad Italiam rediit, et illum ad regna collata transmisit. Mox igitur ut imperium sumpsit, præ omnibus de concordia Ecclesiæ cogitavit, et uniuscujusque præsulatus episcopos Constantinopolim convenire præcepit. Hæc sola erat Ariano plena contagio; nam Occidentis liber ab hujusmodi languore permansit. Constantinus enim senior, filius Constantini majoris, et Constans junior, paternam fidem integram servaverunt. Rursus etiam Valentinianus imperator Hespericiæ inviolatam custodivit fidei pietatem. Orienti autem tractus multifariam hujusmodi labe completus est. Arius enim Alexandrinæ presbyter civitatis hanc ibi genuit blasphemiam. Post quem Eusebius, Patrophilus et Aetius, Pælestini, et Paulinus atque Gregorius, Phœnicæ, et Laodicensis Theodotus [Ms. Santheod., Theodolus], cumque his Geor-

gius, post quos etiam Athanasius et Narcissus, Cilicæ, et alii plurimi male jactata semina nutriverunt. Illis igitur nequissimis cultoribus fuit cooperato Constantius atque Valens. Pro hac ergo solummodo causa, Theodosius suo subjacentes imperio Constantinopolim congregari præcepit episcopos. THEODORETUS, lib. v, cap. 6, p. 205.

CAPUT V.

Quomodo Macedoniani denuo ab orthodoxis divisi sint.

In Ærea Macedoniani, post legationem ad Liberium destinatam, aliquanto tempore sine discretione communicabant ipsi et iis qui ab initio definitionem fidei Nicænæ susceperant. Cumque lex principis Gratiani licentiam religionibus, sicuti vellent, communicare præbuisset, denuo sunt divisi; congregatique in Antiochia, statuerunt vocem consubstantialitatis amovendam, et venerantibus Nicænâ fidem non esse communicandum. Sed plurimi, videntes eorum varietatem, recesserunt ab eis, et consubstantialitatis sectatoribus sunt uniti. SOCRATES, lib. v, cap. 4, pag. 261.

CAPUT VI.

Quomodo Theodosius imperator Thessaloniciæ baptizatus sit.

Cumque Theodosius bello barbaros superasset, et illi Romanos amicos habere deprecarentur, causa fœderis acceptis obsidibus, Thessaloniciam venit. Ubi dum in ægritudinem incurrisset, ab Acolio ejus civitatis episcopo baptizatus est, licet a progenitoribus Christianum dogma et fidem Nicæni concilii sequeretur. SOZOMENUS, lib. vii, cap. 4, p. 707.

Tunc igitur baptizari cupiens propter infirmitatem, Thessalonicensium requisivit episcopum, cujusnam fidei esset. Quo respondente quoniam Ariana pestis in Illyricum non valuisse accedere; sed inviolatam ab initio fidem Nicæni concilii conservarent, ille libenter ejus verba suscipiens, baptizatus atque ab ægritudine liberatus est. SOCRATES, lib. v, cap. 6, p. 262.

CAPUT VII.

Professio Theodosii de fide.

Cogitans igitur imperator quia melius esset pronuntiare subjectis cujus esset fidei, ne videretur vim facere, si quemquam subito invitum ad cultum religionis impelleret, legem e Thessalonica populo Constantinopolitano proposuit. Hoc enim visum est, ut veluti de quadam civitatis arce omnibus subjectis, aliisque civitatibus indicante scriptura, fieret manifesta. Cujus legis verba sunt hæc:

334 Impm. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius Augg. ad populum urbis Constantinopolitanæ.

Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum, virum apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam evangelii-

eamque doctrinam, Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam Deitatem, sub pari maiestate et sub pia Trinitate, credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos vero dementes vesanosque iudicantes hæretici dogmatis infamiam [ed. V., insaniam] sustinere, divina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Data in ca'end. Martias, Thessalonicae, Gratiano quinto et Theodosio Augg. coss. (An. Dom. 380).

Hæc sanctiens post paululum Constantinopolim venit. SOZOMEN., lib. vii, cap. 4, p. 708.

CAPUT VIII.

De Gregorio Nazianzeno Constantinopolim translato.

Tunc igitur Gregorius Nazianzenus communi decreto multorum episcoporum in Constantinopolim transmigratus, intra civitatem in parvo oratorio sacra celebrabat. Cui loco postea principes basilicam maximam copulantes, eam vocaverunt Anastasiani. SOZOMEN., lib. vii, cap. 5, p. 708.

CAPUT IX.

De basilica sanctæ Anastasiæ.

Quæ non solum pulchritudine et magnitudine, verum apertissima apparitione Dei noscitur illustrari. Illic enim divina virtus in somnis, et aperte, plurimis et frequenter multisque languentibus, et interim in rerum periculis constitutis, subvenisse dignoscitur, ita ut crederetur ab aliquibus sanctam Mariam, Christi Matrem Virginem hanc esse; cum tali namque habitu multis ostenditur. Quam basilicam ideo Anastasiam vocant, sicuti reor, eo quod dogma Nicæni concilii in Constantinopoli, quasi jam mortuum, eo loco expositionibus Gregorii resurrexit. Ego tamen audivi quosdam veriloquos retulisse, dum populus illic congregaretur ad missas, mulierem prægnantem de superiore porticu cadentem defunctam fuisse; tuncque communi oratione facta super eam, revixisse, et cum partu salvatam esse. Quam ob rem nimis inopinabile Anastasiæ nomen, id est resurrectionis accepit. SOZOMEN., lib. vii, cap. 5, p. 708.

CAPUT X.

Quomodo Theodosius ab Ecclesia Constantinopolitana Arianos repulerit.

Gregorius itaque vir eloquentissimus ac venerandus, agnoscens aliquos murmurare, eo quod esset ex alia civitate, adveniente principe, Constantinopolim habitare declinabat. Imperator tamen, dum in tali statu invenisset Ecclesias, cogitabat quemadmodum pacificaret omnes, et cunctas auget Ecclesias. Mandavit ergo repente Demophilo, qui tunc Arianæ religioni præsidebat: Si vis, inquit, credere secundum Nicæni dogma concilii, uniatu' populus et suscipiat pacem. Cumque ille propositionem huiusmodi refugisset, tunc Imperator: Si pacem, inquit, concordiamque declinas, fugere te etiam a sacris basilicis ego præcipio. Hæc audiens Demophilus, et cogitans quia grave esset potioribus resultare, convocans in ecclesiam plebem, et surgens in medio cunctorum, hæc per se subjectis verba locutus est: Fratres,

scriptum est in Evangelio: Si persecuti vos fuerint, ex ista civitate fugite in aliam (Matth. x, 27). Quia igitur imperator ecclesiis opus habet, scitote crastina nos collectam foris urbem celebraturos. Hæc cum dixisset, egressus est: non tamen sic intelligens Evangelii verba quemadmodum dicta sunt. Illic enim præcipitur ut fugientes habitationem mandanam, Jerusalem requirant supernam. Egressus ergo de civitate ante portas, conciliabula celebrabat. Cum quo simul exiit Lucius Alexandria pulsus, qui tunc apud Constantinopolim morabatur. Sic itaque Theodosii concordiam non ferentes, post quadraginta annos ecclesias quas vi tenerant reliquerunt. Egressi de civitate quinto consulatu Gratiani, et Theodosii primo (An. Dom. 380), mense Novembri. Quo facto, Nicæni fidei sectatores ecclesias reciperunt. SOZOMEN., lib. v, cap. 7, p. 265.

CAPUT XI.

De Eunomii calliditate.

Igitur cum Eunomius Valentis temporibus a suis clericis recessisset, apud semetipsum in Bithynia morabatur, vir callidus et dicendi peritus, multusque populus concurrebat ad eum: alii experiri volentes, alii audire quæ diceret. Hujus fama pervenit ad principem; cum quo ipse quoque voluit habere sermonem: sed Augusta Flacilla precibus eum retinuit. Erat enim fidelissima, et Nicæni dogmatis iura sub integritate servabat, timuitque ne, ut assolet, eloquio viri callidi captus imperator, facile in sectam ejus incurreret. SOZOMEN., lib. vii, cap. 6, p. 710.

CAPUT XII.

De concilio Constantinopolitano contra Macedonianos.

Interea cum episcopi centum et quinquaginta fuissent apud Constantinopolim congregati, 335 præcepit imperator ut nullus proderet quis esset maximus ille Meletius. Volebat enim ex memoria sui somnii virum illum sibi iudicari; cum ergo omnis illa multitudo pontificum regiam introisset domum, relictis omnibus ad magnum currit Meletium, et veluti quidam filius patris amator, post multum tempus paterna visione positus, amplectebatur eum, et simul osculabatur oculos, labia, pectus, et caput, dextramque qua eum in somnio coronaverat, insinuavitque illi quam viderat visionem. Cumque etiam ceteros congrue salutasset, rogavit tanquam Patres ut de rebus præsentibus cogitarent (SOZOMEN., lib. v, cap. 7, p. 206). — et ut in urbe Constantinopolitana ordinaretur episcopus. Et cum speraret posse Macedonianos uniri, etiam eorum convocavit episcopos. Convenerunt ergo de consubstantialitatis fide Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, post poenitentiam in consubstantialitatis dogma consentiens, Meletius Antiochiæ, et Acholius Thessalonicae, alique plurimi; ita ut centum et quinquaginta numerus impleteret. Macedonianis vero præerat Eleusius Cyzici, et Lampasaci Marcianus; erantque simul triginta sex, quorum plurimi esse videbantur de civitatibus Hellesponti. Convenerunt ita-

que consulatione Eucharitii et Evagrii (*An. Dom. 381*), A
 mense Maio. Igitur imperator et episcopi partis ejus
 laborabant ut Eleusius ejusque sequaces unirentur Ec-
 clesie: commemorantes eis legationem quam mise-
 rant ad Liberium, tunc Romanæ urbis episcopum,
 per Eustabium, et quia dudum sponte ei communi-
 cassent; nec esset sine pudore, ut subito bene prius
 placita permutarent. At illi ejus monita apertaque
 convicia parvipendentes, elegerunt sequi p. tius Aria-
 nam pestem quam consubstantiali dicere Trinita-
 tem. Hæc fatentes de Constantinopoli sunt egressi,
 et scribebant alterutris ne quis eorum in Nicæni concilii
 dogmate consentiret. SOCRATES, *lib. v, cap. 8, p. 264.*

CAPUT XIII.

*De ordinatione Maximi Cynici ejusque depositione, et
 ordinatione recta Nectarii, et de canonibus in ea
 synodo constitutis.*

Gregorius itaque, qui tunc Constantinopolitanam
 regebat Ecclesiam, Nazianzum remeare tendebat.
 Pro quo cum episcopatus Constantinopolitanæ vacaret
 Ecclesie, Timotheus Alexandrinus, Petri succes-
 sor, Maximum quemdam Cynicum ordinavit episco-
 pum, cum nuper totondisset eum. Is enim erat etiam
 Apollinaris vesania farcinatus. Sed non pertulerunt
 hoc malum viri sanctissimi Constantinopoli congre-
 gati. Et dum Ægyptii maxime se pro ejus ordina-
 tione separassent, sacra officia cum Gregorio cele-
 brabant. At ille graviter ferens rursus factam divi-
 sionem, exorabat universos ut laude dignum virum
 quærerent, quem pontificem ordinarent. Tunc illi
 ejus verbis acquiescentes, Nectarium generis nobilitate
 decoratum constituerunt Constantinopolitanæ civitati
 episcopum; Maximum vero Apollinaris contagio
 laborantem, nudatum pontificali dignitate pro-
 jecerunt. THEODORETUS, *lib. v, cap. 8, p. 206.*

Tunc etiam regulam protulerunt ut Constantino-
 politanus episcopus haberet honoris privilegia post
 pontificem Romanum, eo quod sit nova Roma. Fir-
 maveruntque rursus Nicænam fidem, et patriarchas
 constituerunt, distribuentes provincias, ut episcopi
 uniuscujusque diocesis ad Ecclesias non irent ex-
 traneas. Hoc enim primitus propter persecutionis
 tempus indifferenter agebatur. Distribuerunt itaque
 Nectario quidem maximam civitatem et Thraciam; D
 Ponticam vero diocesim Helladio, qui post Basili-
 um fuit; Cæsariæ Cappadociæ Gregorio Nysseno,
 Basilio germano; Troilo quoque Melitenæ Armeniæ
 jus patriarchæ dederunt; Asiannam vero diocesim
 Ieonii Amphilocheus est sortitus; Optimus autem
 Antiochiæ Pisidiæ; Ægyptum quoque Timotheo
 Alexandrino distribuerunt. Porro Ecclesiarum orient-
 alium gubernationem ejus præsulibus commiserunt
 Pelagio Laodiceno et Diodoro Tarsi, Antiochenæ
 Ecclesie privilegia reservantes, quæ tunc Meletio
 præsentem dederunt. Definierunt pariter, ut si quid in
 provincia qualibet emergeret, provinciæ concilio fi-
 miretur. In his omnibus suum præbuit etiam impera-
 tor assensum. SOCRATES, *lib. v, cap. 8, p. 265.*

Parvo siquidem tempore transcurte, sanctus qui-
 dem Meletius est defunctus, et ab omnibus sapien-
 tibus cum præconiis maximis est sepultus. THEODO-
 RETUS, *lib. v, cap. 8, p. 266*

Æstate vero sequente, rursus plures episcopi ad
 Constantinopolim pro causis ecclesiasticis sunt re-
 versi, ubi occidentalium episcoporum synodicam
 susceperunt epistolam, invitantem eos ad Romam,
 ut illic maximum celebraretur concilium. Sed illi
 quidem profectionem, quasi nihil habituram lucri,
 refugerunt; verum litteras direxerunt Damaso cæ-
 terisque præsulibus, quas pro clariori notitia sub-
 dere necessarium judicavi. THEODORETUS, *lib. v,
 cap. 8, p. 207.*

CAPUT XIV.

B *Epistola Constantinopolitani concilii ad papam Dama-
 sum et occidentales episcopos.*

Domini honorabilibus atque venerandis fratribus
 et coministris Damaso, Ambrosio, Brittonio, Va-
 leriano, Acholio, Basilio et reliquis sanctis episco-
 pis in maxima Roma collectis, sancta synodus or-
 thodoxorum episcoporum congregatorum in maxima
 civitate Constantinopoli, in Domino salutem.

Velut ignorantiam vestre reverentiæ insinuare atque
 narrare multitudinem passionum ab Ariana poenitentia
 nobis sapius illatarum, forsitan supervacuum est.
 Non enim ita negligere vestram credimus sanctita-
 tem, ut adhuc egatis discere, quos certum est con-
 dolere. Sed neque tales nos constrinxerunt tempe-
 rates, ut pro sui parvitate latere potuissent. Neque
 tempus persecutionis est novum; sed adhuc memo-
 riam servat antiquam, non solum in his qui passi
 sunt, sed etiam in eis qui participes sunt illorum
 quorum proprias indicant passiones. Hesternum enim,
 ut ita dicamus, aut hodie exsiliorum vinculis resolu-
 ti, post innumeras tribulationes ad Ecclesias pro-
 prias sunt reversi. Aliorum vero in exsilio defuncto-
 rum funera revocata sunt. Quidam vero etiam ab
 exsilio 336 remeantes, et ferventi hæreticorum fu-
 rore deventi, amariora quam in exsilio, in propriis
 sunt percipi, lapidibus ab eis obruti, sicuti beatus
 Stephanus. Alii diversis macerati sunt suppliciis,
 adhuc stigmata Christi et vulnera in suo corpore
 circumferre noscuntur. Pecuniarum vero dispendia,
 honoris ademptiones, singulorumque confiscationes
 et machinamina, injurias atque vincula, quis nume-
 rare valebit ad singula? Omnes enim tribulationes
 vere super nos multiplicatæ sunt ultra numerum.
 Juste quidem, quoniam valde peccavimus. Aut certe
 clemens Dominus passionum multitudine nos voluit
 exercere. Propter hæc itaque gratias Deo referimus:
 quia et per tantas tribulationes servos corripit suos,
 et secundum multitudinem miserationum suarum de-
 duxit nos rursus ad refrigerium. Nobis itaque tem-
 pus et labor maximus necessarius fuit, quatenus
 emendatio proveniret Ecclesiarum; ut, tanquam pro
 longa ægitudine, diligentia paulatim adhibita, pri-
 scam pietatis redderet sanitatem. Hoc etenim modo
 putabimur persecutionibus acerrimis liberari, et Ec-

clesias, longo tempore ab hæreticis detentas, denuo
 reparare. Verumtamen graves adhuc nobis sunt
 lupi, qui postquam de caulis expulsi sunt, ex ipsis
 pascuis oves abripiunt: collectas facere contendentes,
 populos commoventes, et in nullo segnes ad Ec-
 clesie læsionem. Erat itaque, sicut diximus, neces-
 sarium huic operi tempus. Quia tamen fraternam
 circa nos charitatem ministrantes, synodum in Ro-
 mana urbe Dei voluntate fecistis, et nos illic tan-
 quam membra propria, litteris Deo amabilis princi-
 pis evocastis; ut quoniam tunc ad tribulationes soli
 sumus addicti, nunc sub imperatorum pia concordia
 non sine nobis regnaretis; sed etiam nos vobiscum,
 secundum apostolicam vocem (1 Cor. iv, 8), conre-
 gnaremus. Oratio quidem nostra fuit, si esset possi-
 bile ut omnes nostras simul relinquentes Ecclesias,
 desiderio utili jungeremur. Quis enim nobis dabit
 pennas sicut columbæ, ut volemus, et apud vos re-
 quiescamus (Psal. ltv, 7)? Sed quoniam hoc omnino
 nudabat Ecclesias, requie nuper inchoata, resque ni-
 mis erat plurimis impossibilis: quia concurreramus
 in urbem Constantinopolitanam causa litterarum ad
 nos præterito anno directarum a vestra charitate
 post Aquileiense concilium ad Deo amabilem impe-
 ratorem Theodosium, propter hanc solummodo cau-
 sam usque ad Constantinopolim properati, et de hac
 tantummodo synodo ferentes consensum episcopo-
 rum qui per provincias permansere. Majoris vero
 perfectionis neque speravimus opus, neque præaudi-
 vimus omnino, antequam Constantinopolim venire-
 mus. Super hæc autem induriam angusto tempore
 faciente, neque preparare nos valentes ad longam
 perfectionem, neque universos communicatores nos-
 tros, in provinciis positos commonere, et eorum
 consensum sumere prævaluimus. Quoniam igitur
 hæc et alia multa plurimorum adventum prohibere
 videbantur, quod erat secundum effectum [ed., se-
 cundum, ad effectum] rerum, et vestræ circa nos
 charitatis ostensionem, hoc egimus: reverendissi-
 mos atque charissimos fratres et ministros nos-
 tros episcopos Cyriacum, Eusebium et Priscianum
 usque ad vos laborare alacriter exorantes, per quos
 et nostram voluntatem pacificam et intentionem ha-
 bentem unitatis ostendimus, zelumque nostrum quem
 pro saluberrima fide gerimus, indicamus. Nos etenim
 persecutiones, sive tribulationes, sive minas
 imperiales, sive crudeliter iudicium, sive qualibet
 alias tentationes hæreticorum, libenter sustinimus
 pro evangelica fide, quæ in Nicæa Bithyniæ a trecentis
 decem et octo Patribus roborata dignoscitur.
 Hanc enim et vobis, et nobis, et omnibus qui non
 subvertunt verbum veræ fidei, complacere confidi-
 mus, quam scimus antiquissimam existere, et sequa-
 rem baptismatis, docentemque nos credere in no-
 mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Divinitatem
 quippe, et virtutem, atque substantiam unam Patris,
 et Filii, et Spiritus sancti credimus, et æqualem
 honorem ac dignitatem, et imperium coæternum, in
 tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus per-
 fectis personis; ut neque Sabellini languor habeat

locum confusione subsistentiarum aut preemptione
 proprietatum; neque Eunomianorum, et Ariano-
 rum, et Pneumatomachorum, il est Spiritu resisten-
 tium, blasphemia prævaleat; substantia videlicet
 secundum illos, aut natura, aut divinitate divisa, et
 increata consubstantiali, et coeternæ Trinitati pos-
 trema quadam vel creata, vel alterius substantiæ
 natura detur. Inhumanationis vero Christi se-mo-
 nem sine aliqua violatione servamus, neque sine
 anima, neque sine mente, aut imperfectam carnis
 dispensationem suscipientes; sed totum scientes
 perfectum quidem ante sæcula existere Dei Ver-
 bum, perfectum vero huiusmodi in novissimo diebus
 propter nostram salutem factum. Igitur quæ de fide
 a nobis aperte prædicantur, velut in summa hæc
 esse noscuntur: de quibus amplius instrui poterit-
 tis, si et totum in Antiochia factum a synodo illi
 constituta dignemini legere, et quod anno superiori
 in Constantinopoli ab universali synodo cognoscitur
 esse prolatum: in quibus latius fidem professi sum-
 mus, et contra novitates hæresum nuper exortas
 anathemata ex scripto protulimus. De dispensatio-
 nibus autem particularibus Ecclesiarum antiqua,
 sicuti nostis, sanctio tenuit, et definitio sanctorum
 Patrum in Nicæa convenientium secundum utram-
 quamque provinciam; et si pontifices voluerint, ut
 cum eis vicini propter utilitatem celebrent ordina-
 tiones: quibus rebus consequenter et cæteras eccle-
 sias apud nos ædificari cognoscite, et insignium ec-
 clesiarum hæc approbasse sacerdotes. Porro Con-
 stantinopolitanæ urbis novellam, ut ita dicamus,
 Ecclesiam, velut ex ore leonibus hæreticis suffragam
 blasphemias abstraximus; et per misericordias Dei
 reverendissimum et Deo amabilem Nectarium epi-
 scopum ordinavimus coram universali concilio cum
 communi concordia, sub aspectu etiam Deo amabilis
 imperatoris Theodosii, universique cleri, cuncta decer-
 neret pariter civitate. In seniore autem et verò
 apostolica Ecclesia Antiochiæ Syriæ, in qua prius
 venerabile Christianorum appellatum est nomen,
 reverendissimum et Deo amabilem episcopum Fla-
 vianum, de universa provincia et orientali diocesi
 concurrentes, regulariter ordinarunt, omni Ecclesia
 pariter decernente, et quasi sub una voce hunc ho-
 norante virum. Quam ordinationem, tanquam lega-
 lem suscepit commune concilium. In matre vero
 cunctarum Ecclesiarum Hierosolymis constituta,
 reverendissimum et Deo amabilem Cyrillum epi-
 scopum esse significamus; qui regulariter olim a pro-
 vincialibus ordinatus, 337 plurima propter Arianos
 diversis temporibus certamina passus est. His
 igitur tam legaliter et canonicè apud nos gestis,
 etiam vestram reverentiam congaudere deposcimus,
 spirituali intercedente dilectione, et timore domi-
 nico, per quæ [mas. quem] humana removetur offensa
 et Ecclesiarum ædificatio præponitur universis.
 Sic etenim verbo fidei concordante, et Christiana in
 nobis charitate firmata, cessavimus dicere quod re-
 prehendebat Apostolus: *Ego quidem sum Pauli, ego
 vero Apollo, ego autem Cepha* (1 Cor. i, 12); dum

omnes videlicet appareamus [ms. *Lyr.*, videamur] A bitaque supplicia sustinebit. Si vero quibusdam levioribus ille suadet, veluti quamdam spem habens, qui veram spem in Christi confessione mutavit, scient, se cum isto similiter perituros, cum quo ecclesiasticæ regulæ resultabunt. Deus vos incolumes custodiat, filii charissimi. THEODORETUS, *lib. v, cap. 1^o*, p. 212.

Hæc contra Arii, et Aetii, Eunomiique, vesaniam, nec non contra Sabellii, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni et Macedonii, conscripserunt. Similiter autem et Apollinaris novitatem palam abdicaverunt, dicentes, Inhumanationes vero Domini sine violatione servamus; neque sine anima, neque sine mente, aut imperfectam carnis dispensationem suscipientes.

Porro Damasus omni laude dignissimus, agnoscens hanc hæresim exortam fuisse, non solum Apollinarem, sed etiam Timotheum discipulum illius abdicavit. Et hoc Orientem gubernantibus episcopis B litteris propriis indicavit, quas curavi subter adnectere. THEODORETUS, *lib. v, p. 208*.

CAPUT XV.

Epistola Damasi de damnatione Apollinaris ad Timotheum.

Quoniam apostolicæ sedi reverentiam debitam charitas vestra distribuit, vobis plurimum, charissimi filii, præstitistis. Nam licet Ecclesiæ in qua sanctus apostolus residens docuit quodammodo nos gubernacula, quæ suscepimus, teneamus, tamen profiteamur nos honore minores esse, et propterea omni modo festinamus, ut ad gloriam ejus beatitudinis pervenire possimus. Scitote igitur quia dudum Timotheum profanum, ineruditum, Apollinaris hæretici discipulum, cum impio ejus dogmate condemnavimus, C nec ultra concedimus ejus reliquias qualibet ratione de cætero prævalere. Si autem adhuc ille scripens antiquus, semel et secundo percussus, ad poenam propriam reviviscit; quique extraneus ab Ecclesia est mortiferisque venenis suis quosdam fidelium tentare non cesat, hanc tanquam pestiferam declinate corruptionem, quatenus vos memores apostolicæ fidei, quæ præcipue in urbe Nicæna a Patribus ex scripto prolata est, firmo gradu stabiles in fide et immutabiles perduretis; et non vaniloquia et exterminabiles quæstiones ab isto audire patiamini clericos vestros aut plebem. Jam enim semel formam dedimus (*Ed. V.*, didicimus), ut qui semetipsum cognoverit Christianum, illud servet quod ab apostolis nōscitur esse contraditum, dicente sancto Paulo: D *Si quis vobis annuntiaverit præter id quod accepistis, anathema sit (Galat. 1, 9)*. Christus enim Filius Dei, Dominus noster, humano generi per propriam passionem salutem plenissimam condonavit, ut totum hominem delictis obnoxium peccatis omnibus liberaret. Hunc si quis in deitate sive in humanitate minus aliquid dixerit habuisse, plenus spiritu diaboli, gehennæ semetipsum filium demonstravit. Cur itaque rursus a me quæritis damnationem Timothei? Qui et hic iudicio apostolicæ sedis, præsertim quoque Petro Alexandrinæ civitatis episcopo, cum Apollinari suo doctore damnatus est, et in die iudicii tormenta de-

CAPUT XVI.
Statuta sedis apostolicæ contra diversas hæreses.

Vel, secundum ms. Santheod.

Professio catholicæ fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum episcopum in Macedonia, qui fuit in Thessalonica.

Sed etiam alia quædam in eminentissima Roma colligentes, contra diversas hæreses conscripserunt, quæ huic operi necessaria subdere judicavi.

1. Quoniam post Nicænam concilium talis error exortus est, ut quidam dicere profano ore præsumant, sanctum Spiritum per Filium fuisse factum, anathematizamus eos qui non cum omni prædicant libertate cum Patre et Filio sanctum Spiritum unius ejusdemque substantiæ atque potestatis existere.

2. Similiter autem anathematizamus et eos qui errorem Sabellii sunt secuti, eundem dicentes Patrem esse quem Filium.

3. Anathematizamus Arium et Eunomium, qui simili impietate, licet verbis discrepent, Filium tamen et Spiritum sanctum creaturam esse confirmant.

4. Anathematizamus Macedonianos, qui ex Ariana radice derivati, non impietatem, sed vocabulum mutaverunt.

5. Anathematizamus Photinum, qui Hebionis hæresim renovans, Dominum nostrum Jesum Christum solum ex Maria confitetur.

6. Anathematizamus etiam eos qui duos filios esse profitentur: unum ante sæcula, et alium post carnis assumptionem ex Virgine.

7. Anathematizamus et hos qui pro rationali anima conflant quia Dei Verbum in humanam carnem conversum est; ipse namque Filius Verbum Dei, non pro rationali anima et intelligibili in suo corpore factus est; sed nostram, hoc est rationalem et intelligibilem animam sine peccato assumpsit atque salvavit.

8. Anathematizamus et eos qui dicunt Verbum Dei productione et corruptione a Patre separatum, et sine subsistentia (*Ed. Niv.*, substantia); eum autem terminandum esse blasphemant. Eos autem qui ab Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverunt, tandiu a nostra communione alienos habemus donec ad eas redeant civitates in quibus primitus ordinati sunt.

9. Si quis autem, alio de loco migrante, ad locum viventis ordinatus est, tandiu vacet sacerdotii 333 dignitate, qui propriam deseruit civitatem, donec ejus successor requiescat in Domino.

10. Si quis non dixerit semper Patrem, et Filium, et semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.

* Ms. Santheod. hic apponit numerum nonum, et alios deinceps mutat.

11. Si quis non dixerit Filium natum ex Patre, **A** salus est, ut credentes Trinitati, hoc est, Patri et hoc est, ex ejus divina substantio, anathema sit.

12. Si quis non dixerit verum Deum Filium Dei, sicut verum Patrem ejus, et omni posse, et omnia nosse, et Patri æqualem esse, anathema sit.

13. Si quis dixerit quia in carne degens Filius Dei, cum esset in terra, in cœlis et cum Patre non fait, anathema sit.

14. Si quis dixerit quia in passione crucis dolorem passus est Filius Dei Deus, et non caro eum anima, qua induta est forma servi, quam sibi met assumpsit, sicut sancta Scriptura dixit, anathema sit.

15. Si quis non dixerit quia in carne quam assumpsit sedet in dextera Patris, in qua etiam venturus est judicare vivos et mortuos, anathema sit.

16. Si quis non dixerit sanctum Spiritum ex Patre esse vere et proprie, sicut et Filium ex divina substantia, et Deum Dei Verbum, anathema sit.

17. Si quis non dixerit omnia posse Spiritum sanctum, et omnia nosse, et ubique adesse, sicut et Filium, et Patrem, anathema sit.

18. Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam aut per Filium factum, anathema sit.

19. Si quis non dixerit omnia per Filium et per Spiritum sanctum fecisse Patrem, hoc est visibilia et invisibilia, anathema sit.

20. Si quis non dixerit Patris et Filii, et Spiritus sancti unam deitatem, potestatem, divinitatem, virtutem, unam gloriam, dominationem, imperium, unam voluntatem, et veritatem, anathema sit.

21. Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii, et Spiritus sancti, æquales, semper viventes, omnia continentes, visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia creatantes, omniaque salvantes, anathema sit.

22. Si quis non dixerit adorandum sanctum Spiritum ab universa creatura, sicut et Filium atque Patrem, anathema sit.

23. Si quis de Patre et Filio bene sapuerit, de sancto autem Spiritu non recte crediderit, hæreticus est: quia omnes hæretici de Filio Dei et de sancto Spiritu male sapientes, in Judæorum atque gentiliū incredulitate consistere convincuntur.

24. Si quis autem dividerit Deum Patrem, dicens et Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum, affirmans deos dici, et non Deum, propter unam deitatem ac potestatem, quam esse credimus et novimus, Patris et Filii, et Spiritus sancti Deum unum; subtrahens vero Filium et Spiritum sanctum, tanquam solum opinatus Patrem Deum, anathema sit. Nomen enim deorum et angelis, et omnibus sanctis a Deo positum est atque donatum. De Patre vero, et Filio, et Spiritu sancto, propter unam æqualemque divinitatem, non deorum nomina, sed Dei nostri traditur (*ms. Lyr.*, creditur) atque significatur, ut credamus quia in Patre et Filio, et Spiritu sancto, solummodo baptizamus, et non in archangelorum et angelorum nominibus, sicut hæretici, aut sicut Judæi gentilesque vesantur. Hæc igitur Christianorum

salus est, ut credentes Trinitati, hoc est, Patri et Filio, et Spiritui sancto, et in ea baptizati, unam deitatem, et potestatem, et divinitatem, et substantiam, in eum esse credamus. Hæc itaque Gratiano vivente facta sunt. *THEODORETUS, lib. v, cap. 10 et 11, p. 215.*

CAPUT XVII.

Quod corpus Pauli Constantinopolitani pontificis de Ancyra fecerit referri Theodosius.

Interea Theodosius imperator corpus episcopi Pauli de Ancyra tunc revocari fecit, quem Philippus præfectus propter Macedonium exsilio destinatum, in Cucuso Armeniæ fecerat suffocari. Quod suus cum honore maximo atque veneratione suscipiens, in ecclesia recondidit quæ nunc ex ejus nomine noscitur appellari, quam tunc Macedoniani tenebant ab Ariani divisi, et expulsi sunt ab imperatore, quia ejus noluerunt sequi fidem. *SOCRATES, lib. v, cap. 9, p. 26.*

In qua basilica plurimi nescientes veritatem, Paulum apostolum illic jacere credunt, et maxime mulieres ac populi. Hoc itaque tempore etiam Meleii reliquiæ in Antiochiam relatæ, et juxta sepulcrum Babylæ martyris noseuntur esse reconditæ. Fertur enim quia per totam viam, jussu principis, ministrantibus cunctis civitatibus, cum psalmodia et honore debito funus ejus quæ ad Antiochiam fuerit revocatum. *SOZOMEN., lib. vii, cap. 10, p. 716.*

CAPUT XVIII.

De auspiciis imperatoris Arcadii.

C Inter hæc Theodosius imperator filium suum Arcadium designavit Augustum, consulatu Merobaudis secundo et Saturnini (*An. Dom. 385*), sexta decima Januarii mensis die. Non longo post tempore aderant undique totius religionis episcopi eodem consulti, Junio [*ms. Lyr.*, Julio] mense. *SOCRATES, lib. v, cap. 10, p. 237.*

CAPUT XIX.

Quomodo Theodosius examinatione facta hæreticorum omnes expulerit et foverit solos orthodoxos.

Inter hæc evocans imperator Nectarium, tractabat cum eo quid fieret, ut non Christianitas discordaret, sed tota uniretur Ecclesia. Dicebat autem: Oportet examinari quæstionem Ecclesias segregantem: quia dum discordia recederet; concordia Ecclesias congregaret. Hoc audiens Nectarius cogitabat, et evocans Ageium, tunc Novatianorum episcopum, tanquam in fide consortem, indicavit ei votum imperatoris. At ille cum esset rebus aliis venerandus, de dogmate tamen non valebat reddere rationem; sed lectorem suum, Sisinnium nomine, statuit qui pro eo deberet proferre sermonem, virum eloquentem et rebus expertum, summeque scientem non solum sacrarum profundissima litterarum, sed etiam philosophicæ **339** dogmata. Is ergo dixit quia disputatio non solum schismata non uniret, sed etiam hæreses ad contentiones potiores adduceret, et propterea Nectario dedit tale consilium. Bene nanque sciebat quia veteres Patres principium subsistentiæ Filio Dei dare vitabant, quoniam percepissent eum esse Patri coæ-

ternum. Quapropter dedit consilium ut disputativas A
 fugeret intentiones, et testimonium ex traditione ve-
 terum adhiberet, atque præsules hæresum requireret
 imperator, utrum sermonem vellent facere de anti-
 quis Ecclesiæ doctoribus qui ante divisionem florue-
 runt, an certe illos velut alienos a Christianitate respue-
 rent. Et si quidem eos abnegarent, objiceretur eis :
 Ergo eos anathematizare præsumite. Et si hoc per-
 petrare præsumerent, a populo expellerentur. Quo
 facto apertam fore victoriam veritatis. Si vero de
 primis non offenderentur doctoribus : Nostrum, in-
 quit, est præbere veterum libros per quos nostrum
 dogma eorum testimonio roboretur. Inter hæc
 cum Nectarius Sisinnium dicentem libenter au-
 disset, festinus ad palatium properavit, dixitque
 principi consilium sibi datum. At ille, considerata B
 sententia, causam sapienter instituebat. Deinde convo-
 catis hæresiarchis, requisivit si susciperent magis-
 tros Ecclesiæ qui ante tempora divisionis extitis-
 sent. Illis vero non abnegantibus, sed tanquam præ-
 ceptores honorantibus, rursus imperator interro-
 gavit si eis horum testimonia Christiani dogmatis
 complacerent. Hæc audientes præsules hæresum at-
 que disputatores eorum (erant enim plurimi ad dis-
 putationis certamina præparati), in responso vehe-
 menter hæserunt. Irruit enim in omnes magna dis-
 cordia ; aliis dicentibus bonum imperatoris esse
 propositum ; aliis vere cogitantibus quia non eorum
 expediret intentioni, dum alii aliter de libris vete-
 rum sentire viderentur. Et nequaquam inter se con-
 spirabant ; sed erant divisi, non solum adversus C
 alias hæreses, sed etiam inter semetipsos, qui du-
 dum unius hæresis esse videbantur. Quamobrem
 consors malitia sicut linguæ gigantum veterum est
 divisa, et turris eorum funditus est subversa. Co-
 gnoscens igitur imperator eorum confusionem, et
 quia in disputatione solummodo, et non in antiquis
 expositionibus confidebant, alio properavit itinere,
 eisque mandavit ut ex scripto unaquæque religio
 terminum suæ fidei declararet. Tunc callidi viri sin-
 gularum hæresum subtiliter sua verba tractantes,
 dogma proprium conscripserunt. Erat enim definitus
 dies quo singuli episcoporum ad palatium conveni-
 rent. Aderant ergo Nectarius et Agelius consubstan-
 tialitatis fidei præsidentes, Arianorum vero Demo-
 philus, Eunomianorum ipse Eunomius, Macedonia-
 norum Eleusius Cyzici. Igitur imperator eos qui
 convenerant et uniuscujusque dogmatis scripta sus-
 cipiens, seorsumque recedens oravit intente ut ei
 cooperaretur Deus ad veritatis electionem. Deinde
 uniuscujusque dogmatis relegens scripturam, alia
 quidem omnia tanquam divisionem Trinitatis intro-
 ducentia culpans, repente dirupit, et solum consub-
 stantialitatis dogma cum laude suscepit. Hæc enim
 occasio fuit ut Novatiani bene agentes intra civita-
 tem haberent rursus ecclesias. Admiratus namque
 princeps eorum concordiam circa fidem, lege præ-
 cepit ut propria oratoria detinerent, et privilegia
 suæ Ecclesiæ atque fidei possiderent. Verum aliarum
 religionum antistites propter discordiam suam in

reprehensionem sui populi venientes restabant. tri-
 stitiaeque confusi discedebant, et litteris consolaban-
 tur alterutros, ut non affligerentur cur eos plurimi
 relinquentes ad fidem consubstantialitatis accede-
 rent : dicentes multos quidem vocatos, paucos autem
 electos. Quod utique non dicebant, quando multum
 populum per potestatem sibimet aggregabant. SOCRATES,
lib. v, cap. 10, p. 267.

Imperator interea lege sancivit ut hæretici neque
 ecclesias haberent, neque de fide docerent, neque
 episcopos aut alios ordinarerent ; et alios quidem e
 civitatibus expelli, alios sine honore esse, neque frui
 communi civitate permisit. Insuper crudeles poenas
 adversus eos in lege conscripsit, quas tamen exse-
 cutus non est. Studebat enim ut per hoc concordæ
 B
 existerent, non vero supplicio subjacerent. SOZOMEN.,
lib. vii, cap. 12, p. 719.

CAPUT XX.

*De schismate factio inter Orientales et Ægyptios
 propter Flavianum Antiochenum.*

Sed neque hi qui tuebantur fidem Nicæni concilii pe-
 nitus a tristitia fuerunt extranei. Nam Antiocheni
 eos qui in concilio præsentis fuerant declinabant ;
 Ægyptii, et Arabes, et Cyprii, Flavianum ab Antio-
 chia expellendum esse dicebant. Palæstini vero, et
 Phœnices, atque Syri, pro Flaviano laborabant.
 Quarum rerum terminum proprio loco narrabimus.
 Eo siquidem tempore quo Constantinoopoli de syno-
 dis [*ms. Lyr., et ed. V., hæc synodus*] agebatur, talia
 circa Hesperiam provenerunt. Maximus de Britanno-
 rum partibus contra Romanorum surrexit impe-
 rium, et laboranti Gratiano contra Alamannos intulit
 bellum. In Italia vero, pæro satis existente Va-
 lentiniano, rerum curam Probus exconsul atque
 præfectus habebat. Justina vero Valentiniani mater,
 cum esset Ariana, vivo quidem marito lætere non
 prævaluit orthodoxos ; eo mortuo, et filio valde ju-
 venulo, Mediolanum veniens, Ambrosio episcopo
 erat infesta, ita ut eum destinari juberet exsilio. SO-
 CRATES, *l. b. v, cap. 10 et 11, p. 269.*

Cumque de Ecclesia juberetur exire Ambrosius,
 ait : Ego sponte hoc non ago, ne lupis ovium septa
 videar contradere, aut blasphemantibus Deum : hic
 si placet occide, hoc loco mortem pronam suscipio
 voluntate. THEODORÆTUS, *lib. v, cap. 13, p. 217.*

Cumque populus, singulariter diligens Ambrosium,
 resultaret, et trahentibus eum ad exsilium valde re-
 sisteret, potius indignata Justina vocavit Benivolam
 tunc quæstorem, jubens ut velociter proponeret le-
 gem quæ fidem prolatam Arimino confirmaret. Cum-
 que ille hoc agere declinaret, erat enim orthodoxus,
 majoribus eum cingulis invitabat. Benivolus autem
 discingens se, balteum ante pedes Augustæ projecit :
 dicens neque illum honorem, neque majorem velle
 se pro impietatis habere mercede. Cumque ille hoc
 facere omnimodis refutasset, inventi sunt alii qui
 nequitiae jussionibus ministrarent. SOZOMEN., *lib. viii,*
cap. 13, p. 720:

340 CAPUT XXI.

Quomodo Justina Ambrosium fuerit persecuta, et de Gratiani nece et invasione Maximi.

Inter hæc nuntiatur quia Gratianus dolo tyranni Maximi fuisset occisus. Andragatius enim dux Maximus, in lectica portatus, ut occideret Gratianum, hujusmodi opinionem misit in vulgus, quia uxor Gratiani suo viro festinaret occurrere in Lugduno Gallicæ civitate fluvium transeunti. Gratianus autem credens conjugem revera venire, quam super acceperat, non præcavit ejus insidias, et veluti cæcus in foveam, in manus hostis incurrit. Dum ergo venisset Gratianus, quasi ad uxoris vehiculum, ex improviso exsilens Andragatius, Gratianum callidus interemit. Mortuus ergo est consulu Merobaudis et Saturnini (An. Dom. 383), anno imperii decimo quinto, vitæ vigesimo et quarto. Hoc itaque facto, ad præsens contra Ambrosium ira Justinæ quievit. Porro Valentinianus, licet invitus, tempore necessitatis flexus, in Maximi consensit imperio. Tunc Probus metuens Maximi potestatem, ab Italia in Illyricum venit, et in Thessalonica Macedoniæ morabatur. SOCRATES, lib. v, cap. 14, p. 270.

Cumque audisset Maximus quæ contra Ambrosium rursus magniloquum prædicatorem veritatis agebantur, scripsit Valentiniano, ut bellum quod agebatur contra Ecclesias solveretur: monens ut paternam non amitteret pietatem; adjecitque etiam minas belli; et nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum, venit Mediolanum, ubi tunc ille degebat. Porro Valentinianus agnoscens ejus invasionem, fugit in Illyricum, experimento cognoscens quæ mala matris consilio sustineret. THEODORETUS, lib. v, cap. 14, p. 217.

Porro Theodosius audiens quæ a Justina fuerant gesta, et a tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit non esse mirandum si imperatori quidem terror, tyranno vero potestas accresceret dum imperator pietati rebellis existisset, tyrannus autem ei auxilia commodaret; et propterea ille quidem fugeret nudus, iste vero armaretur adversus nudum. THEODORETUS, lib. v, cap. 15, p. 217.

Tunc igitur Theodosius imperator in maxima solitudine constitutus contra tyrannum præparabat exercitum, metuens ne quid etiam contra juniorem Valentinianum insidiæ tyrannicæ prævalerent. Ea tempestate etiam legatio Persarum aderat, pacem petens. Quo tempore filius quoque Honorius ei natus est, de uxore Placilla, consulu Richomeri et Clearchi (An. Dom. 384), nona die Septembris mensis: quo consulu Agelius quoque Novatianorum episcopus est defunctus. SOCRATES, lib. v, cap. 12, p. 271.

CAPUT XXII.

De morte Timothei Alexandrini et ordinatione Theophilii.

Sequenti vero consulu Areadii Augusti primo et Baudonis (An. Dom. 385), defuncto Timotheo Alexandrinæ civitatis episcopo, Theophilus suscepit præsu-

A latum. Post annum vero, Demophilo Arianorum antistite moriente, Ariani Marinum quemdam episcopum sibi ordinaverunt, qui tamen diu non vixit, sub quo divisa est Ariana religio. Quo moriente, Dorotheum ab Antiochia Syriæ deducetes habuerunt pontificem. SOCRATES, lib. v, cap. 12, p. 271.

CAPUT XXIII.

De prælio Theodosii contra Maximum atque victoria.

Igitur imperator contra Maximum festinans, Constantinopoli imperatorem filium reliquit Arcadium. Cumque Thessalonicanam venisset, invenit Valentiniani iudices in maxima tristitia constitutos, quia tyrannum velut imperatorem ex necessitatis causa susceperant. Theodosius autem aperte quidem nec refutabat, nec admittebat legationem Maximi; non tamen patiebatur sub tyranno positum imperium Romanorum. Sumens ergo cunctum exercitum, Mediolanum tendebat, ubi erat etiam Maximus. Interea Ariani Constantinopoli positi, diversas opiniones in populo seminantes, dicebant et exercitum imperatorem amisisse, et ipsum tyranni ducibus subjugatum, aliaque multa quæ se essent inimici voto nequitæ jactare, ita ut crebro hæc audientes, non opinionem, sed vera jam crederent. His sermonibus Arianorum populus inflammatus, ad irrationabilem quamdam exarsit audaciam, domumque Nectarii episcopi concremavit, consulu Theodosii secundo et Cynegii (An. Dom. 388). Verum imperator Theodosius, dum tyrannum aggredere, cognoscentes Maximi milites præsentiam instructionis imperialis, et signorum ejus adventum, nec famæ quidem ipsius impetum sustinere prævaluerunt; sed apprehendentes tyrannum, victum ei protinus obtulerunt. Qui eodem consulu peremptus est septima et vigesima die Augusti mensis. Andragatius autem, qui peremerat Gratianum, in vicinum fluvium semetipsum projiciens exspiravit. Tunc igitur imperatores Valentinianus et Theodosius, peracta victoria, venerunt Romam. Erat enim cum eis pariter et Honorius valde puer. Quem post victoriam contra Maximum gestam, ab urbe Constantinopolitana Theodosius evocaverat. Dumque in Romana urbe morarentur, festivitates pro victoria celebrantes, tunc suam bonitatem circa Symmachum exconsulem Theodosius imperator ostendit. Is enim Symmachus inter senatores præcipuus habebatur, eratque Romani eloquii eruditione mirabilis, cujus multi quoque reperiuntur libri. Scripsit autem Maximi laudem, eamque recitavit: unde postea reus majestatis esse videbatur. Quamobrem mortem metuens, confugit in ecclesiam. Verum imperator, cum esset perfectissimæ Christianitatis, et non solum suæ fidei sacerdotes honoraret, sed etiam Novatianos, qui proxime ipsius fidei decreta servarent, Leonatio, tunc Romano episcopo Ecclesiæ Novatianorum, roganti beneficium conferens, Symmachum absolvit a crimine. Cumque veniam Symmachus meruisset, apologeticum, id est satisfactionalem librum in Theodosio conscripsit imperatore. SOCRATES, lib. v, cap. 12, 13 et 14, p. 271.

CAPUT XXIV.

Quomodo latrocinia quæ Romæ per pistrinas fiebant Theodosius imper. removerit, et de lege contra adulteras mulieres prolata.

Theodosius igitur imperator, in Romana urbe positus, multam profuit civitati, alia præbendo, alia utiliter auferendo. Duas tamen res dignas confusione prohibuit. Erant ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricatæ, in quibus panis fiebat qui universæ civitati ministrabatur. Horum mancipes, tempore procedente, pistrina publica latrocinia esse fecerunt. Cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum domuum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane veniebant, alios qui ibi pro luxuriæ turpitudine festinabant. Arte namque mechanica in molam de taberna cadebant. Et hoc patiebantur maxime peregrini. Et ita fiebat ut multi usque ad senectutis tempus laborantes, exinde non permisterentur exire: existimantibus eorum propinquis eos esse defunctos. In hujusmodi laqueum quidam miles Theodosii imperatoris incurrit. Cumque fuisset clauus ad molam, nec dimitteretur exire, evaginato gladio prohibentes occidit. At illi terrore detenti militem dimiserunt. Hæc agnoscens imperator, et mancipes supplicis interemit; sed et ipsa pistrina funditus esse destruenda præcepit. Alism rursus abrogavit hujusmodi causam. Si qua mulier in adulterio fuisset capta, hæc non emendabatur, sed potius ad augmentum peccandi contradabatur. Includentes enim eam in angusto prostibulo, et admittentes qui cum ea fornicarentur, hora qua turpitudine miscebatur, tinnitibus percutebantur, ut eo sono illius injuria fieret manifesta. Hæc audiens imperator, permanere non est passus; sed ipsa prostibula destrui jessit, aliisque poenis adulteram sancivit affligi. His actis, relicto Romæ Valentiniano, ipse cum Honorio Constantinopolim remeavit consultatu Daciani et Symmachi (*An. Dom. 304*), die decima mensis Novembris. SOCRATES, *lib. v, cap. 18, p. 277.*

CAPUT XXV.

Quomodo Amphiloehius Theodosio persaserit, ut Arianorum conciliabula prohiberet.

Revertente siquidem Theodosio ab Hesperis partibus, venit ad eum Amphiloehius, vir admirandus, cujus sæpe meminimus, supplicans ut Arianorum concilia de singulis civitatibus prohiberet. Verum imperator crudelem judicans esse petitionem, sprexit eum. Porro sapientissimus Amphiloehius eo quidem tempore tacuit; sed causæ remedium memorabile præparavit. Post aliquot namque dies ingressus palatium, vidensque filium Arcadium jam imperatorem astare patri, Theodosium solemniter salutavit; filium vero non ei exhibita salutatione deseruit. Verum imperator credens oblitum Amphiloehium, invitavit ut eum osculari deberet. At ille: Sufficit, inquit, ei proprius honor. Tunc imperator contristatus ad suam injuriam filio factam contumeliam judicavit.

A Porro sapientissimus Amphiloehius consilium suæ intentionis aperuit, et cum clamore dixit: Vides, imperator, quemadmodum filio tuo contumeliam non poteris irrogari? Crede ergo etiam omnium Deum sic abominari eos qui unigenitum ejus Filium blasphemare contendunt, et velut ingratos circa Salvatorem et benefactorem semper labere in odio. Hoc intelligens imperator, et gesta simul dictaque miratus, legem repente protulit hæreticorum concilia prohiberi. THEODORETOS, *lib. v, cap. 16, p. 248.*

CAPUT XXVI.

De morte Paulini Antiocheni episcopi, et ordinatione Evagrii, et quomodo Flavianus sit Damaso reconciliatus.

Circa hæc itaque tempora in Antiochia Syria Paulino episcopo moriente, plebs ejus declinabat omni modo Flavianum. Et propter hoc Evagrianum ordinaverunt suæ partis episcopum. Quo in brevi tempore mortuo, alter quidem in ejus loco factus jam non est, Flaviano quippe remittente. Verum hi qui declinabant Flavianum propter jurisperandi prævaricationem, seorsum solemnia celebrabant. Porro Flavianus omni virtute curabat ut eos sibi met aggregaret. Quod post paululum hoc modo cognoscitur evenisse. Cum Damasus Romanus pont. et Theophilus Alexandrinus indignarentur circa Flavianum, non solum propter perjurium [*ms. Lyr., jurgium*], sed etiam quia ipse fuit occasio ut populus fidelium discordaret, postea Theophilus a Flaviano rogatus misit Isidorum presbyterum ut contristatum Damasum Flaviano muleret episcopo, dicens utilem fore populi concordiam, si culpa jam facta Flaviano remitteretur. Hoc itaque modo communionem reddita Flaviano, Antiochenus populus paulatim concordiam reparavit. Ariani vero ab Ecclesiis pulsati, in suburbanis Antiochenis collectas agebant. Inter hæc autem mortuo Cyrillo Hierosolymorum episcopo, Joannes in ejus sede successit. SOCRATES, *lib. v, cap. 15, p. 273.*

CAPUT XXVII.

Quomodo apud Alexandriam paganorum templa destructa sint.

Eo siquidem tempore etiam in Alexandria hujus modi seditio generata est. Præceperat imperator ut studio Theophili in Alexandria paganorum templa destruerentur. Theophilus potestate percepta, studuit paganorum destruere mysteria, et templum quidem Mithræ purgavit, Serapidis vero subvertit. Verum Mithræ sacra, ubi homicidia perpetrabant, publice patefecit. Serapidis autem et aliorum risu plena monstravit: jubens per mediam plateam portari veneranda quæ pagani cum maximo honore venerabantur. Hæc pagani videntes, maxime philosophi, injuriam ferre nequiverunt: uno namque impetu contra Christianos **342** facto [*ms. Santhead., accedentes*], neces innumeras perpetraverunt; resistentibusque Christianis clades hæc usque ad immensa bella processit. Mortui denique sunt in ea congressione paganorum pauci, Christianorum plurimi, ex utraque vero parte innumeri vulnerati. Porro pagani metu

principis, postquam cæde fuerant satiati, per loca singula celabantur; multi quoque etiam de civitate fugerunt. Inter quos Helladius Ammoniusque grammatici, apud quos ego valde puer Constantinopoli legi. Et Helladius quidem sacerdos Jovis esse dicebatur, Ammonius vero Simiæ. Illis ita gestis, Theophilo in destructione templorum solatia ministrabant præfectus Alexandriae et dux ordinis militaris. Idola siquidem deorum constabantur ad faciendas ollas, et ad Alexandrinæ Ecclesiæ diversas utilitates, cui ab imperatore donati fuerant dii ad expensas egentium. Cum igitur Theophilus omnes contrivisset deos, unum tantummodo reliquit Simiæ simulacrum: jubens id publice proponi atque servari, ne sequenti tempore pagani negarent tales se adorasse deos. Quam rem novi ego, quia graviter ferebat Ammonius grammaticus, dicens paganos nihil tam grave perperos, nisi quia non consultum est et ipsum, sed pro derisione unum illud idolum servaretur. Helladius autem gloriabatur, dicens quia in congressione, Christianorum novem ipse peremerit. SOCRATES, lib. v, cap. 16, p. 274.

Igitur imperator audiens quæ Alexandriae fuerant perpetrata, beatificavit quidem Christianos, martyrum eis palmas attribuens, eo quod pro dogmate tanta pericula pertulissent; paganos autem veniam dedit, ut eis Christianitatem facile suaderet. Jussitque ut templa funditus, quæ fuerant cædis causa, destruerentur. Cujus litteræ, dum publice lectæ fuissent, et Christiani paganos impeterent, terrore ducti custodes Serapidis, fugerunt; et ex illo tempore Christiani ea loca tenuisse noscuntur. Olympius autem philosophus (sicuti audiui non ante multum tempus), lucescente die qua hoc evenit, audivit quemdam in templo Serapidis alleluia psallentem. Cumque januis clausis adhuc quietis tempore nullum ibi conspiceret, sed tantummodo vocem psallentis audiret, cognovit signo quid esset futurum; et latenter egressus, in venta nave discessit. SOZOMEN., lib. vii, cap. 15, p. 724.

CAPUT XXVIII.

De fraudibus quas per templa sua pagani faciebant.

Theophilus igitur Alexandrinam urbem idolorum errore purgavit, et non solum a fundamentis templa subvertit, sed etiam fallaciam sacerdotum his qui seducebantur aperuit. Erant enim simulacra ærea ligneaque intus vacua, et dorsum copulatum ad parietes habentia: ubi quædam foramina relinquebant, et per adyta [ed., V. abdita] ascendentes, et intrantes in simulacra, quæ volebant per eorum ora loquebantur; et hoc modo seducebantur jugiter audientes. In Serapidis igitur ascendens templum, vidit simulacrum quod magnitudine sua terrebat aspicientes. Referebatur etiam sermo fallax, quia si quis juxta illud accederet, mox terra commoveretur, et pestis cunctos invaderet. Sed hæc verba fabulis anilibus plena esse confidens, magnitudinem despexit velut exanimem, jussitque alicui habenti securim, ut

A Serapim forti percussione confringeret. Cumque cecidisset, clamaverunt omnes illas aniles fabulas sermidantes. Porro Serapis neque doluit, nempe ligneus; neque vocem emisit, sicut exanimis. Cum vero ejus abstulissent caput, greges soricum exinde cucurrerunt. Erat enim habitatio soricum Ægyptiorum deus. Tunc eum per partes incidentes igne concremaverunt, caput autem per totam traxerunt urbem. THEODORETUS, lib. v, cap. 22, p. 228.

CAPUT XXIX.

De characteribus sub crucis signa factis qui in templo Serapidis sunt inventi.

Cumque templum Serapidis nudaretur, inventæ sunt litteræ in lapidibus sculptæ, quæ apud Ægyptios vocantur sacræ, habebantque ipsi characteres signæ crucis. Hoc Christiani videntes atque pagani, singuli eorum hoc signum religioni propriæ deputabant. Christiani dicebant signum esse salutiferæ passionis Christi, pagani vero aliquam communionem Christo esse et Serapidi per hoc signum asserabant. Interpretes autem signum crucis insinuare dicebant vitam superventuram. Quam ob causam Christiani ad summum fastigium sunt evecti. Cumque et per alias litteras quæ apud eos sacræ dicuntur, indicaretur terminum habiturum Serapidis templum, quando character crucis apparuisset, qui vitam superventuram sine dubio declararet, multo plurimi ad Christianitatem festinabant, et peccata confitentes, baptizabantur. Sed ego non arbitror sacerdotes Ægyptiorum adventum præscisse Christi, et crucis signaculum designasse. Nam si sacramentum adventus Domini a sæculis et a generationibus fuit absconditum, sicut dicit Apostolus (Ephes. iii, 9), et latuit principem nequitie diabolum, multo magis famulos ejus sacerdotes Ægyptiorum. Sed divina providentia hoc præstruxit, ut in litterarum fieret questione, quod etiam in apostolo Paulo monstratum est. Nam et ille sancto Spiritu ditatus, multos Atheniensium adduxit ad fidem, quando ea quæ in ara erant scripta, sensu propriæ narrationis exposuit. Nisi forte quis dicat quia etiam in sacerdotibus Ægyptiorum operatus fuerit Deus sicut in Balaam et in Caïpha; et illi quoque prophetasse referuntur. SOCRATES, lib. v, cap. 17, p. 276.

CAPUT XXX.

De cæde quæ sub Theodosio Thessalonicæ facta est, et de penitentia ejusdem Theodosii Ambrosique constantia.

Non est itaque facile hominibus universas vitare hostis insidias. Nam dum quispiam libidinis effugerit passionem, incurrit in avaritiam. Qua declinata, invidia fovea præparatur. Hanc si transcenderit, vitium furoris incurrit; et alios plurimos ponit laqueos inimicus, quibus capere possit incautos. Et corporis quidem passionibus 343 habet facile ministrantes, ut animam possit occidere. Sed mens divino solatio vigilans machinationum ejus destruit argumenta. Humanam namque naturam participatus Theodosius imperator, habuit passionum quoque communionem, justoque

furori immensam permiscens crudelitatem, injustam A
operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium est et pro utilitate legentium, et pro memorabili virtutum opinione. Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua dum fuisset orta seditio, quidam iudicum lapidati sunt atque trucidati. Hinc indignatus Theodosius, iracundiæ non refrenavit infirmitatem; sed iussit injustos gladios super omnes evaginari, et una cum nocentibus innocentes interimere. Septem millia etenim hominum, sicut fertur, occisa sunt, non præcedente iudicio; sed tanquam in messibus omnes simul cæsi sunt. Hujusmodi cladem, plenam valde genitibus, audiens Ambrosius, cum princeps Mediolanum venisset, et solemniter in sacrum voluisset intrare templum, occurrit foris ad januas, et ingredientem his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit. Nescis, inquit, imperator, perpetrare a te necis quanta sit magnitudo, neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit; sed forte recognitionem peccati prohibet potestatem imperii. Decet tamen ut vincat ratio potestatem. Scienda quippe natura est, ejusque mortalitas, atque resolutio, et pulvis progenitorum ex quo facti et ad quem redigendi sumus, et non flore purpureo confidentem infirmitates operi corporis ignorare. Corqualium hominum princeps es, o imperator, et conservorum. Unus enim est omnium Dominus, rex omnium et creator. Quibus igitur oculis aspicias communis Domini templum? Quibus palpabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendas, de quibus adhuc sanguis stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Qua præsumptione ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, dum furore verborum tuorum tantus injuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum quo te omnium Dominus nunc ligavit; est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus imperator obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus, et aperte sciens quæ sunt propria sacerdotum, quæ regum), gemens et deflens ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuum transisset tempus, propinquavit Nativitatis Salvatoris nostri festivitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus tunc magister, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns principem in lamentationibus prostratum, accessit ut lacrymarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens, et vehementius lacrymas fundens: Tu, inquit, Rufine, ludis, et mea mala non sentis. Ego autem lamentor et gemo calamitatem meam: quia servus quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum ingredientem licenter exorant, mihi vero ingressus ad eum non est. Insuper etiam cæli sunt mihi clausi. Hæc dicens, verba singula singulibus interrompebat. Tunc Rufinus: Curro, inquit, si tibi placet, pontificique precibus persuadeo ut solvatur vinculum quod ligavit. At imperator: Non suadebis

Ambrosio. Novi ego decretum illius esse justum, neque reverebitur imperialem potentiam, ut legem possit prævaricari divinam. Cumque Rufinus verbis plurimis uteretur, et promitteret Ambrosium esse flectendum, imperator eum pergere cum festinatione præcepit. Ipse vero spe data post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus. Porro vir mirandus Ambrosius mox ut vidit Rufinum, ait: Impudentiam canum imitatus es, o Rufine, tantæ videlicet necis auctor existens, pudorem ex fronte detergens, nec erubescis, nec metuis contra imaginem latræ divinam. Cumque Rufinus supplicaret, et imperatorem diceret esse venturum, superno zelo accensus Ambrosius ait: Ego vero, inquit, Rufine, prædico, quoniam eum ingredi sacra limina prohibebo; si vero Imperium in tyrannidem mutaverit, necem libenter et ego suscipiam. Hæc et alia plurima Rufinus audiens, nuntiavit imperatori votum antistitis, monens ne de palatio forte procederet. At imperator hæc in media jam platea cognoscens: Pergo, inquit, et justas in facie suscipio contumelias. Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non præsumpsit intrare; sed veniens ad antistitem, et inveniens eum in salutorio residentem, supplicabat ut ejus vincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat ejus esse præsentiam, et contra Deum vesanire Theodosium, ejusque calcare leges. Verum imperator: Non, inquit, insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo; sed te solvere mea vincula desopco, et communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi januam claudi, quam cunctis poenitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes: Quam, inquit, poenitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti? At imperator: Tuum, inquit, opus est et docere, et medicamina temperare; meum vero oblatum suscipere. Tunc sanctus Ambrosius: Quoniam furori, inquit, tuum iudicium commisisti, et non ratio protulit sententiam, sed potius iracundiæ: scribe legem quæ decreta furoris evacuet, ut triginta diebus sententia necis atque evocationis in litteris tantummodo maneat, et iudicium rationis expectet; quibus transactis diebus, ira videlicet jam cessante, ratio causam iudicans, apud semetipsam quæ cognoverit sub veritate disponat. In his enim diebus agnosceat an justa sit quam protuleris, an injusta sententia. Et siquidem ratio probaverit injusta quæ sunt prolata, dirumpet; si vero justa, firmabit. Dierum vero numerus ad hæc examinanda sufficiet. Hanc admonitionem imperator animo lubenti suscipiens, et optimam esse confitens, legem conscribi repente præcepit, et propriæ manus litteris confirmavit. Quo facto, vinculum ejus solvit Ambrosius. Quæ lex hactenus observatur. Est enim hujusmodi.

Impp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius Augg. Flaviano præfecto prætorio Illyrici.

Si vindicari in aliquos severius contra nostram
344 consuetudinem pro causæ intuitu iusserimus, nolimus statim eos aut subire poenam, aut excipere

sententiam; sed per dies triginta super statu eorum sora et fortuna suspensa sit. Reos sane accipiat vinciatque custodia, et exoubiis solertibus vigilanter observet.

Sic igitur sacratissimus imperator ingredi limina præsument, non stans Domino supplicavit, neque genua flexit; sed pronus in pavimento jacens, Davidicam proclamavit vocem: *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum (Psal. cxviii, 25)*. Manibus autem capillos evellens, frontemque percutiens, et pavimentum lacrymarum guttis aspergens, veniam impetrare pœcebat. Cumque tempus accederet quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lacrymis est ingressus. Cum vero obtulisset, sicuti solitus erat, intra cancellos stetit. Rursus autem Ambrosius non quievit, sed differentiam locorum edoeuit. Et primo quidem requisivit quid ibidem expectaret: imperatore dicente sustinere se sacrorum perceptionem mysteriorum; per archidiaconum remandavit: O imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egrederi igitur, et hanc expectationem cum cæteris habe communem. Purpura namque imperatores, non sacerdotes facit. Tunc fidelissimus imperator etiam hanc traditionem animo lubenti suscipiens, remandavit: Non aulæ causa intra cancellos mansi, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognovi. Unde ago gratias pro hujusmodi medicina: [ad. V, disciplinæ]. Tali ergo tantæque et præsul et imperator vitæ tale clarebant. Ego namque utriusque opus admiror, illius fiduciam, hujus autem obedientiam; illius zelî fervorem, hujus fidei puritatem. Porro regulas pietatis, quas a magno sacerdote percepit, etiam reversus in Constantinopolitana urbe servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblati ad altare muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius tunc præsul Ecclesiæ mandasset ei cur intus stare noluisse, mandavit princeps: Vix, inquit, potui discere quæ differentia sit imperatoris et sacerdotis; vix enim inveni veritatis magistrum. Ambrosium namque solum novi dignè vocari pontificem. Tantum itaque profuit inrepatio a viro virtutibus florente prolata. THEODORETUS, *lib. v, cap. 16, 17. Edit. Christ. Vales. cap. 16, 17, 19, p. 218.*

CAPUT XXXI.

De virtutibus uxoris Theodosii.

Habebat igitur imperator et aliam utilitatis occasionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Coniux enim ejus de divinis legibus eum sæpius ammonerat, seipsam tamen perfecte prius erudiens. Non enim regni fastigiis elevata est, sed potius divino amore succensa. Beneficii namque magnitudo majus ejus desiderium benefactoris adhibebat. Repente namque ut venit ad purpuram, claudorum atque debilitum maximam habebat curam, non servis, non aliis ministris utens, sed per semetipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, et unicuique quod opus haberet præbens. Sic etiam et per ecclesiarum

A xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum extergens, jus gustans, offerens coelestia, panem frangens, cibosque ministrans, callices diluens; et alia cuncta faciens quæ servis et ministris mos est solemniter operari. His autem quæ eam de talibus rebus nitebantur prohibere dicebat: Aurum distribuere opus imperii est; ego autem pro ipso imperio hoc opus offero bona mihi omnia conferenti. Nam viro suo sæpe dicebat: Oportet te semper, marite, cogitare quid dudum fuisti, quid modo sis. Hæc si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris; sed imperium quod suscepisti legaliter gubernabis, et harum rerum placabis auctorem. His ergo sermonibus velut optimam quamdam utilitatem virtutisque abundantiam conjugii suo offerebat. THEODORETUS, *lib. v, cap. 18. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 225.*

CAPUT XXXII.

De indignatione et reconciliatione Theodosii propter Antiochenos, statuum conjugis illius deponentes.

Hæc itaque ante maritum defuncta est. Post aliquantum vero tempus mortis ejus aliquid tale provenit, quod maximum amorem quem habuit circa eam imperator ostendit. Coactus itaque Theodosius plerimorum continuatione bellorum quamdam illationem novam imposuit civitatibus. Antiochea vere civitas novum vectigal ferre non potuit; sed videns populos suspendi diversos, egit quod vulgus solet, occasionem seditionis inventiens; deponentes enim C imaginem ornatissimæ Placitiæ (sic enim Augusta fuerat vocitata), per omnem traxere civitatem. Hæc audiens imperator et indignatus, abstulit privilegia civitatis, urbique vicinæ, id est Laodiciæ primatum tradidit: credens hinc maxime Antiochenos affligere. Post hæc autem incendere, et destruere, et ad instar vicorum Antiochiam redigere minabatur. Administratores autem locorum quosdam comprehensos interemerunt, antequam hanc præsumptionem cognosceret imperator. Hæc autem omnia imperator quidem præcipiebat, non tamen febant, prohibente id lege quam proferri fecit Ambrosius. Cum igitur venissent qui portabant minas imperatoris Hellebichus magister militum, et Cæsarius magister officiorum, erant omnes sub formidine constituti; porro viri eremum habitantes, virtutis propugnatores, multi tunc et optimi viri, plurima monita, simul et preces eis qui a principe missi fuerant offerebant. Macedonius autem vir sanctus, nihil hujus vitæ sciens, sed etiam divinorum librorum penitus inexpertus, in summitatibus habitans montium, diebus ac noctibus Salvatori omnium puras offerebat preces, non imperatoris indignatione pernotus, non iudicium ab eo missorum, in media civitate utriusque chlamydem comprehensens, ab equis suis ut descenderent imperabat. At illi parvulum senem pannis obsitum vilissimis intuentes, primitus indignati sunt. Cum vero quidam obsequia perhibentium virtutem viri illius indicassent, repente ab equis desilientes, et genus ejus tenentes, veniam suppliciter implorabant. At ille sapientia d

vina repletus, hæc eis verba locutus est: O amici, dicite imperatori: **345** Non es imperator solummodo, sed etiam homo. Noli itaque respicere solum imperium, sed considera quoque naturam. Nam cum sis homo, ejusdem naturæ hominibus cognosceris imperare, et secundum imaginem divinam atque similitudinem hominum creata natura est. Noli igitur crudeliter atque sævisime Dei imaginem necibus subjugare. Irritas enim Creatorem, dum illius punis imaginem. Illud quoque considera, quia tu ipse tantum propter æream contristaris imaginem. Quantum vero differat inanimata res animata, viventi atque rationali, cunctis sensum habentibus est apertum. Iusuper etiam illud consideret, quia nobis quidem facile est pro una imagine plurimas æreas reparare; at illi omnino difficile vel unum capillum restituere pereimptorum. Hæc illi audientes, principique mandantes, flammam iracundiæ penitus extinxerunt. Qui pro terroribus satisfactionem rescripsit, et causam indignationis innotuit. Non, inquit, oportuerat, me peccante, mulierem omni favore dulcissimam, post mortem tantam contumeliam sustinere. Adversum me namque furore indignantes decebat armari. Adjecit etiam quia tribularetur et ingemisceret, eo quod audisset aliquos a iudicibus interemptos. THEODORETUS, *lib. v, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 19 et 20, p. 244.*

CAPUT XXXIII.

Quomodo Theodosius fuerit pagani infensus.

Fidelissimus igitur imperator tunc contra errorem paganorum suum transtulit studium, legesque conscripsit, præcipiens idolorum templa subverti. Constantinus enim maximus, omni favore laudandus, qui primus pietate ornavit imperium, dæmonibus quidem sacrificare omnibus interdixit; non tamen eorum templa destruxit, sed inaccessibilia esse præcepit. Cujus filii paterna vestigia sunt secuti. Julianus autem renovavit impietatem, et flammam veteris seductionis accendit. Porro Jovianus, imperio sumpto, rursus immolationes prohibuit idolorum. Valentinianus autem major hujusmodi legibus usus, gubernavit Europam. Porro Valens omnibus quidem aliis concessit ut religiones suas colerent sicut vellent, illos solos impugnans qui pro apostolicis dogmatibus decertabant. Omni siquidem tempore ejus imperii, et ad aras ignis accendebatur, et libamina atque sacrificia idolis offerebantur. Sed et publicas festivitates per plateas agebant, et Orgia Dionysii celebrabant, et cum scutis [*ms. Santheod. et ed. V.*, sacris] currebant, canes eviscerantes, furentes, atque bacchantes, et agentes omnia quæ nequitiam proprii doctoris insinuant. Hæc omnia Theodosius inveniens fidelissimus imperator, radicitus evulsit et oblivioni contradidit. THEODORETUS, *lib. v, cap. 20. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 226.*

CAPUT XXXIV.

Quomodo Marcellus episcopus Apamæe templa destruxit.

Primus igitur aliorum Marcellus episcopus, lege principis pro armis usus, propriæ civitatis templa

A destruxit: de fiducia divina, non de hominum virtute præsumens. Quod opus dignum memoria narrare non silebo. Defuncto Joanne, Apamiæ civitatis episcopo, Marcellus vir sanctissimus ordinatus est, fervens spiritu secundum Apostolum. Inter hæc venit præfectus Orientis Apamiam, duos millenarios cum subjectis habens. Quo facto, populus militari timore perterritus est. Ubi dum esset templum Jovis valde præcipuum et ornamentis plurimis variatum, id præfectus destruere nitebatur. Videns autem forte nimis ædificium ac robustum, impossibile judicavit hominibus lapidum juncturas et commissiones posse dissolvere. Erant enim ingentes et alterutris illigati, insuper et ferro plumboque conjuncti. Porro Marcellus pusillanimitatem præfecti videns, eum quidem misit ad alias civitates; ipse vero supplicabat Deo ut templi destruendi præberet occasionem. Inter hæc venit quidam sponte diluculo, non structor, non lapidum sector, neque alterius cujuscunque peritus artis; sed lapides ferre et ligna in humeros consuetus. Is ergo accedens promisit facile templum esse solvendum: qui tantummodo accipere mercedem poscebat artificum. Cumque hoc sanctus pontifex promisisset, hoc ille machinatus est. Cohærebat enim templo in altitudine constituta ex quatuor lateribus porticus; erantque columnæ ingentes, et altitudinem templo habentes æqualem. Singularum vero circulus columnarum erat sedecim cubitorum. Porro natura petræ fortissima erat, quæ non facile quibuslibet ferramentorum generibus rumperetur. Harum itaque tres per circuitum suffodiens, et sub earum basibus fortia ligna supponens, immisit ignem. Quo facto, non potera natura ligna naturaliter ignis accendere: dæmon etenim quidam teterrimus apparuit, qui flammam vires suas prohibuerat operari. Cumque frequenter hoc facerent, et molitionem suam explere non possent, nuntiaverunt hoc pontifici meridie dormienti. At ille repente ad ecclesiam concurrens, et aquam in vasculo portari præcipiens, aquam posuit sub altari. Ipse vero in pavimento posita foute clementi Domino supplicabat ne amplius tyrannidem dæmonis ullam pateretur habere fiduciam, sed ut infirmitatem illius enudaret, et signum propriæ virtutis ostenderet, ne magis ex hoc infidelibus exultationis [*ms. Lyr.*, insultationis] occasio nasceretur. Hæc cum dixisset, facto signaculo crucis in aqua, quemdam diaconum suum Equitium, fide et zelo munitum, sumere jussit aquam, et velociter currere, et cum fide aspergere, ignemque supponere. Quod dum fuisset factum, dæmon effugit, non ferens aquæ virtutem. Ignis autem velut oleum habuit illius aquæ naturam, comprehensaque sunt ligna, et repente consumpta. Columnæ vero suffulturæ solatio nudatæ, et ipsæ ceciderunt, et alias duodecim una traxerunt. Tum latus quod cohærebat templo, violentia ruina depositum est. Sonus autem totam concutiens civitatem, cunctos fecit ibi concurrere. Et dum inimici dæmonis aperte cognovissent fugam, in divinis laudibus ora resolvebant. Sic enim et alia templa sacratissimus pontifex ille destruxit. Qui et victoribus

scribebat martyribus, et rescripta suscipiebat, et novissime etiam ipse martyrio coronatus est. THEODORUS. *lib. v, cap. 21, p. 226.*

346 CAPUT XXXV.

Ob quam causam presbyteri super pœniteres positi sint remoti.

Hoc itaque tempore placuit ut presbyteri qui erant super pœniteres constituti removerentur, propter hujusmodi causam. Ex quo Novatiani ab Ecclesia sunt divisi, cum his qui deliquerant sub persecutionibus imperatoris Decii communicare nolentes, ex illo episcopi pro ecclesiastica regula presbyterum super pœniteres esse constituerunt. SOCRATES, *lib. v, cap. 19, p. 278.*

Quoniam omnino non peccare divinum, et ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem et pœnitentiam agentibus veniam Deus dari præcepit; qui vero confiteri refugiant, majus peccatorum onus acquirunt [*ms. Lyr., assumunt*]; propterea visum est antiquis pontificibus ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur. Et ad hanc causam presbyterum bonæ conversationis servantemque secretum, ac sapientem virum, statuerunt, ad quem accedentes hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. At ille secundum uniuscujusque culpam iudicebat et pœnitentiam [*ed., multam*]. Quod etiam hæcenus diligenter in occidentibus servatur Ecclesiis, et maxime apud Romam, ubi etiam locus est certus pœnitentium. Stant enim rei, et velut in lamentationibus constituti. Dum enim sacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu et lamentatione semetipsos in terram prosternunt. Ad quos concurrens episcopus, et ipse cum lacrymis et gemitu spirituali prosternitur, et omnis ecclesiæ plebs fletibus inundatur. Post hoc autem prior surgit episcopus, et elevat jacentes a terra. Tunc competenter pro pœnitentibus facta oratione, dimittit omnes. At illi afflictionibus sponte vacantes, aut jejuniis, aut abstinentia lavacri, aut suspensione ciborum, aut aliis rebus, quæ jubentur, exspectant commune tempus quod decrevit episcopus. Constituto vero tempore, velut quoddam debitum exsolventes, afflictiones de peccato [*ms. et ed. V., peccatum*] curati, cum populo communione participantur. Hæc ergo antiquitus Romani pontifices usque ad nostrum conservaverunt tempus. Porro apud Constantiopolim presbyter super pœniteres fuit usque ad illud tempus quo quædam mulier nobilissima, dum peccata sua fuisset confessa, et ei a presbytero fuisset præceptum ut jejunaret, et Deo operibus supplicaret, cumque hoc servaret crebrius in ecclesia, cum diacono se concubuisse confessa est. Hoc dum populus agnovisset, sæviebat super sacerdotes, quasi per eos facta fuisset injuria Ecclesie. Tunc Nectarius episcopus removit diaconum sceleratum, et quibusdam suadentibus ut singulos ad communicandum iudicio conscientie suæ relinqueret, etiam presbyterum nequaquam super pœniteres esse præcepit. Et ex illo antiquitatis consue-

tudo sublata est, dum, ut arbitror, minora peccata pro pudore confessionis et subtilitate examinantium patrentur. SOZOMEN.. *lib. vii, cap. 16, p. 726.*

CAPUT XXXVI.

De divisione hæreticorum inter semetipsos.

Dignum itaque iudico non tacere quæ apud alios gesta sunt, id est, apud Arianos, Novatianos, Macedonianos, et Eunomianos. Ecclesia namque divisa erat, et apud semetipsos singuli congregabantur. Quemadmodum enim, et pro quibus causis divisi sunt, sermone procedente narrabimus. Hoc autem sciendum est, quia imperator Theodosius nullum horum persequeretur præter Eunomium, qui Constantinopoli collectas in domo faciebat, et conscriptos a se libros recitabat, ita ut ejus doctrina multi corrumpentur. Pro qua causa eum multavit exsilio, nullumque alium fatigavit neque sibimet communicare compulsi; sed singulos per loca propria collectas celebrare permisit, et cultum tenere Christianitatis, sicut præcipere potuit. Et alios quidem permisit extra civitatem oratoria fabricare; Novatianos autem concordēs suæ fidei, intra urbem ecclesiis habere concessit. De quibus quidem pauca dicenda sunt. Quadraginta annis Agelius præsul fuit a temporibus Constantini usque ad annum sextum Theodosii. Qui cum venisset ad mortem, Sisinnium presbyterum ordinavit episcopum, virum eloquentissimum et a Maximo philosopho una cum Juliano imperatore litteris eruditum. Cumque populus Novatianorum culparet ordinationem, cur non Martianum potius ordinasset, per quem sub Valente Novatiani sine persecutione mansissent: tunc Agelius populi volens placare tristitiam, etiam Martianum ordinavit episcopum. Et cum melius habuisset, in ecclesiam processit, et sermonem fecit, dicens: Martianum habetis post me, post Martianum vero Sisinnium. Post paucos itaque dies defunctus est. Sub episcopatu vero Martiani etiam eorum Ecclesia ex hujusmodi causa divisa est. SOCRATES, *lib. v, cap. 20, p. 279.*

CAPUT XXXVII.

De Sabbatio hæresiarcha.

Sabbatius quidam ex Judæo factus Christianus, et a Martiano ad presbyteratus honorem proventus, nihilominus sectæ Judicæ serviebat, cum quo scelere ambiebat etiam episcopatum. Assumens ergo sui desiderii conscios duos presbyteros, Theoctistum et Macarium, novitatem festivitatis paschalis sub Valente imperatore constitutam in vico Phrygiæ Pazo, defendere nitentur. Et primum quidem, quasi pro Ecclesiæ integritate custodienda, dicebat non esse dignos quosdam participatione sacramentorum. Procedenti vero tempore manifestatus est, dum collectas proprias celebraret. Inter hæc Martianus agnoscentis ejus errorem et ordinationis suæ culpam, quia vana gloriæ homines presbyteros ordinaverat, cum gemitu dicebat: Melius fuisse super spinas ponere manus suas, quam Sabbatium ordinasse presbyterum. Proinde synodum in Sangario Bithyniæ Novatianorum fecit episcoporum: quo congregati evocaverunt

347 eos, ut coram synodo causas discessionis [ed., A disensionis] suæ proponerent. Cumque Sabbatius discordiam festivitatis paschalis suam diceret esse tristitiam, et oportere ut secundum Judæorum observationem eam celebrari firmaret, sicut in Pazo fuerat constitutum, æstimantes episcopi quoniam propter ambitum Sabbatius talia perpetraret, jusjurandum ei imposuerunt quia nunquam desideraret episcopatum. Quo jurante, regulam de Paschæ festiuitate protulerunt qua singulis liceret quo vellent celebrare Pascha, ne propter discordiam festiuitatis dividerent Ecclesiam; cum antiqui, Ecclesiis proximi, licet discordantes de tali festiuitate, communicassent tamen alterutris, et Novatiani in regia urbe Roma constituti nunquam fuisent secuti Judæos, sed semper post æquinoctium celebrarent Pascha. Cum hæc ab eis tunc fuisset regula definita, Sabbatius iuramenti obstrictus, si quando paschalis festiuitas discordaret, ille apud semetipsum præcedentius jejunabat, et notanter solemnem diem Paschæ sabbati celebrabat, et rursus cum omnibus in ecclesia conveniebat, et mysteriis fruebatur. Hoc ergo, multis annis faciens, latere non potuit. Quapropter quidam simplicium, et maxime Phrygum et Galatarum ex hac re justificari credentes, zelabantur eum, et Pascha cum illo celebrabant. Sed Sabbatius postea et remotas collectas faciebat, et parvipendens jusjurandum, suorum electione sequacium ordinatur episcopus. SOCRATES, lib. v, cap. 20. Edit. Christ. Valcs. cap. 21, p. 281.

CAPUT XXXVIII.

De Pascha, vel diversitate institutionum seu observationum quæ per diversas Ecclesias celebrantur.

Sed mihi non videtur hujusmodi viros de festiuitate Paschæ rationabiliter contendisse, nèque istos qui nunc sequuntur Judæos. Non enim mente perceperunt quia Judaismo in Christianitatem mutato, illa subtilia et figurativa legis Mosaicæ quieverunt, quod hinc apparet. Judaizare namque nulla gens Christiana præcepit; e diverso autem etiam Apostolus contradixit, non solum circumcisionem prohibens, sed etiam de festiuitatibus contentiones abjiciendas monens. Scribens enim ad Galatas ait: *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non audistis (Galat. iv, 21)?* Et hinc pauca loquens, servum ostendit populum Judæorum, et in libertatem vocatos qui accedunt ad Christum. Monet etiam nullatenus observandos dies, et menses, et annos. Colossensibus autem scribens, magna voce clamabat, umbram fuisse observationes antiquas. Quapropter, inquit, *nullus vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte festiuitatis, aut in initio mensis, aut in sabbato, quæ sunt umbra futuri (Coloss. ii, 16).* Et ad Hebræos idem apostolus dicit: *Mutato enim sacerdotio, necessario legis mutatio fuit (Heb. vii, 12).* Igitur nec Apostolus, nec Evangelia accedentibus ad prædicationem Jugum servitutis imposuerunt, sed festiuitatem Paschæ et alius celebrataes honorandas esse dixerunt. Quapropter quoniam diligunt homines hujusmodi celebrataes, eo quod in eis a laboribus requiescunt, singuli per provincias, sicuti voluerunt, memoriam salutæ passionis an-

liquitus ex quadam consuetudine celebrabant. Non enim hoc Salvator aut nostri Apostoli lege prædicaverunt, nec pœnam, aut supplicium, aut maledictum, sicut lex Mosæica Judæis, nobis Evangelia aut apostoli sunt minati; sed solummodo in derogationem Judæorum, quoniam in festiuitatibus homicidium commiserunt, in tempore Azymorum Salvatorem passum in Evangeliiis est relatam. Intentio namque fuit apostolorum non de diebus sancire festiuitatem, sed conversationem rectam et Dei prædicare culturam. Mihi ergo videtur quia, sicut multa alia per provincias ad consuetudinem venerunt, sic et Paschæ festiuitas tradita est, eo quod nullus apostolorum aliquid hinc sanxisset. Nam plurimi circa minorem Asiam antiquitus quartumdecimum diem observabant, non respicientes sabbati diem. Et hoc facientes, non tamen segregabantur ab illis qui aliter celebrabant, donec Romanæ Ecclesiæ Victor episcopus excommunicationem Quartodecimanis misisset in Asiam. Quo facto Irenæus Lugdunensis, Gallicanus episcopus, Victorem epistola sua culpavit, dicens etiam veteres ita celebrasse; et quia Polycarpus Smyrnæ civitatis episcopus, qui postea sub Gordiano principe martyrio coronatus est, Aniceto episcopo Romano communicaverit: nihil discernens de paschali festiuitate, cum ipse Quartodecimanus esset, sicut Eusebius in quinto Ecclesiasticæ Historiæ libro docet. Quidam igitur, sicuti dixi, in Asia minere quartumdecimum observabant diem. Quidam vero etiam circa orientales partes sabbatum custodiebant, dissonabant autem circa mensem. Nam alii Judæos, licet integritatem non servarent, sequendos esse in sacra festiuitate dicebant; alii vero post æquinoctium celebrabant, declinantes sequi Judæos, et dicentes quia dum sol èsset in Ariete, Pascha celebrari deberet. Secundum Antiochenos autem Xanthico mense, secundum Romanos Aprili. Et hoc faciendum non sequendo modum Judæos, qui per omnia errare noscuntur, sed magis antiquos et Josephum. Sic enim ille in tertio Antiquitatis libro conscripsit. His itaque contententibus omnes Occidentales usque ad Oceanum, post æquinoctium ex antiqua traditione Pascha celebrasse comperimus, nec aliquando habuisse discordiam. Non enim, sicuti quidam dicunt, celebratum sub Constantino concilium festiuitatem Paschæ mutavit. Nam ipse Constantinus discordantibus scribens, monet ut isti, cum pauci essent, imitarentur plures. Cujus epistolæ partem ponere non omisi. Sic enim post alia dixit: Est enim ordo decorus, quem omnes Ecclesiæ in universo orbo apud Occidentem, et Meridiem, et Arcturum, positæ servare noscuntur, nec non etiam quidam Orientium. Quapropter in præsentem bene se habere omnes æstimaverunt, et ego ipse vestræ quoque sapientiæ placeo promisi, ut quod in Romana civitate, Italia, et Africa, et universa Ægypto, Hispania, Galliis, Britannis, Libya, tota Hellade, Asia d'œcesi Ponti, et Cilicia, libenter sub una concordia custoditur, hoc etiam sapientia vestra suscipiat: considerantes non solum multitudinem prædictorum locorum et

Ecclesiarum numerum, sed etiam quia hoc maxime debetis omnes communiter celebrare quod ratio subtilis videtur exigere, nullam cum Judæorum perjurio habere communionem. Talia siquidem **348** Constantinus. Sed aiunt Quartodecimanis hanc observationem Joannem apostolum tradidisse. Alii vero Petrum et Paulum apostolos Romanis et Occidentibus dicunt Paschæ tradidisse solemnitatem. Sed nullus scriptam probationem horum habere dignoscitur. Quia vero ex consuetudine quadam per provincias celebratur Pascha, hinc æstimo quod nulla religio [Vales., religionis secta] easdem videatur servare solemnitates. Nam cum unius sint fidei plurimi, tamen discordant circa Paschæ legitima. Unde pauca dicenda sunt. Nam in ipsis jejuniis aliter apud alios invenimus observari. Romani enim sex [ed. Niv. et Frob., tres] ante Pascha septimanas, præter sabbatum et dominicam, sub continuatione jejunt. Illyrici vero, et tota Hellas, Alexandria quoque, ante sex septimanis jejunt, eaque jejunia Quadragesimam vocant. Alii vero ante septem Paschæ septimanas jejuniorum facere noscuntur initia, et tres tantummodo septimanas, hoc est, quinque diebus per intermissiones aliarum duarum septimanarum jejunantes; nihilominus Quadragesimam vocant. Unde miror, cum numerum ipsam non habeant, quomodo Quadragesimam vocent. Sed etiam ciborum abstinentiam non similem habent; nam alii omnino ab animantibus abstinent, alii ex animantibus pisces solummodo comedunt, quidam cum piscibus vescuntur et volatilibus, dicentes hæc secundum Moysen ex aqua habere substantiam. Alii vero etiam caulibus et ovis abstinerere noscuntur; quidam siccum tantummodo pane vescuntur; alii neque hoc; alii usque ad nonam jejunantes horam sine discretionibus ciborum reficiuntur; et innumere consuetudines apud diversos inveniuntur. Et quia nulla lectio ex hoc invenitur antiqua, puto apostolos singulorum hoc reliquisse sententiæ, ut unusquisque operetur non timore, non necessitate, quod bonum est. Sed etiam circa celebritatem collectarum quædam diversitas invenitur. Nam dum per Ecclesias in universo terrarum orbe constitutas, die sabbatorum per singulas hebdomadas sacrificia celebrentur, hoc in Alexandria et in Roma quadam prisca traditione non faciunt. **Egyptii** vero Alexandriæ vicini et Thebaidis habitatores sabbato quidem collectas agunt, sed dominica, sicut moris est, sacramenta percipiunt; nam postquam fuerint epulati et cibus omnibus adimpleti, circa vespere oblatione facta communicant. Rursus autem in Alexandria, quarta et sexta feria Scripturæ leguntur; easque doctores interpretantur, et omnia sunt præter solennem oblationis morem. Origenes enim plurima in his diebus videtur exposuisse [ed., edocuisse]. Qui dum sapiens esset magister, et consideraret quia impossibilitas Mosaicæ legis ad litteram esset infirma, rationem Paschæ ad modum contemplationis evertit: unum Pascha solummodo verum fieri dicens, quod Salvator celebravit adversus contrarias potestates, dum crucem susciperet, et hoc tropæo uteretur

contra diabolum. In eadem Alexandria lectores et psalmi pronuntiatores indifferenter sunt, sive catechumeni sive jam Christiani, dum omnes Ecclesiæ jam fideles in his ordinibus haberi videantur. Ego quoque cognovi in Thessalia consuetudinem aliam: dum quidam clericus ante clericatum legitime duxisset uxorem, quia cum ea mixtus fuerat, ab ea res est, dum in Oriente cuncti spontanea voluntate, et non aliqua necessitate etiam episcopi semetipsos abstineant. Plurimi enim eorum etiam episcopatus tempore ex legitima uxore filios habuerunt. Hæc quoque in Thessalia servari cognovi, quoniam apud eos in diebus Paschæ tantummodo baptizatur. Quapropter plurimi sine baptismate moriantur. In Antiochia vero Syriæ altare non ad orientem ecclesiæ, sed magis ad occidentem habent. In Hellade, Hierosolymis, et Thessalia, ad tempus vespertinum orationes similes Novatianis Constantinopoli degentibus agunt. In Cæsarea Cappadociæ et Cypro, die sabbati, et dominico circa vespere cum iuramentis episcopi atque presbyteri Scripturas interpretantur. In Alexandria presbyter non facit sermonem. Et hæc res initium accepit ex quo Arius Ecclesiam conturbavit. Romæ sabbata universa jejunt. In Cæsarea Cappadociæ eos qui post baptismum delinquant, a communione suspendunt, sicut Novatiani et Macedoniani in Hellesponto faciunt, et in Asia Quartodecimani. Novatiani circa Phrygiam vinobos non recipiunt, Constantinopoli vero neque aperte recipiunt, neque palam removere noscuntur. In occidentalibus vero partibus aperte recipiunt. **Socrates, lib. v, cap. 21; ed. i. Christ. Vales., cap. 22, p. 282.**

CAPUT XXXIX.

De Pascha Montanistarum.

Montani siquidem, quos Phrygas nominant, peregrinam quamdam ad inventionem introducentes, secundum eam Pascha celebrant. Colpant enim eos qui cursum lunæ requirunt, et dicunt soles tantummodo circulos sequendos. Et menses quidem singulos esse dierum triginta definiunt, et in horre primum ab æquinocio vernali, quod est secundum Romanos octavo calend. Aprilis. Tunc, inquit, duo magna luminaria facta sunt, quibus tempora et anni manifestantur. Et hoc indicari, eo quod luna per octo annos cum sole concurrat, etambo iidem novum habeant mensem. Et quod octo annorum cursus lunæ compleatur, et tanquam principium sui primi mensis, reputant prædictam diem in Scripturis quartadecimam, et hanc esse dicunt octavo idus Aprilis, secundum quam semper celebrant Pascha, tamen si contigerit etiam concurrere Resurrectionis diem dominico die, alioqui dominica superveniente celebrant; scriptum est enim, inquit, a quartadecima usque ad vicesimam primam esse celebrandam. **Sozomen., lib. vii, cap. 18, p. 733.**

Apud Romanos in unoquoque anno semel psallunt Alleluia primo die Paschæ, ita ut Romani velot pro juramento habeant ut hunc hymnum audire mereantur.

tur : in qua Ecclesia neque episcopus, neque alter quisquam coram populo docet [*ms. Sanctus. dicit*]. Apud Alexandrinos hoc opinabile est, quia dum leguntur Evangelia, non surgit episcopus; quod apud alios nusquam fieri novi, ubi solus archidiaconus hanc lectionem legit; in aliis locis diaconi; in multis vero ecclesiis sacerdotes soli; Const. niniopoli prima die Resurrectionis dominicæ pontifex. SOZOMEN., *lib. vii, cap. 19, p. 754.*

349 CAPUT XL.

De Arianorum divisione.

Provenere enim etiam apud Arianos divisiones propter hujusmodi causam. Singulæ videlicet eorum contentiones ad iræptos eos perduxere sermones. Cum enim in eorum Ecclesia credatur Deus Pater esse Filius Verbi, ex hoc apud eos quæstio processit, si possibile sit, ut etiam antequam existeret Filius, Deus Pater vocari potuisset: quoniam Dei Verbum non ex Patre naturaliter, sed ex non existentibus subsistisse credebant. Circa primum itaque capitulum errantes, rite de puro nomine in certamen illicitum iruerunt. Dorotheus etenim ab Antiochia vocatus ab eis, dicebat non posse Patrem esse, neque vocari, Filio non subsistente. Porro Marinus, quem a Thracia ante Dorotheum vocaverant, occasionem inveniens opportunam, Dorotheo enim erat adversus, respondit sermonem de hac quæstione contrarium. Et propterea sunt inter eos factæ divisiones. Divisi quæ propter hoc verbum, seorsum singuli solemnia celebrabant. Alii enim sequebantur Dorotheum, alii vero Marinum: dicentes quippe Patrem semper esse Patrem, etiam Filio non existente. Vocabantur enim isti Psathyriani, eo quod quidam Theoctisus, Syrus genere, Psathyropola, id est duplicia vendens, hanc propositionem valde defenderet. Hos quoque secutus est Selenas, Gothorum episcopus. Sed isti quoque paulo post separati sunt, cum Marinus cum Agapio discordiam habuisset, quem ipse episcopum fecerat Ephesi. Verum isti non propter religionem, sed propter præsulatum inimicitias inter se bellaque gesserunt. Gothi namque defendebant Agapium. Quamobrem plurimi clericorum eorum vanam gloriam fugientes, ad fidem consubstantialitatis utiliter accesserunt. Ariani siquidem triginta quinque annis divisi sunt inter alterutros, postea sub imperio Theodosii junioris consulatu Plinthe (*An. Dom. 419*) ab hæresi Psathyrianorum recedentes, uniti sunt, veluti lege decernentes nunquam capitulum propter quod divisi fuerant memorare. Sed hoc apud Constantinopolim gestum est. Verum in aliis civitatibus sub divisione manserunt. Hæc de Arianis. Verum nec Eunomiani sine divisione manserunt. Nam et ipse Eunomius dudum ab Eudoxio, qui eum Cyzici ordinavit episcopum, segregatus est occasione accepta, eo quod Aetium doctorem ejus expulsio suscepere noluisset. Reliqui vero ab eo per schismata diversis partiti sunt. Prius itaque Theophrontus quidam Cappadox ab Eunomio versare contentiones edoctus, et aliquid de Aristotelis Categoriis, et *περὶ ἰσχυρίας* intelligens, fecit li-

bro quos De Exercitio mentis attulavit. Is ergo cum offendisset consecratos suos, tanquam recedens ab eis, expulsus est; et seorsum colligens de suo nomine hæresim dereliquit. In Constantinopoli vero quidam Eutyechius, ex tepidissima quæstione ab Eunomianis divisus, hactenus collectas seorsum facit, vocanturque horum alii Ennomiathæophrontiani, alii vero Eunomioeutychiani. Verumtamen isti baptismum corruperunt; non enim in Trinitate, sed in Christi morte baptizant. SOCRATES, *lib. v, cap. 22 et 23. Edit. Christ. Vales. cap. 23 et 24, p. 291.*

CAPUT XLI.

De divisione Macedonianorum.

Facta est igitur quodam tempore etiam inter Macedonianos divisio, cum Eutropius presbyter seorsum colligeret, et nequaquam ei Carterius consentiret. Fuerunt forsitan et aliæ divisiones hæresum, sed ego tanquam Constantinopolitanus, atque hic nutritus, quæ mihi clariora visa sunt ea narrare curavi. SOCRATES, *lib. v, cap. 23, p. 293.*

CAPUT XLII.

De recessu Nili fluminis et rursus accessu.

Ea si quidem tempestate dicunt Ægypti fluvium circa primum ascensum aquæ post tertium recessis esse. Quo facto, Ægyptii sæviabant, eo quod non sinerentur flumini sacrificia solemnia celebrare. Judex autem seditionem perspiciens concitari, nuntiavit imperatori. Verum imperator melius judicavit divine fidei serviendum quam poculis Nili, et sacrilegia præponere pietati: Nunquam, inquit, currat ille fluvius, si magicis artibus et fluxu sanguinis undæ polluentis sunt sacri Paradisi. Hoc acto, post paululum ipsa uberrime Nilus effusus est, ut etiam altius quam solebat fluctus spargeret. Cumque solitas complexset mensuras, et adhuc in culmen extolleretur, in terrorem nimium Ægyptii sunt redacti: metuentes ne et Alexandriam et Libyæ partes forte destrueret. Tunc enim fertur paganos Alexandrinos in theatro clamasse, quia velut senex et delirus evanisset Nilus. Quamobrem plurimi Ægyptiorum derogantes patriæ religioni, ad Christianitatis jura conversi sunt. SOZOMEN., *lib. vii, cap. 20, p. 736.*

CAPUT XLIII.

Quemadmodum caput Joannis Baptistæ Constantinopolim fuerit deportatum.

Eodem tempore dicitur delatum Constantinopolim Joannis Baptistæ caput, quod Herodias petiit ab Herode Tetrarcha. Fertur enim inventum caput a monachis Macedonianis, qui primum quidem Hierosolymis habitabant, postea vero Ciliciam migraverunt. Cum enim ante hoc imperium Mardonius major domus imperialis nuntiasset hoc imperatori, præcepit Valens caput sacrum Constantinopolim deportari. Qua jussione directi, et imponentes illud vehiculo deportabant. Cumque venissent ad locum qui vocatur Pantichium, est enim circa Chalcedonem, nequaquam poterat trahi vehiculum, licet multis plagis burdones affligerentur. Et cum hoc inopinabile videretur universis, et ipsi simul imperatori, sacrum hoc

caput recondiderunt in vico appellato Cosilai. Erat enim possessio ipsa Mardonii. Illo siquidem tempore aut Deo, aut ipso propheta monente, in hunc locum usque perductum est. Cumque postea Theodosius imperator has Baptistæ 350 reliquias voluisset auferre, solam referunt existisse matronam virginem sacram, quæ ejus custodiam capitis exhibebat. Cui dum sæpius imperator non violenter, sed cum lacrymis supplicaret ut eum permitteret sua vota complere: hæc putans quia sicut tempore Valentis, etiam tunc non pateretur ulterius Baptista portari, cessit. At imperator amplectens sua purpura thecam in qua caput Baptistæ jacebat, eamque portans venit, et ante civitatem Constantinopolitanam recondidit in septimo milliario, ibique magnam et pulcherrimam Deo ædificavit ecclesiam; crebroque deprecatus est matronam, promisitque dona gratissima si recedentiari vellet. Nec passa est, erat enim Macedoniana hæresi violata, licet presbyter Vincentius consecrator ejus, qui prophetæ sepulcrum æqualiter observabat, conversus fuisset, et catholicæ communicasset Ecclesiæ. Ferunt enim quia conjurationem habeant Macedoniani nunquam se a sua secta recedere. Verum is presbyter, dum ageretur de migratione sacri capitis, apud se definit, quia si sequeretur Baptista imperatorem, et ipse communicaret ei. Quo facto, conversus est. SOZOMEN., *lib. vii, cap. 21, p. 757.*

CAPUT XLIV.

Quemadmodum Flavianus Antiochenum solus accepit episcopatum.

Igitur in Antiochia Meletii maximi successionem Flavianus accepit, qui cum D odoro plurima pro ovibus certamina passus est. Voluerat enim Paulinus Ecclesiæ suscipere præsulatum: sed pontificum resistit chorus, dicens non oportere eum qui Meletii concilium non receperat, post illius mortem in ejus sede consistere; sed eum potius qui plurimis laboribus effulgebat, et pro ovium cura pericula sustinuerat. Hoc factum Romanos et Ægyptios fecit infestos adversus Orientales. Sed neque morte Paulini inimicitia sunt destructæ. Nam et post illum, cum Evagrius ejus percepisset sedem, perstiterunt Flaviano vehementer infensi, licet Evagrius præter ecclesiasticam regulam fuerit ordinatus. Solus enim Paulinus eum instituerat, plurimas regulas prævaricatus ecclesiasticas. Non enim præcipiunt ut pro se quilibet ordinare possit, sed convocare universos provinciæ sacerdotes, et præter tres pontifices ordinationem fieri penitus interdicit. Verumtamen nihil horum respicientes, Evagrii sunt amplexi communionem, et adversus Flavianum auditis principis commoverunt. Qui frequenter impulsus, deduxit eum ad urbem Constantinopolim, et Romam [*ms. et ed. V., Romæ*] proficisci præcepit. Porro Flavianus excusatione hieus, et promissione facta, quia tempore opportuno pergeret Romam, tunc est reversus ad propria. Cumque Romani pontifices, non solum mirabilis Damasus, sed etiam post eum Siricius et Anastasius im-

peratori vehementer insisterent, dicentes, quod tyrannos quidem propius debellaret; qui vero Christi resisterent legibus, eos sineret impunitos; rursus enim evocans, Romam [*ms. et ed. V., Romæ*] proficisci cogebat. Tunc Flavianus sapientissimus digna fiducia usus ait: Siquidem fidem meam, o imperator, quasi non rectam accusant quidam, aut vitam dicunt sacerdotio non esse dignam, etiam ipsos accusatores habere iudices non refuto, eorumque sententiam grauter excipio. Si vero de sede et præsulatu contentundum, nec litigo, nec hæc volentibus habere resulto; sed absceho, et me ab episcopatu suspendo. Da igitur Antiochenam sedem cuicumque volueris, imperator. Hanc ejus fortitudinem sapientiamque miratus princeps, redire ad patriam, et commissam sibi regere præcepit Ecclesiam. Post aliquantum tempus Romam [*ms. et ed. V., Romæ*] denuo veniens imperator, easdem ab episcopis patiebatur querelas, quasi Flaviani tyrannidem subdere nolisset. At ille speciem tyrannidis eos effari præcepit, dicens se esse Flavianum. Illis vero dicentibus, quia non possent cum imperatore contendere, monuit ut de cætero Ecclesiæ concordiam haberent, deponerentque certamen, et stultas contentiones extinguerent. Paulinus, inquit, olim est mortuus; Evagrius contra regulas ordinatus; orientales autem Ecclesiæ præsulatum Flaviano deferentes, et Asia, Pontus, et Thracia, ejus communioni conjunctæ sunt: omnis Illyricus illum novit per Orientem episcopis præsidere. His flexi monitionibus Hesperix sacerdotes soluturos se inimicitias promiserunt, et legatos mittendos ab eo se suscipere. Hoc agnoscentes sacratissimus Flavianus, misit Romam [*ms. et ed. V., Romæ*] quosdam laudæ dignos episcopos, et Antiochenos presbyteros, atque diaconos, quibus præerat Acacius Beccæ in omni terræ pægoque cantatus. Is cum aliis Romam [*ms. et ed. V., Romæ*] veniens, longamquesanans odii passionem, post decem et septem annos Ecclesiis restituit pacem. Quod agnoscentes Ægyptii, inimicitias extinguentes, concordiam sunt amplexi. Tunc igitur Ecclesiæ Romanæ Innocentius, successor Anastasii, præsidebat, vir prudentia et intellectu decenter ornatus; Alexandrinæ vero Theophilus. THEODORUS, *lib. v, cap. 25, p. 229.*

CAPUT XLV.

De Eugenio tyranno, et quemadmodum fuerit sapientissimus.

Res itaque publica hoc tempore pro hujusmodi causa turbabatur in Occidentis partibus. Grammaticus quidam nomine Eugenius, litterarum Latinarum doctor, relinquens scholas suas, in patria militabat. Eratque imperatoris antigraphus, et propter eloquentiam a multis honorabatur. Tunc ergo, ut fertur, non mediocriter cogitans, cooperatorem assumpsit Arbogastem, de minoribus Gallis ortum, militaris ordinis ducem, virum sævum et neclius præparatum. Quo facto declinavit ad tyrannidem. Igitur uterque contra imperatorem Valentinianum necem machinabantur, cubicularios corruptentes convectos. At illi

dormientem principem suffocarunt. Hoc Eugenius A repente cognoscens imperio potitur Hesperiae, agebatque quod tyranno poterat convenire. Hæc audiens Theodosius imperator, rursus sollicitudinibus obstrictus, secunda certamina post Maximum præparabat. Congregansque militarem virtutem, et Honorium filium designans imperatorem consulatu suo et Habundantii (An. Dom. 393), decimo die Januarii 351 mensis, denuo ad partes Hesperias magno studio festinabat. SOCRATES, lib. v, cap. 24. Edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 293.

Interea eventum belli considerans, misit ad Thebaidam ad Joannem mohachum, tunc præsentia clarum. Ad quem destinavit Eutropium eunuchum sibimet fidelissimum, ut aut eum, si vellet venire, deduceret, aut nolentem de eventu belli requireret. B At ille Joannem quidem deducere non prævaluit; sed mandatum retulit ejus, quia bello vinceret, et perimeret ty annum, et post victoriam in Italia moreretur. SOZOMEN., lib. vii, cap. 22, pag. 740.

Relictis ergo Theodosius ambobus filiis in urbe Constantinopoli, cum pergeret contra Eugenium belaturus, plurimi trans Istrum barbari sunt secuti, cum eo pugnaturi contra tyrannum; parvoque tempore cum manu maxima venit ad Gallias. Illic enim præparabat bellum, ubi jam multa millia habebat exercitus. SOCRATES, lib. v, cap. 24; edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 294.

Cum igitur in quodam monte oratorium invenisset, ibi nocte Domino supplicabat, et circa galli cantum sopore compressus, vidit in somnis quasi jaceret in campo, et astarent sibi duo quidam viri in vestibus albis et equis candidissimis residentes, eumque jubentes habere fiduciam, et diluculo armare milites ad victoriam; dicebantque se pro solatio destinatos. Quorum alter Joannem evangelistam, alter se Philippum dicebat apostolum. Hac visione comperta, nequaquam ab oratione cessavit, sed lacrymas uberiores effudit. Quæ visio etiam alicui militi revelata est, et per diversos pervenit ad principem. At ille: Non propter me, inquit, hæc iste vidit; sed ne quis crederet quia finxi quod ego vidi. Ideoque etiam isti monstratum est; nam primo mihi hoc Dominus communis ostendit. THEODORETUS, lib. v, cap. 24, p. 232.

Fit ergo congressio circa fluvium vocabulo Frigidum. Igitur in parte qua Romani contra Romanos configebant, bella erant æqualia. Unde vero barbari auxiliatores imperatoris, pars Eugenii potior esse videbatur. Imperator autem videns barbaros deperire, in maxima veniens æstuatione, prostravit semetipsum in terra, adiutorem invocans Deum, et petitione frustratus non est. Quidam enim Bacurius magister militum ejus repente sic confortatus est, ut cum primis ducibus concurreret ad eam partem qua barbari premebantur. Quo facto disruptæ acies, et in fugam mox vertit inimicos. Fitque denuo ea hora miraculum; ventus enim vehementissimus inspirans, emissa jacula ab Eugenii partibus contra eos denuo revocabat, et a partibus imperatoris ad hostes cum magna forti-

tudine deferrebat. Tantum valuit imperatoris oratio. Hoc itaque modo dimicatione consumpta, tyrannus currens ad pedes imperatoris, exorabat promereri salutem. Qui circa pedes ejus a militibus capite secutus est. Hæc gesta sunt septima decima die Septembris mensis, consulatu Arcadii tertio, et Honorii secundo (An. Dom. 394). Arbogastes autem tantorum causa malorum, post duos congressionis dies, fuga lapsus, dum cognovisset quia vivere non posset, proprio gladio se peremit. SOCRATES, lib. v, cap. 24; edit. Christ. Vales. cap. 25, p. 294.

CAPUT XLVI.

De miraculis Donati pontificis in Bœcæ.

Ea siquidem tempestate plurimi inter episcopos effulgebant, sicut Donatus Eucæ Epiri. De quo dum provinciales miracula multa testentur, maximum tamen est quod de dracone gessit. Is enim circa pontem in via publica jaceus, cibum habebat oves, capras, equos, et homines abripiens devorabat. Ad quam bestiam Donatus sine gladio, sine quolibet jaculo veniens, cum illa levasset caput, quasi voratura virum, tunc ille vexillum crucis ante faciem ejus digito designans in aere, in os ejus exspuit. Bestia vero sputum mox ore suo suscipiens, expiravit. Quam, sicut audivi, octo paria boum in vicinum campum traxerunt; et misso igne combusta est, ne aerem fetore corrumperet. Hujus itaque Donati sepultura insignis est, ubi oratorium ex ejus nomine vocitatur, habens fontem aquarum quem ipse ferur orationibus invenisse. Nam dum esset locus iuaquosus, et illic ex itinere aliquando venisset, aiunt quia fatigatis illis qui cum eo erant, orasset, et mox aqua inundatio prorupisset, et ex illo tempore hactenus permaneret. SOZOMEN., lib. vii, cap. 25; edit. Christ. Vales. cap. 26, p. 747.

CAPUT XLVII.

De Theotimo Tomitano pontifice.

Eo tempore Tomitanam et Scythiæ Ecclesiam Theotimus gubernabat, vir in philosophia nutritus, cujus virtutem diligentes barbari trans Istrum habitantes, Deum Romanorum esse prædicabant. Divinarum quippe in eo rerum experimenta sæpius perciperunt. Nam cum aliquo tempore iter faceret, illius terræ barbari occurrerunt ei. Et dum hi qui erant circa eum terrore turbarentur, quasi continuo morituri, ex equo descendens oravit. Porro barbari neque eum, neque sequaces ejus, nec equos, de quibus descenderant, videntes, pertransierunt. Dum igitur crebro transeuntes Scythas, naturaliter feroces, epulis muneribusque mansuefaceret, quidam barbarus arbitratus enim esse locupletem, cepit insidiari, ut eum caperet, alligaret et traheret. Cum hoc jam præparasset, et dexteram ad hoc haberet, ut eum jectum laquearet, manus in aere mox ligata, et barbarus ille invisibilibus vinculis est obstrictus. Tunc aliis pro eo rogantibus, supplicavit Deo Theotimus ut barbarus solveretur. SOZOMEN., lib. vii, cap. 25; edit. Christ. Vales. cap. 26, p. 748.

CAPUT XLVIII.

De Epiphania Cyprio.

Eo quoque tempore fuit Epiphanius, Cypriorum episcopus, ad cuius sepulcrum hactenus dæmones expelluntur. Is enim cum substantiam propriam necessitatem sustentibus **352** erogasset, et multis quoque offerentibus ei pecunias manu largissima dispensaret, contigit ut pecuniis deficientibus æconomus Ecclesiæ murmuraret. Quo facto, assistens quidam in domo in qua manebat æconomus, sacculum multarum pecuniarum dedit, et ita disparuit, ut nec qui dedit, nec qui misit agnosceretur. Quod factum omnes divinum esse iudicaverunt. Aliud quoque ejus libet referre miraculum. Quidam pauperes volentes Epiphanium arte deludere, ut eis aliquid daret, dum iter ageret, unus eorum supinum se prostravit in terra, alter stabat quasi mortuum deflexus, nec habens unde eum sepelire potuisset. Epiphanius autem superveniens, oravit ut sub quiete dormiret, et sepulturæ necessaria præbuit, simulque consolatus est flentem, dicens: Quiesce, filii, a lacrymis; non enim metu resuscitari poterit. Est enim inevitabile quod evenit. Cumque discessisset Epiphanius, cœpit ille pulsare socium, ut resurgeret. Et cum hoc semel et secundo fecisset, dicens: Surge, hodie de tuis laboribus epulemur, et ille penitus non sentiret, cognoscens vere mortuum, cucurrit ad Epiphanium flens, et petens ut ejus socium suscitarat. At ille consolatus est, ne graviter ferret quod evenerat. Non tamen defunctum denuo suscitavit. Hoc enim credo provide gestum, ut non facile Dei ministri deludantur. Eo

A SOZOMEN, lib. vii, cap. 26 et 27; edit. Christ. Vales, cap. 27 et 28, p. 749.

CAPUT XLIX.

Quomodo Habacuc et Michæ prophetarum corpora inventa sint.

Non solum religionem hæc tunc nobilitabant, sed etiam Habacuc et Michæ prophetarum corpora, sicut audiui, hoc tempore sunt ostensa revelatione divina, cum Zebennus tunc Eleutheropolitanam gubernaret Ecclesiam, in vico qui prius vocabatur Ceila, in Berethasia prælio, quod distat ab urbe quasi stadiis decem. Circa hunc locum sepultura Michæ fuit, quam nescientes quid dicerent provinciales, fidelium [i. d., Ofidelem] memoriam vocitabant. SOZOMEN, lib. vii, cap. 28; edit. Christ. Vales, cap. 29, pag. 752.

CAPUT L.

De fine Theodosii principis.

Igitur Theodosius imperator, post laborem publicum corpore fatigatus, et sperans se ea ægritudine moriturum, potius de republica cogitabat, considerans quæ solent hominibus provenire imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantino poli velociter evocavit, ordinare volens partes Hesperias. Cumque filius Mediolanum venisset, ex ægritudine relevatus, circum de victoria celebrabat. Et ante prandium quidem spectaculum quasi sanus exhibuit. Post prandium repente prægravatus est, et ad spectaculum venire non potuit; filium tamen ludis adesse præcepit. Superveniente vero nocte defunctus est consulatu Olibrii et Probinii (An. Dom. 395), septima decima die Januarii mensis, anno primo ducentesimæ nonagesimæ quartæ olympiadis. Vixit autem imperator Theodosius annos sexaginta, ex quibus sedecim imperavit. SOCRATES, lib. v, cap. 25; edit. Christ. Vales, cap. 26, p. 295.

LIBER DECIMUS.

353 CAPUT PRIMUM.*De successione Arcadii et Honorii.*

Defuncto igitur Theodosio, in ejus imperio filii successerunt, Arcadius in Oriente, Honorius autem in Occidente. Hoc tempore in Roma Damascus præsidebat Ecclesia, in Alexandria Theophilus, Hierosolymis Joannes, Flavianus Antiochenam tenebat sedem, Constantinopolitanamque Nectarius. Igitur circa octavam diem Novembris mensis, eodem consulari (An. Dom. 395), corpus Theodosii delatum est cum solemnibus honoribus, et ab Arcadio filio sepulturæ contraditur. Post paucos vero dies, id est vicesima septima ejusdem mensis, etiam exercitus qui cum imperatore Theodosio fuerat contra tyrannum, reversus est. Et dum imperator Arcadius secundum consuetudinem ad portas occurrisset exercitui remeanti, tunc milites Rufinum præfectum imperatoris peremerunt.

Erat enim suspectus, quasi tyrannidem posset assumere. Dicebatur autem quia Hunnos ipse in Romanorum provincias evocasset, qui tunc Armeniam et partes Orientis valde vastabant. SOCRATES, lib. vi, cap. 1, p. 299.

CAPUT II.

Quomodo Honorius ludum gladiatorum removerit.

Honorius itaque suscipiens Occidentis imperium ludum gladiatorum, qui dudum Romæ celebrabatur, hujusmodi causa removit. Quidam Tilemachius conversatione monastica pro hac causa ab Oriente venit ad Romam. Dunque nefandum illud spectaculum ageretur, etiam ipse intravit in stadium, et descendens nitebatur pugnantibus inter se gladiis separare. Cumque spectatores adversus eum savirent, et in effusione sanguinis grassarentur, provisorem pacis

lapidibus occiderunt. Hoc agnoscens mirabilis impetator, illum quidem inter victores martyres numeravit, nefandum vero spectaculum prorsus absceidit. THEODORETUS, *lib. v, cap. 26, p. 234.*

CAPUT III.

De morte Nectarii Constantinopolitani episcopi, et ordinatione actibusque Joannis.

Paucis tempore transeunte, etiam Nectarius Constantinopolitanus episcopus defunctus est consulatu Cæsarii et Attici (*An. Dom. 397*), vicesima et septima die Septembris mensis. Mox ergo studia generantur in episcopatum, aliis alium ordinare cupientibus. Novissime vero placuit ut ab Antiochia Joannes evocaretur, Ecclesiæ presbyter. Erat enim ejus doctrinæ fama mirabilis. Intra paucum ergo tempus communi decreto omnium clericorum et laicorum imperator Arcadius evocavit eum. Et propter dignitatem ordinis cum adesset ex imperiali jussione plurimi episcopi, etiam Theophilus venit Alexandrinus, qui studebat quidem Joanni detrahere, et Isidorum suum presbyterum ordinare. Diligebat enim eum, quoniam aliquando sustinuerat pro eo tale periculum. Cum imperator Theodosius adversus Maximum tyrannum decertaret, Theophilus **354** per Isidorum venia misit imperatori, et duplices misit epistolas, mandans ut alias epistolas non vincenti daret, porro victori et munera et alias porrigeret litteras. Has cum Isidorus portasset, Romæ veniens victoriam sustinebat; sed non diu latuit. Quidam enim lector rapiens epistolas, demonstravit imperatori. Quamobrem Isidorus terrore comprehensus, in Alexandriam fugit, celare volens quod fuerat ei mandatum. Ob quam causam Isidorus Theophilus diligebat. Verum palatii judices præposuere Joannem. Cumque multi Theophilum accusarent, libellos adversus eum pro diversis causis præsentibus episcopis obtulerunt. Tunc præpositus palatii, Eutropius nomine, sumens accusationes scriptas, ostendit Theophilo, dicens: Aut ordina Joannem, aut accusationes veniant ad examen. Illic perterritus Theophilus, Joannem ordinavit episcopum. Qui suscepit episcopatum sexta decima die Februarii mensis, consulatu Honorii imperatoris et Eutychni præfecti (*An. Dom. 398*). Quia vero Joannes vir fuit omnino præclarus, ex libris quos reliquit agnoscitur. Cujus vitam, genus, conversationem, et quemadmodum sit depositus, et morte potius [*ed. V., posterius*] honoratus, exponam. SOCRATES, *lib. vi, cap. 2, p. 300.*

Joannes itaque fuit Antiochenus, filius Secundi et Anthusæ nobilium personarum, discipulus sophistæ Libanii, et auditor Andragatii philosophi. Cumque se ad advocatum præpararet, considerans molestias litigantium injustumque vitæ propositum, potius elegit quietem. Et hoc fecit æmulatus Evagrium, quoniam et ipse dum iisdem studiis esset usus, quietam magis secutus est vitam. Mox ergo mutato schemate pariter et incessu, divinis lectionibus incumbere, et frequentius ad sanctam concurrere ecclesiam. Hæc agens persuasit etiam Theo-

dero et Maximo, qui fuerant condiscipuli ejus apud sophistam Libanium, ut composam relinquere vitam, et simplicem sequerentur. Quorum Theoderus postea episcopus Mopsuestenæ ordinatur Ecclesiæ, Maximus autem Selenciæ Isauriæ. Tunc itaque isti sunt discipuli in lectione divina Diodori atque Carterii, qui eodem tempore sacris monasteriis præsidebant. Sed Diodorus postea Tarsi ordinatus episcopus, multos conscripsit libros, sacras ad litteram intuens Scripturas. Porro Joannem degenem cum Basilio, tunc a Meletio factum diaconum, et postea Cæsariæ Cappadociæ præsulem constitutum, Zeno episcopus ab Hierosolymis revertens, lectorem in ecclesia Antiochena constituit. In quo adhuc officia positus librum edidit contra Judæos. Post paucum vero tempus etiam diaconatum a Meletio promerens, de Sacerdotio alium fecit librum, aliosque plurimos explanavit. Postea vero, Meletio in Constantinopolitana urbe defuncto, recedens Joannes a Meletianis, et neque Paulino communicans, tribus annis continue sub quiete degebat. Postea vero, Paulino moriente, ab Evagrion ejus successore presbyter ordinatur. Ante episcopatum itaque hoc modo conversatus est. Fuit enim vir, ut aiunt, propter zelum castitatis severior, et amplius quam habebat a juventute sua, furori magis quam reverentiæ se præbebat, et propter vitæ rectitudinem incautus prospicere de futuris; propter simplicitatem vero, oris libertate profusus, apud colloquentes non mediocriter utebatur; docendo præcipuus erat, utilis ad corrigendos audientium mores; in confabulatione vero arrogans a nescientibus putabatur. Cum ergo talis moribus esset, episcopatu suscepto, majore fastu quam debuerat utebatur, clericorum suorum corrigere vitam volens. Mox igitur in ipso initio, cum clericis asper videretur Ecclesiæ, erat plurimis odiosus, et veluti furiosum universi declinabant. Compellat enim eum ut omnes offenderet Serapio diaconus ejus, qui aliquando presentibus clericis hunc protulit magna voce sermonem: Nunquam poteris, o episcope, hos corrigere, nisi uno baculo percusseris universos. Quo dicto majora contra eum odia concitata sunt. Non post multum vero tempus, plurimos clericorum pro diversis exemptis causis. At illi conspirantes adversus eum, etiam derogationibus apud populos utebantur; quarum rerum faciebant maximam fidem, eo quod nec ullum secum comedere pateretur, nec ipse ad alium invitatus accederet. Dicunt enim quidam propterea noluisse eum cum quoquam comedere, eo quod turpiter manducaret escasque perciperet; alii vero propter excellentem ciborum continentiam hoc eum facere prædicabant. SOCRATES, *lib. vi, cap. 3, p. 301.*

Ego tamen quodam viro veraci referente audiui, quia propter abstinentiam capite et stomacho sæpe dolebat, et ideo prandiorum epulis evitabat. SOZOMEN., *lib. viii, cap. 9, p. 769.*

Porro populus propter sermones quos in ecclesia faciebat, diligebat eum, parvipendens accusationum voces. Quales vero sint ejus libri, non oportet hunc

dici, quoniam legentibus poterunt indicari. Igitur A cum clero tantummodo esset infensus, machinationes contra eum non omnino valuerunt. Dum vero etiam plurimos procerum objurgare cœpisset, tunc invidia contra eum major accensa est. Et quidem plurima dicebantur, multa quoque faciebant audientibus si- dem. SOCRATES, *lib. vi, cap. 4, p. 304.*

CAPUT IV.

Quomodo Eutropius præpositus imperatoris fuerit interemptus.

Ejus derogationibus dedit augmentum homilia contra Eutropium tunc prolata. Eutropius enim eu- nuclus præpositus imperatoris, et habens consulis dignitatem, volens in quibusdam ad ecclesiam refu- gentibus vindicare, studuit ab imperatoribus legem B poni jubentem ut nullus ad ecclesias confugeret, imo qui dudum refugerant, traherentur. Sed Dei secutum est repente iudicium. Erat ergo proposita lex. Post paucos vero dies cum ipse Eutropius offendisset im- peratorem, inter refugas erat apud ecclesiam. Epi- scopus vero, Eutropio sub altari jacente, nimioque percusso timore, residens super ambonem, ubi sole- bat prius consue- tate facere sermonem, homiliam in- crepatoriam fecit adversus eum. Unde plurimos magis offendebat, eo quod homini in infelicitate po- sito non solum miseratus non est, sed etiam nec objurgare desisteret. Igitur Eutropii, tunc consula- tus dignitatem habentis, propter quædam vitia ca- put imperator jussit auferri, et ex ordine consulum ejus nomen penitus abrogari (*An. Dom. 399*). Quam- obrem Theodori solummodo, qui cum eo consul fuit, nomen C 355 ascriptum est. Pro diversis igitur causis multos sæpius fiducialiter objurgabat, et pu- rimis erat odiosus. Unde Theophilus, Alexandrinæ civitatis episcopus, mox post ordinationem causas ejus dejectionis inquisivit, et quibusdam præsentibus de eo latenter obloquebatur, multis etiam longe po- sitis scribebat. Contrastabatur enim non solum pro fiducia Joannis, sed quia etiam Isidorum presbyte- rum suum, episcopum Constantinopoleos ordinare non valuit. SOCRATES, *lib. vi, cap. 5, p. 304.*

Sacerdotibus igitur Joannes episcopus supplicabat ut secundum ecclesiasticas viverent sanctiones, quas quicumque prævaricari præsumerent, eos ad templum prohibebat accedere. Dicebat enim quia nec debe- rent D frui honore sacerdotii qui eorum vitam contem- nerent imitari. Non solum enim providentiam urbis Constantinopoleos habebat, sed etiam totius Thra- ciæ, quæ sex provinciis est divisa, et quæ undecim administrationibus dispensatur. His legibus ordinabat etiam Ponticam regionem, quæ totidem iudiciis gu- bernari dignoscitur. Cumque cognovisset in Phœnice adhuc dæmonibus sacrificia ministrari, electos mo- nachos et imperialibus sanctionibus coarmatos adver- sus cultores destinavit idolorum : dans pecuniis templorum destructoribus erogandas, non ex ærario publico, sed quas a fidelissimis mulieribus oblatas sponte percipiebat. THEODORÆTUS, *lib. v, cap. 28, p. 255.*

CAPUT V.

De conversione Celticorum per Joannem.

Videns igitur etiam populum Celticorum Arianis retibus laqueatum, et cogitans de eorum capienda salute, consilium hujusmodi venationis invenit. Eju- dem namque linguæ presbyteros, diaconos atque lec- tores fecit, et unam eis ecclesiam dedit. Qua occa- sione multos eorum cepit, dum et ipse frequenter illie iret, et per interpretem Celticum divinas lectiones exponeret. Hæc ergo intra civitatem crebro facien- , et plurimos ejus gentis Arianorum ad apostolica do- gnata revocavit. Apud Scythas autem quidam erant desiderium salutis habentes, quo non poterant perve- nire. Quod Joannes agnoscens, quæsivit viro: aposto- lico zelo ferventes, eosque direxit, et desiderantibus salutis gratiam ministravit. Ego autem etiam litteras ejus legi ad Leontium Ancyrae præsulem, quibus in- dicavit Scythas fuisse conversos in nostra provincia. Et cognoscens in quibusdam vicis Marcionis crevisse languorem, scripsit ejus loci pastoribus ut eos pelle- rent. Insuper etiam principis pro hac causa proferri petiit sanctionem. [*Hæc desunt in mss. codicibus et in ed. V.*] Quod igitur ecclesiarum curam in animo ha- buerit secundum divinum Apostolum, satis hæc do- cuerint. [*Hæc autem desunt in edit. Valesii*] Licet au- tem etiam aliunde illius libertatem intelligere. THEO- DORÆTUS, *lib. v, cap. 30, p. 256.*

CAPUT VI.

De Gaina magistro militum ejusque rebellionem.

Gainas quidam genere Celticus, consilio barbarus, studio tyrannico vehementer elatus, eo tempore cum esset magister militum, multos suæ gentis, multos etiam Romanorum sub suo magisterio habens, terro- rem plurimis, etiam ipsi principi, meditatione tyran- nidis inferebat; eratque Arianus. Is ergo rogavit im- peratorem ut intra civitatem ei unam daret eccle- siam. At ille eum se placare promisit. Tunc evocans Joannem, eique potentiam illius, meditatamque ty- rannidem dicens, petebat ut data ecclesia ejus refræ- naret intentionem. At ille virtute fortissimus : Noli, inquit, o imperator, hæc promittere, neque sanctum canibus dare. Non enim potero Deo benedicentes ex- pellere, et sanctum templum blasphemantibus injuste contradere. Neque hunc barbarum metuas, impera- tor; sed ambos nos jube vocari, et sub silentio inter nos quæ dicuntur audi. Ego namque linguam illius sic frenabo, ut non præsumat potere quæ dari non expedi- dit. Hoc audiens imperator gavisus est, et utrumque altera die vocavit. Tunc Gainas petitionem suam po- scebat; Joannes contradicebat, dicens : Non licet imperatori pietatem custodienti aliquid contra mandata divina præsumere. Cumque responderet illo quia oratorium et ipse habere deberet, Joannes ait : Ubi- que tibi divina domus aperta est, et nullus te vetat orare. At ille : Sed ego, inquit, alterius se tæ sum, et cum meis unum templum habere depono. Multos enim pro Romana republica labores assumpsi, et non debeo in mea petitione contemni. Cui Joannes : Plu- rima, inquit, præmia, et quæ transcendunt tua cer-

tamina, percepisti, magister militum factus, consulari toga insuper exornatus. Et oportet te considerare qui dudum fueris, et qualis modo conspiciaris, et quæ præcipua paupertas, et quæ moderna substantia; quibus vestibus utebaris antequam Istrum transisses, et quibus nunc uteris. Considera igitur quia pauci labores maxima tibi præmia contulerunt, et circa honorantem te non sis ingratus. His sermonibus tantus ille doctor obstruxit os Gainæ, eumque compulit ut taceret. **THEODORETUS, lib. v, cap. 32, p. 237.**

Igitur dum Gainas adipisci desideraret imperium, qui dudum de sua fide apud beatam martyrem Eufemiam in Chalcedonia imperatorj Arcadio promississet, diversa consilia revolvebat, et in sua intentione semper instabat. Dumque per diem nihil in urbe Constantinopolitana agere potuisset, machinatus est ut nocte barbaros mitteret qui palatium concremarent. Tunc enim aperte monstratum est quomodo Deus custodiat civitatem. Missis enim ab eo barbaris ad incendium atque prædas, angelorum turba apparuit, armorum ingens corpus habentium. Illi vero putantes esse milites, abscesserunt. Cumque hoc Gainæ fuisset nuntiatum, incredibile visum est. Noverat enim quia cunctus exercitus per civitates fuerat constitutus. Quapropter denuo futura nocte alios destinavit. Cumque idem ei renuntiatum fuisset (denuo enim angeli eandem visionem barbaris ostendebant), novissime ipse egressus cum multitudine, miraculi sumpsit experimentum: arbitratus revera quia per diem quidem lateret exercitus, nocte vero pro ejus custodia poneretur. Et ita, dum intra urbem nihil posset implere, egressus ad Thraciam, aperte hostilem monstravit intentionem. **SOCRATES, lib. vi, cap. 6, p. 307.**

Cum igitur aliquantum transisset tempus, diu meditatam tyrannidem Gainas patefecit. Collecto **356** namque exercitu, per Thracias universa vastabat. Hoc agnoscentes et iudices et populi terrebantur; et neque repugnare illi quilibet præsumebat, neque apud eum legatione fungi, dum asperitatem barbaricam formidarent. Tunc ergo alios omnes tanquam metuentes relinquens imperator, Joanni viro sanctissimo onus legationis imposuit. At ille neque illius resultationis memor, neque inimiciorum quæ hinc exortæ videbantur, alacriter est profectus ad Thracias. At ille cognoscens legatum, ejusque fiduciam pro pietate sic licenter assumptam, occurrit ei longo itinere, ejusque dexteram suis oculis circumposuit; insuper etiam suos filios sacra ejus genua osculari præcepit. Hujus ergo virtutis Joannes fuit, ut etiam valde terribiles humiliari cogeret et timere. **THEODORETUS, lib. v, cap. 32 et 33, p. 238.**

CAPUT VII.

De questione inter Ægyptios monachos exorta: An Deus corporeus sit, an incorporeus.

Ea tempestate quæstio mota fuerat: utrum Deus corporeus esset, et hominis haberet schema; an certe incorporeus, et schemate humano omnimodis alienus. Ex qua quæstione contentiones et certamina plurima

su-rexerunt, aliis hoc affirmantibus, aliud aliis: maxime tamen simplices monachorum corporeum et humanæ formæ Deum esse judicabant. Plurimi vero reprobantes illos, Deum incorporeum esse dicebant, et forma corporea segregatum. Cum quibus Theophilus quoque Alexandrinus consonabat episcopus, ita ut in ecclesia coram populo contra eos qui humanæ formæ Deum asseverant contenderet, et Deum incorporeum suo dogmate definiret. Hæc agnoscentes Ægyptiorum monachi, venerunt Alexandriam, et seditionem contra Theophilum velut impium excitarunt, ita ut eum occidere niterentur. Hoc ille agnoscens cogitavit quemadmodum evitaret mortem. Quos sub blandimento suscipiens, hæc eis locutus est: Sic, inquit, vos video sicut Dei vultum. Hoc dicto monachos a suo impetu revocavit. At illi: Si vere, inquit, dicis, quia Dei vultus sic est sicut et noster, anathematiza libros Origenis. Ex ipsis enim quidam adversantur opinioni nostræ. Si enim hoc non feceris, quæ impiorum et Deo rebellium sunt a nobis sine dubio sustinebis. Ego, inquit Theophilus, quæ vobis placent facio, nolite in me sævire. Nam et ego inimicus sum librorum Origenis, et culpo suscipientes. Sic ergo monachos declinavit, et forsitan ideo hæc quæstio hactenus est ablata. Post hæc hujusmodi causa provenit. Ægypti monasteriis quatuor venerabiles præsidebant viri, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, Euthymius germani, qui pro corporis magnitudine Longi vocabantur, sermone vitæque fulgentes, et propterea apud Alexandrinos egregii. Sed etiam Theophilus eos honorabat episcopos. Quamobrem Dioscorum violenter tractum Hermopoleos fecit episcopum; duos autem eorum rogavit ut habitarent cum eo, et vix ut episcopus fieret impetravit, factosque clericos ecclesiæ œconomos instituit. Cumque illi æstuantur cur minus propositum suæ conversationis implerent, et procedenti tempore viderent animas suas lædi, dum episcopus pecuniarum haberet vitam [ed. Niv. et Frob., pecuniam haberet multam], et multum auri congregandi studium, repudiabant esse cum eo, et deserti potius habitaculum diligebant. Dumque ille nesciens eorum voluntatem, sibi eos adesse deposceret; postea videns quia eis potius ipse displiceret, fratus interminabatur eis. At illi hoc parvipendentes abscedunt. Porro Theophilus cum animo **D** fervens esset, nisus est ut viros illos qua posset arte vexaret. Et fratrem interim eorum Dioscorum habebat odiosum. Contristabatur enim, quia eos turba diligeret et coleret monachorum; et sciebat quia eis aliter nocere non posset, nisi monachos debellaret. Probaverat quoque quia, crebro cum eis habito sermone, faterentur incorporeum esse Deum, et non humanæ formæ, ne forte necessitate humanæ formæ humana quoque passio sequeretur. Et cum sic Theophilus saperet, tamen ut se vindicaret, quod bene prius prædicaverat, immutavit. Mittens enim in eremum, plurimos monachorum simplicium et spiritali exercitatione carentium est venatus: dicens non oportere sequi Dioscorum, neque fratres ejus, dicentes incorporeum esse Deum. Deus enim,

secundum divinam Scripturam, et oculos habet, et A
aures, et manus, et pedes, sicut et homines. Dioscorus
autem ejusque sequaces, sequentes Origenem,
dogma blasphemum introducunt, quasi Deus nec oculos,
nec aures, nec manus habeat, neque pedes. Ille
seductione monachorum plurimi sunt decepti. et seditione
ferventissima suscitatur. Sed exercitati viri seducti
non sunt, simplices autem ardore fidei repente contra fratres
insurgunt. Et facta divisione alterutros impetebant.
Theophili sequaces Origenistas et impios appellabant fratres;
isti vero sequaces Theophili Humaniformianos vocabant.
Ob quam rem orta immani seditione, Theophilus cum
armatorum multitudine venit in Nitriam contra Dioscorum
ejusque fratres. At illi vix fuga valuerunt declinare pericula.
SOCRATES, lib. vi, cap. 7, p. 309.

CAPUT VIII.

Quomodo hymni nocturni a Joanne sunt incepti.

Cum hæc in Ægypto fierent, Joannes Constantinopolitanus
doctrina florebat, et apud cunctos favorabilis habebatur.
Auxitque primus in nocturnis hymnis orationes ob hujusmodi
causam. Ariani, sicut dictum est, foras civitatem collectas
agebant. Sabbato autem atque dominica, intra portas et per
porticus congregati, hymnos et antiphonas ex Ariano dogmate
compositas decantabant. Et hoc maxima noctis parte
facientes, diluculo cum ipsis antiphonis per mediam
civitatem egressi portam, ad suam ecclesiam concurrebant.
Cumque hoc crebro quasi ad vituperationem orthodoxorum
facere non cessarent, frequenter enim etiam hoc cantabant:
Ubi sunt qui dicunt trina virtute unum? tunc Joannes metuens
ne simplices hujusmodi cantibus traherentur, instituit suum
populum ut et ipsi nocturnis occuparentur hymnis; quatenus
et illorum obscuraretur opus, et fidelium professio **357**
firmaretur. Studium ergo Joannis nimis utile, cum turba
periculisque finitum est. Nam dum clariores hymni
homousianorum noctibus apparerent (fecerat enim etiam
cruces argenteas, quæ cum cereis portabantur, expensas
ad hæc Eudoxia Augusta præbente), tunc Ariani zelo tracti,
usque ad necem insurgunt. Una ergo nocte, congressione
facta, petra in fronte percussus est Brison eunuchus
Augustæ, qui ad hymnos exercendos fuerat deputatus.
Sed etiam quidam ex populo utriusque partis extincti sunt.
In his motus imperator, prohibuit Arianos hymnos publice
decantare. SOCRATES, lib. vi, cap. 8. Edit. Christ. Vales. cap. 7 et 8, p. 312.

CAPUT IX.

Quod episcopo Ignatio angelorum Deum laudantium visio sit ostensa.

Dicendum tamen est unde sumpsit initium ut in ecclesia
antiphonæ decantentur, Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius
post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis
degebat apostolis, vidit angelorum visionem, quomodo
per antiphonas sanctæ Trinitati dicebant hymnos. Isque
modum visionis Antiochiæ tradidisse probatur Ecclesiæ,
et ex hoc ad cunctas transivit Ecclesias. SOCRATES, lib. vi, cap. 8,

CAPUT X.

De inimicis Joannis.

Fertur enim quoniam inter alia Joannes etiam pro Severiano,
Cabalensi episcopo, odium Augustæ conceperat. Is enim
Severianus et Antiochus Ptoemaidis ambo eloquentissimi
erant, et coram ecclesia docere præparati. Veniens ergo
prius Antiochus Constantinopolim, eloquentia promotus
atque pecuniis ditatus, in suam reversus est civitatem.
Pro cuius zelo Severianus postea venit, vidensque quod
Joannes frequenter in ecclesia sermone facto mirabilis
apparerebat, eratque honorabilis apud multos proceres,
et apud ipsum imperatorem, pariter et Augustam. Cumque
Joannes perrexisset in Asiam, huic commendavit Ecclesiam.
Credebat enim ejus blandimentis quia eum revera diligeret.
At ille magis se auditoribus commendabat. Quod dum
Joannes audisset, Serapione nuntiante, zelatus est.
Reversoque ab Asia Joanne, contigit, transeunte
Severiano, ut studiosè non assurgeret Serapio. At ille
exasperatus clamavit: Si Serapio clericus mortuus fuerit,
Christus inhumanatus non est. Ob quam rem accusatus
a Serapione velut injuriosus et in Deum blasphemus,
civitate pulsus est a Joanne. Quod Augusta cognoscens
per familiares Severiani, mox eum a Chalcedone fecit
revocari. Porro Joannes, multis rogantibus, eum
videre fugiebat, donec in Apostolorum ecclesia
ejus genibus poneret Augusta Theodorum filium suum,
supplicans et sæpe conjurans ut Severianum suo
reconciliaret affectui. SOZOMEN., lib. viii, cap. 10,
p. 770.

Interea monachi ab eremo ad Constantinopolim
veniunt cum Dioscoro et fratribus, cum quibus Isidorus,
qui Theophili amicissimus dudum, ob hujusmodi causam
postea fuerat inimicus. Petrus quidam archipresbyter
Alexandrinæ fuit Ecclesiæ. Hunc Theophilus ab Ecclesia
odio faciente projecit, culpans eum quasi mulierem
quandam Manichæam, non primitus abrenuntiantem
hæresim, in communionem sacram suscepit. Cumque
Petrus diceret se eam jussu Theophili suscepisse,
illo negante, Isidori testimonium Petrus implorabat,
quia hoc actum non ignorasset episcopus. Eo tempore
Isidorus Romæ degebat, a Theophilo missus ad
Damasum ut ei Flavianum Antiochiæ reconciliaret
episcopum. Verum reversus Isidorus Petri respensionem
veram esse firmavit, dicens quia mulier Manichæa
cum episcopi fuisset jussione suscepta. Hinc accensus
Theophilus, ambos expulit ab ecclesia. Ob hanc ergo
causam Isidorus cum Dioscoro et reliquis [ms. Lyr.,
fratribus] Constantinopolim venit, ut principi et
Joanni ejus facta narraret. Hæc Joannes agnoscens,
honorabat principio viros, eorumque fruebatur
orationibus; communionem vero sacram cum eis ante
causæ cognitionem participare non voluit. Illis ita
gestis, pervenit ad Theophilum sermo falsus, quasi
Joannes illis communicasset, et eis ferret auxilium.
Parabatque ut non solum de Dioscoro et Isidoro
semel ulcisceretur, sed etiam Joannem episcopatu
deponeret. Misit ergo ad singularum episcopos
civitatum episto-

las, celans intentionem suam, culpans tamen Origenis libros. Deinde Epiphanium Cypri fecit amicum, cum prius ejus fuerit inimicus, tanquam de Deo minus saperet, eumque formam hominis habere judicaret. Tunc ergo quasi ex poenitentia, ejus se professus est sequi sectam [ms. Lyr., dicta] egitque ut synodus episcoporum Cypri celebraretur, quatenus libri damnarentur Origenis. Porro Epiphanius, propter nimiam sui reverentiam atque simplicitatem circumventus, constituta synodo lectionem librorum Origenis interdixit; misitque litteras ad Joannem, monens ut se ab Origeniana lectione suspenderet; et synodo congregata, quæ placuerant etiam ipse firmaret. Theophilus igitur famosissimum Epiphanium circumveniens, et agnoscens sua vota proficere, etiam ipse collectis episcopis libros damnavit Origenis, qui pene ante ducentos defunctus erat annos: non quia hujusmodi haberet intentionem, sed studens Dioscoro ejusque nocere sequacibus [ms., Dioscorum ejusque sequaces circumvenire]. Joannes autem parvipendens quæ ab Epiphanio et Theophilo fuerant nuntiata, in doctrina ecclesiastica laborabat, et in ea quidem florebat: nihil tamen de his quæ contra eum cogitabantur sæpe curabat. Cumque Theophilus jam manifesto studere videretur ut Joannem episcopatu deponeret, tunc etiam inimici Joannis Theophilum sunt secuti; et multi clerici, multi procerum palatii tempus invenientes opportunum, nitentur ut synodus Constantinopoli fieret contra Joannem. Et hoc tam per epistolas sibimet quam per verba mandabant. Auxit igitur odium Joanni causa Severiani et Antiochi episcoporum, quæ supra relata est. SOCRATES, lib. vi, cap. 9 et 10, p. 314.

CAPUT XI.

Quomodo Epiphanius Cyprius Joanni sue it inimicus.

Post paucum vero tempus Epiphanius episcopus Constantinopolim venit, portans damnationem 358 librorum Origenis. Quibus non quidem ipsum Origenem excommunicatum decreverant, sed libris tantummodo derogaverant. Egressus ergo ad basilicam Sancti Joannis, milliario ab urbe septimo constitutam, et collecta ibidem celebrata ordinatione diacono, rursus venit in civitatem, et invitationem quidem Joannis declinavit causa Theophili; in propria vero mansione habitare magis elegit. Et vocans tunc presentes episcopos, damnationem librorum Origenis legebat eis. Et quidam habentes Epiphanii reverentiam subscribebant; plurimi autem hoc facere recusabant. Quorum fuit etiam Theotimus Scythiæ præsul, qui ita respondit: Ego, inquit, o Epiphani, neque ei qui dudum bene requievit injurias infero, neque rem blasphemam tentare præsumo, damnans ea quæ priores nostri respuere noluerunt; proinde neque malam doctrinam in libris Origenis esse conspicio. Tunc proferens libros ejus [ms. Santhead., ei] Origenis legit, et ecclesiasticas expositiones ostendit; ac postea procedens dicebat: Qui his contumelias inferunt nesciunt sentetippos. Hæc ergo Theotimus, viæ rectitudine famosissimus, Epiphanio respondisse

A fertur. Sed quoniam detractores plurimi subripientes, velut blasphemum respuunt Origenem, pauca de his dicere non videtur absurdum. Viles homines, et qui per semetipsos nequeunt apparere, vituperando meliores esse se aliquid conantur ostendere. Hoc passus est primo Methodius Lyciæ Olympi civitatis episcopus; deinde Eustathius pauci præsul temporis, et post eum Apollinaris, novissime Theophilus. Isti derogabant Origeni, et alii [ms. Santhead., et aliter] ob aliam causam ad accusationem ejus accesserunt. Methodus igitur cum multum derogasset primitus Origeni, postea velut ex poenitentia miratus virum, in dialogo quem attulavit Xenonem, sic ait: Sed quid amplius ego de illorum querimoniis factis contra Origenem loquor? Dum culpant eum pro quibus putant causis, et nihil quasi male credentem de sancta Trinitate reperiunt, ostenduntur in eo magis pietatis et rectitudinis testimonia perhibere. Athanasius autem defensor Nicæni concilii, libris propriis contra Arianos voce clara testem suæ fidei hunc virum vocat, illius libros conjungens suis, et hæc dicens: Mirabilis, inquit, et laboriosissimus Origenes hoc de Filio Dei nobis testimonium perhibens, ait, coæternum eum asseverans Patri. Ignorant igitur semetipsos derogatores Origenis, etiam laudatorem ejus Athanasium blasphemantes. Hæc de Origene dicta sufficiant. Nunc sequamur historiam. SOCRATES, lib. vi, cap. 11 et 12. Edit. Christ. Vales. cap. 12 et 13, p. 318.

CAPUT XII.

Quomodo Joannes acceperit Epiphanium.

Joannes igitur Constantinopoleos indignatus non est cur absque regulis in ejus ecclesia ordinationem fecerit Epiphanius; sed tamen rogabat ut inter episcopos cum eo maneret. At ille nec manere se cum eo, nec orare respondit, nisi Dioscorum et qui cum eo erant urbe depelleret, et ipse in librorum Origenis damnationem subscriberet. Joanne hæc facere differente, et dicente non oportere ante catholicam cognitionem aliquid facere petulanter, ad hoc consilium ab inimicis Joannis Epiphanius instigatur. Cum esset in Apostolorum ecclesia celebranda collectio, procedere faciunt Epiphanium, et eorum omni populo Origenis damnare libros, et adjudicare Dioscorum ejusque sequaces, simul quoque derogare Joanni, velut eorum defensori. Hæc Joanni nuntiantur. Altera vero die dum jam venisset Epiphanius ad ecclesiam, hæc per Serapionem verba mandavit: Contra regulas multa gessisti, o Epiphani! primum quidem, quia ordinationem fecisti in ecclesia sub meo jure constituta; deinde quia, me non jubente, in ea auctoritate propria sacra celebrasti; rursus quia invitatus excusasti, et nunc denuo in teipsum confidis. Quapropter observa ne turba nascatur in populo, et hujus rei periculum ipse suscipias. Hæc dum audisset Epiphanius, ab ecclesia formidatus abscessit. Cumque reversurus esset ad Cyprum, ferunt quidam hæc eum mandasse Joanni: Spero quia non morieris episcopus. At ille remandavit: Spero te ad tuam patriam non redire. Hæc utrum vere dicta sint nescio;

ambo tamen hunc halucere suum. Nam nec Epiphanius A vivus pervenit ad Cypriam, sed in navi defunctus est, et Joannes post paululum episcopatu depositus est. SOCRATES, *lib. vi, cap. 13. Edit. Christ. Vales. cap. 14, p. 520.*

CAPUT XIII.

Cur Augusta gravius, et per quos Joanni facta sit inimica, et quomodo exilio fuerit deportatus.

Cumque Epiphanius discessisset, pervenit ad Joannem quoniam Eudoxia Augusta eum contra Joannem armasset; et hinc accensus, linguæ ubertate sermonem fecit in populo sanctarum mulierum vituperatione plenum. Hunc sermonem populus omnis arripuit, quasi contra Augustam prolatus esset, et ita pervenit ad aures imperatoris. Quod Augusta cognoscens, velut injuriam suam narravit imperatori: dicens illius magis esse contumeliam quæ ejus uxori fiebat. Quamobrem gestum est ut Theophilus contra eum quam velociter synodum celebraret. Quod etiam Severianus simul agebat; erat enim adhuc inimicus. Inter hæc Theophilus venit, multos simul episcoporum movens [ed. V., monens]. Confluebant igitur plurimi Joannis inimici. Aderant etiam quos ab episcopatu removerat. Omnes ergo concorditer in Chalcedona conveniunt, ubi tunc erat episcopus Cyrinus, multa contra Joannem loquens, impium eum superbumque vocans. Episcopi vero delectabantur in talibus. Porro Maruthas Mesopotamenus episcopus, nolens Cyrini calcavit tunc pedem. At ille dolore constrictus, Constantinopolim cum episcopis transire non potuit; alii vero sunt transvecti. SOCRATES, *lib. vi, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 15, p. 521.*

Postea vero cum dolore laboraret ejus crus frequenter, est abscissum, quia putredo pene omne corpus ejus invaserat, et in pedem alium jam serpebat. Is ergo post paululum tempus est defunctus. SOZOMEN., *lib. viii, cap. 16, p. 779.*

Theophilo autem ab Alexandria venienti nullus occurrit, nec solemniter honoratus est; erat enim apertissimus inimicus. Sed Alexandrini nautæ, qui tunc venerant cum frumentis, occurrentes, eum favorabiliter susceperunt. Cumque 359 venisset Constantinopolim, refutavit in ecclesiis introire; sed in una domo Augustarum vocabulo Placidiana tunc habitavit. Hinc ergo coeperunt contra Joannem movere causas; et non jam de libris Origenis memoria ferebatur, sed has accusationes illicitas excitabant. His ita præparatis, convenientes episcopi in suburbano Chalcedonensi quod Rufini nomine vocatur, ubi est in honore Petri et Pauli apostolorum basilica constituta, evocaverunt Joannem, satisfacturum pro quibus accusabatur, jusseruntque ut cum eo venirent Serapion et Tigrius eunuclus presbyter, et Paulus lector; isti enim simul accusabantur. Cumque Joannes evocantes velut inimicos refutaret, universalem synodum fieri proclamavit. At illi nihil morati, quater eum evocaverunt. Qui cum noluisset accedere, sed synodum fieri proclamaret, damnaverunt eum:

in nullo culpantes, nisi quia vocatus noluit obedire. Dumque hoc fuisset circa vesperam nuntiatum, populus ad seditiones maximas excitatus est; et nocte concurrentes, eum trahi ab ecclesia non sinebant; sed clamabant ut apud majus concilium de eo ageretur examen. Porro jussio principis imminet, velociter eum ejici et exilio deportari. Hoc agnoscens Joannes tertia damnationis die circa meridiem semetipsum, populo ignorante, contradidit. Cogitabat enim ne ulla propter ipsum seditio nasceretur. Et ille quidem exilio jucebatur. In populo autem seditio importabilis est exorta, ita ut etiam multi inimicorum ejus misericordia moverentur: dicentes eum calumniam passum, quem paulo ante desiderabant videre depositum. Quamobrem clamabant omnes B contra principem atque concilium sacerdotum, et maxime contra Theophilum. Non enim ejus machinatio jam poterat latere, quæ multis quidem indicibus apparebat; maxime quia Dioscuro ejusque fratribus mox post Joannis dejectionem communicaverat. Tunc igitur etiam Severianus in ecclesia docens, J anni derogabat, dicens: Etsi in nullo alio vituperandus Joannes est, ejus tamen superbia crimen est damnationi sufficiens. Omnia namque peccata remittuntur hominibus, *superbis autem Deus resistit* (Jacobi iv, 6), sicut sanctæ Scripturæ docent. SOCRATES, *lib. vi, cap. 14. Edit. Christ. Vales. cap. 15 et 16, p. 522.*

CAPUT XIV.

C *Quomodo Joannes sit reversus, et denuo a calumniatoribus impetitus.*

Orta igitur immensa seditione, populo discurrente, et ad ipsa regalia proclamante, Augusta permota rogavit imperatorem ut eum reverti præciperet. Misso igitur tunc eunucho Bresone, etiam necessitas Joanni nolenti ut in civitatem ingrederetur imposita est. Eo siquidem remeante, cum multo ei honore ad ecclesiam plebs occurrit. Et mox ut Joannes ingressus est, rogabant ut in episcopali sede resideret, et populo orationem pacis impenderet. Quo refutante atque dicente quia hoc oporteret judicio fieri synodali, et eos qui damnaverant suam sententiam revocare, accendebantur [ms. Theod., accedebant] omnes videre eum in loco proprio residentem, et verba doctoris audire. Qui licet diu tardaret, prævaluit tamen D populus, et eum in sede re-idere episcopali coegit, et consuetæ orationem præbere pacis. Coactus etiam sermonem fecit in populo. Hæc causa aliam præbuit inimicis occasionem. Et primo quidem de Heraclidis ordinatione [ms. Theod., ordine] contra eum movere dicebatur Theophilus quæstionem, ut Joannem hujus rei occasione deponeret. Verum Heraclidis non aderat, judicabatur autem veluti præ-ens, quasi quosdam injuste cæcidisset, catenisque viuctos misisset in pompam Ephesi per mediam civitatem. Cumque pars Joannis diceret auditorium debere juste constitui, Alexandrini contendebant ut Heraclidis accusatores susciperentur. Hinc ergo seditio et cædes inter Constantinopolitanum populum et Alexandri-

num vehemens est exorta. Ob quam rem plurimi vulnerati, pauci etiam mortui sunt. Hæc videns Theophilus, repente diffugit in Alexandriam. Quod etiam alii fecerunt episcopi præter pueros, qui personam Joannis amplectebantur. His ita gestis, reprehensibilis Theophilus est inventus. Cujus auxilium invidiam, quod rursus Origenis libris incomberebat. Qui dum ab aliquo fuisset interrogatus, quomodo ea quæ abdicaverat rursus amplecteretur, ita respondit: Origenis libri similes sunt prato floribus universis pleno; quidquid ergo in eis bonum invenero, hoc decerpo; si quid vero mihi spinosum occurrerit, hoc quasi pungat omitto. Hæc ergo Theophilus ait, non considerans Salomonis sapientissimi verba dicentis, quia *verba sapientum sicut clavi et aculei* (Eccle. xii, 11) sunt. Ob hanc ergo causam apud omnes Theophilus reprehensibilis videbatur. Porro Dioscorus Hermopoleos episcopus post paululum fugæ Theophilli mortuus est, claraque sepultus in basilica apud Illicem constituta, ubi propter Joannem synodus fuerat celebrata. SOCRATES, *lib. vi, cap. 14 et 15. Edit. Christ. Vales. cap. 16, p. 324.*

Missus ergo tunc Joannes in exilium, ad orificium habitabat Ponti, quo l vocatur Hieron. Cumque per noctem terræmotus civitatem regiam invasisset, legati matutino tempore mittebantur ad eum, rogantes ut velociter revertere ad civitatem, et orationibus suis pericula removeret. Sed et alii post illos, et rursus alii destinati sunt, ita ut legatis Bosphorus impleretur. Quod dum fidelissimus populus agnovisset, fluctus Propontidis navibus est opertus. Omnes enim occurrerunt cereos et lampades accendentes pro reversione pastoris. THEODORETUS, *lib. v, cap. 54, p. 239.*

Interea cum Theophilus nāvigio in Hierapolim advenisset, mortuo ejusdem civitatis episcopo, Nilamnonem monachum elegerunt cives. At ille cum crebro refugeret, ei Theophilus suadebat ut sacerdotium refutaret. Tum ille promisit [*ms. Lyr., respondit*], dicens: Cras quod Domino placet implebitur. Altera vero die venientes ad cellam ejus cogebant eum. Tunc Nilamnon: Prius, inquit, orēmus. Quod dum Theophilus laudasset, simul orabant. Nilamnon astem repente terminum vite cum illa oratione suscepit. SOZOMEN., *lib. viii, cap. 19, p. 784.*

360 CAPUT XV.

Qualiter Joannes tractaverit Augustam.

Joannes itaque doctrinis occupabatur, ordinavitque Serapionem Heraclie Thracensis episcopum. Unde contra eum majus odium excitatur. Post paululum namque hæc contigisse noscuntur. Augustæ Eudoxie statua argentea constituta est in columna porphyretica, chlamyde circumamicta; eratque posita nec proxime, nec longe ab ecclesia Sophiae, quam plateæ tantummodo dividebat iter. Illic ergo consuete lusus publicus occurrebat. Porro Joannes ad injuriam hoc arbitratus Ecclesie, consueta fiducia rursus suam arripuit linguam. Et cum oporteret principes supplicationis verbo deflectere, ut a tali

lusu recederetur, hoc non fecit; sed impetu sui usus eloquii, jubentes fieri talia lacerabat. Augusta vero rursus ad suam hæc trahebat injuriam, et denuo præparabat ut adversus eum synodus celebraretur episcoporum. Hoc sentiens Joannes, iam famosissimam in ecclesia protulit homiliam cujus initium est: *Rursus Herodias vesanit, rursusque turbatur; denuo saltat, denuo caput Joannis in mensorio concupiscit accipere.* Quod factum amplius ad iracundiam accendit Augustam. SOCRATES, *lib. vi, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 17 et 18, p. 326.*

CAPUT XVI.

De insidiis quæ Joanni fiebant.

Interea quidam homo comprehensus est qui Joannem volebat occidere; traditusque ad supplicium præfecto, a Joanne ne perimeretur ereptus est. Postea vero etiam Elpidii presbyteri servus, cursu in episcopum accedens, eum interimere nitentur. Et dum a quodam teneretur, et ipsum repente percussit, simul et alium astantem, et tertium. Tunc clamore facto multis convenientibus, plurimos interemit, novissime tentus, et traditus est. Ex illo tempore Joannem populus custodiebat noctibus et diebus, ad ejus circumsedentes domum. SOZOMEN., *lib. viii, cap. 21, p. 787.*

CAPUT XVII.

De secunda depositione Joannis, et de schismate facto propter eum.

Post paululum vero aderant episcopi Leontius C Anycræ Galatie, Ammonius Laodicæ, Breon Thracie Philippiensis, Acacius Beroæ Syriæ, et alii quidam. His præsentibus accusatores prisici denuo movebantur. Joannes itaque confidebat in talibus, rogans ut accusatio decenter flagitaretur. Cumque supervenisset festivitas natalis Salvatoris, imperator solemniter ad ecclesiam non occurrit; sed mandavit Joanni quia ei non communicaret, nisi criminibus prius exueretur. Cumque pro securitate Joannis accusatores ejus valde perterrerentur, præsentibus episcopi nihil aliud requirebant, nisi quia post depositionem non servato decreto concilii resedisset in sede. Cumque ille responderet quia sexaginta quinque episcopi communicantes ei decrevisset, Leontius et alii reclamabant dicentes: Sed plurimi te, o D Joannes, deposuerunt. Cumque denuo Joannes hanc regulam non orthodoxorum Ecclesie, sed esse firmaret Arianorum; nam in Antiochia congregati pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata, odio Athanasii hanc regulam protulerunt, tunc illi non recta satisfactione condemnauerunt eum: non intelligentes quia, dum hæc regula uterentur, Athanasium quoque deposuerunt. Hæc acta sunt circa festivitatem paschæ. Mandavitque imperator Joanni non se posse ad ecclesiam venire, quia eum duo concilia condemnassent. Vacabat ergo Joannes, et nequam in ecclesiam descendebat. Mox igitur omnes ei faventes ab ecclesia recedentes, Pascha quidem in thermis quæ Constantinianæ vocantur celebraverunt. Cum quibus plurimi episcoporum, presbytero-

rum, et sacri ordinis clericorum commoti sunt; collectiones [ms. *Lyr.*, collectas] seorsum per loca diversa celebrantes: unde etiam Joannite vocati sunt. Porro Joannes duobus mensibus nusquam processit, donec princeps eum duci juberet in exsilium. Et ille quidem tractus ab ecclesia, ducebatur. Quidam vero Joannitarum ea die ecclesiam incenderunt. Qua ardente flans ventus etiam basilicam senatus pariter comprehendit. Quod actum est vicesima die Januarii mensis, consulatu Honorii sexto et Aristenis (*An. Dom.* 404). Ob quam rem Optatus præfectus urbis, dum paganus esset, odio Christianorum plurimos Joannitarum diversis tormentorum generibus lanavit. *SOCRATES, lib. vi, cap. 16. Edit. Christ. Vales. cap. 18, p. 326.*

CAPUT XVIII.

De exsilio et morte Joannis.

Joannes igitur non solum e civitate pulsus est, sed etiam in quamdam parvulam civitatem atque desertam Armeniæ Cucuum destinatus est. Inde rursus ad Pityntem, ubi fines sunt Ponti imperiique Romani, quæ loca crudelibus barbaris sunt vicina. Sed clemens Dominus non permisit victorem athletam per loca talia diu morari. *THEODORÆTUS, lib. v, cap. 34, p. 240.*

Inter hæc Innocentius Romanus antistes, audiens de Joanne, et moleste ferens, volensque generale celebrari concilium, scripsit Joanni et clero Constantinopoleos, quod non oporteret Joanni successorem dari, nec ejus clerum alii parere pontifici, quas prolixitatis causa non transtuli. Aiunt enim Joannem, cum exsilio duceretur, per visionem cognovisse diem qua moriturus esset, ostensam sibi a Basilisco martyre in Comanis: ubi cum esset itinere fatigatus, dolorem capitis non ferens et ardorem solis, vitam languore snivit. *SOZOMEN., lib. viii, cap. 26 et 28, p. 793 et 798.*

Quarta decima die Septembris mensis, consulatu Honorii septimo et Theodosii secundo (*An. Dom.* 407). *SOCRATES, lib. vi, cap. 19. Edit. Christ. Vales. cap. 21, p. 329.*

361 CAPUT XIX.

Quomodo Illyricum et Occidens propter Joannem ab orientalibus se suspenderit episcopis.

Hujus igitur injustitiæ causas abominati sunt præcipue Europæ pontifices; ab eorum namque se suspenderit communionem; pariter omnes Illyrici ejus partis effecti sunt. Orientales autem plurimi quidem injustitiam declinaverunt; corpus tamen Ecclesiæ dividere noluerunt. Verum moriente illo omnium doctore terrarum, non prius occidentales episcopi Ægyptiorum et Orientalium, Bosphorensium atque Thracensium sunt amplius communionem, quam illius sacratissimi viri nomen inter prædecessores poneretur episcopos. Et Acacium quidem, qui post eum ordinatus est, nullo habuerunt sermone dignum. Atticum vero Arsatii successorem, legationem crebro mittentem, et pacis pignora postulantem, diptychis

A scripto Joannis nomine, postea susceperunt. *THEODORÆTUS, lib. v, cap. 34, p. 240.*

CAPUT XX.

De ordinatione Arsatii Constantinopolitani et ejus odio propter Joannem.

Transactis itaque diebus paucis, Arsadius Constantinopoleos ordinatur episcopus, Nectarii frater, valde longævus, et ultra octoginta annorum habens, qui mansuetissimè nimis regebat episcopatum. *SOCRATES, lib. vi, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 328.*

Cujus opinioni [ms. et ed. V., opinio] derogavit postea, quod de Joannis amatoribus agebatur. Nam dum Arsatio communicare nollent, nec orationem habere communem; sed, sicuti dictum est, seorsum et per loca secreta ultima civitatis, sacra celebrarent, hæc ille renuntiavit imperatori. Cumque jussisset ut eos manu militari turbaret, lapidibus atque fustibus populum convertit in fugam. Nobiliores autem et proniores in amore Joannis redegit in carcerem. Porro milites, ut assolet, accepta fiducia, prædani circa mulierum ornamenta faciebant, zonas aureas, dextralia, monilia, lavatoria [ms. *Lyr. et ed. V.*, libatoria], annulos, diademata, et cum ipsis auribus earum auferentes in aures. Ob quam rem turba maxima et gemitus in civitate provenit. Nec sic tamen illi affectum deponere Joannis; verum publice plurimi convenire nec in platea, nec in balneo præsumebant. Quibusdam etiam erat domi quoque manere periculosum, ita ut civitatem declinarent; multi siquidem viri plurimæque mulieres nobili genere præcreatæ, virginitate atque virtute vitæ laudabiles, fugerunt. *SOZOMEN. lib. viii, cap. 25, p. 789.*

Eo tempore etiam grando vehemens Constantinopoli et circa ejus suburbana descendit. Quod factum est consulatu eodem Honorii sexto et Aristenis (*An. Dom.* 404), die tricesima Septembris mensis; quod dicebant Dei iracundia gestum, eo quod sine judicio Joannes fuerat condemnatus. Quibus verbis clementum dedit mors Augustæ continuo sub ecata. Quarta namque die post grandinam est defuncta. *SOCRATES, lib. vi, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 328.*

Tunc enim et Cyrinus Chalcedonensis episcopus, qui Joannem crebro laceraverat, secto pede defunctus est. *SOZOMEN. lib. viii, cap. 16, p. 780.*

Alii tamen dicebant Joannem hoc justo perpeccum, eo quod multas ecclesias Novatianorum, Quartodecimanorum et aliorum tulisset [*Ed. V.*, abstulisset] hæreticorum. *SOCRATES, lib. vi, cap. 17. Edit. Christ. Vales. cap. 19, p. 328.*

CAPUT XXI.

De Eutropio lectore, propter Joannem in carcerem conjecto.

Eo siquidem tempore lector Eutropius est detentus, quasi et ipse in ecclesiam misisset ignem. Qui dum multa fuisset tormenta perpeccus, reductus in carcerem, post paululum est defunctus. Quid autem de eo contigerit existimo esse memorandum. Quidam vidit in somnis astitisse altari virum pulchritudine et magnitudine decoratum, quasi in honore martyris

Stephani consistentem et quasi cogitantem, eo quod boni viri nusquam invenirentur, atque totam se circumire civitatem, et nisi Eutropium nullum penitus invenisse. Cumque is qui viderat evigilasset, somnium retulit fidelibus viris. Deinde requirens eos qui a praefecto comprehensi fuerant et verberibus mactati, invenit Eutropium, eique retulit visionem. At ille flens, orationem sibi dari ab eo qui viderat imploravit. Cumque diversos praefectus affligeret, nec personas incendi reperiret, etiam mulieres quasdam tenens suadebat ut episcopi communionem amplecterentur Arsatii, et multae quidem declinaverunt; Olympias autem injustum credens nequitiae satisfacere, dixit: Adjice mihi calumniatores, et violentias majores impone; mihi vero fas non est communicare, et ea facere quae piis non licet perpetrare. Quam dum nequisset declinare praefectus ut communicaret Arsatio, tunc dimissam, et post paucum tentato, multo nudavit auro: hoc modo credens ejus frangi constantiam. Eo tempore Tigrius presbyter veste nudatus et dorso caesus, ita tensus est, ut pedum ejus ac manuum articuli solverentur. SOZOMEN., lib. viii, cap. 24, p. 791.

CAPUT XXII.

De morte Arsatii et ordinatione pontificis Attici.

Arsatius itaque, cum paucum vixisset tempus, defunctus est consulatu sequenti Stiliconis secundo et Anthemii [An. Dom. 405], undecima die Novembris mensis. Quo moriente, de episcopatu Constantinopolitano magna coepit esse contentio. Et propterea cum quatuor vacassent menses, sequenti consulatu Arcadii sexto et Probi [An. Dom. 406], Atticus ordinatur episcopus, genere Armenius, habitu monachus, a juventute sua naturali sapientia decoratus. SOCRATES, lib. vi, cap. 18, p. 244.

362 CAPUT XXIII.

De successione diversorum patriarcharum.

Interea cum Siricius quinque annis Romanorum rexisset episcopatum, Anastasius ei successit. Post quem Innocentius pontificatus jura suscepit. Defunctus quoque est etiam Flavianus, non contentiens in damnatione Joannis. Flaviano moriente, Porphyrius Antiochenum suscepit episcopatum. Et quoniam plurimi contra Joannem consenserant, propterea in Constantinopolitana urbe multa divisio facta est, ita ut missas apud semetipsos plurimi celebrarent, et scandala provenirent, quoniam propter gratiam Arsatii atque Porphyrii, nec non et Theophili Alexandrinae civitatis episcopi, dudum studio procerum posita lex fuerat, jubens omnes in ecclesiam convenire, et qui non communicarent procul expelli. SOZOMEN., lib. viii, cap. 24, p. 792.

CAPUT XXIV.

De concussionibus quas barbari reipublicae inferunt.

Eo tempore cum discordia sacerdotum etiam reipublica magnis concussionibus turbabatur. Hunni namque transeuntes Istrum, Thraciam devastabant. Isauriae quoque latrones maxima multitudo congre-

gata usque ad Carenos et Phoeniciam venientes, urbes et vicos in medio positos depopulati sunt. Per idem tempus Stilicon magister arinorum erat apud Honorium magna praeditus potestate, habebatque sub se Romanorum plurimos atque gentilium. Qui contractis inimicitias cum Arcadii ducibus cogitabat congruere contra eos. Tunc ergo agens cum Honorio, Alaricum regem Gothorum fecit ordinari magistrum militum, et accessit adversus Illyricum, eique Jovium [ms. Lyr., Jovianum] praefectum constituit, ut arma contra Romanos attolleret, ac provinciales Honorii subderet ditioni. Et cum Alaricus barbaros sub se constitutos et per Dalmatias habitantes congregasset, venit ad Epirum, ubi multo tempore commoratus, reversus est in Italiam: quia cum discedere voluisset, Honorii litteris est detentus, sicut ipse confessus est. SOZOMEN., lib. viii, cap. 25, p. 793.

CAPUT XXV.

Quomodo Alexander Antiochenus episcopus discordantem populum ad unitatem revocaverit Ecclesiae.

Ea tempestate Cyrillus Theophili consobrinus, Alexandrinum suscepit episcopatum. Hierosolymorum Ecclesiae praesidebat Joannes, vir mirabilis, successor Cyrilli; Antiochiae autem Alexander, vir sermone doctus, et virtutem ostendens magnis operibus. Is enim Porphyrio succedens, qui post Flavianum fuerat ordinatus, multa reliquit monumenta clementiae. Flavianus equidem sapientiae subtilitate florebat. Porro sacratissimus Alexander conversatione summoque philosophiae eloquio, et plurimis bonorum beneficiis abundabat. Is namque etiam partem Eustathii (quam dudum Paulinus sectere non potuit, nec post illum Evagrius), precibus usus, caetero corpori copulavit, egitque festivitatem ejus similem nemo potuit aliquando videre. Nam dum omnes fideles sumpsisset sacerdotes simul et populos, venit ad locum ubi Eustathiani congregabantur, sumensque psallentes, et unum canticum sub quadam congruentia predicante, a porta ultima civitatis usque ad majorem ecclesiam totam plateam complevit hominibus, et ostendit fluvium rationalem, et ad instar fluminis decurrentis. Haec Judaei videntes, et Ariani, et parvae reliquiae paganorum, ingemuerunt, considerantes alios fluvios in mare Ecclesiae concurrentes. Is ergo pontifex Joannis magni vocabulum in ecclesiasticis diptychis primus inseruit. THEODORETUS, lib. v, cap. 35, p. 241.

CAPUT XXVI.

Quomodo corpus Joannis Constantinopolim fuerit revocatum.

Hujus doctoris reliquiae sequenti tempore in regiam devectae sunt civitatem. Rursumque fidelissimus populus per pelagus, quasi per terram currens, undas Bosphori lampadibus et cereis obvelavit. Hunc ergo thesaurum illi civitati recondidit imperator. Qui sui avi et vocabulum sortitus est, et pietatem servat inviolabilem. Is in ejus loculo diligens oculos atque frontem, pro Arcadio et Eudoxia gentilibus supplicavit, ut ignoranter delinquentibus veniam

condonaret. Dudum enim mortui sunt ejus parentes, A hunc orphanum relinquentes. Sed patrum et progenitorum Deus experimenta pupilli eum sentire non pertulit. Nam et pie nutrir fecit, et sine concussio- nis metu custodivit ejus imperium atque tyrannorum consilia refrenavit. THEODORETUS, *lib. v, cap. 26, p. 242.*

CAPUT XXVII.

De laudibus Theodosii junioris.

Is enim beneficiorum semper memor honorabat beneficii largitorem, habebatque participes hymno- rum sorores, servantes conversatione virginitatem, et epulas [Ed. Niv. et Frob., delicias] maximas judi- cantes sacrorum meditationes eloquiorum, thesau- rum inadibilem [Ed. Niv. et Frob., inaufibilem] B estimantes manus egentium. Verum ipse princeps multis etiam aliis præconiis adornatur, maxime vero cle- mentia, mansuetudine, animi tranquillitate, nunquam recipiens tempestatem fide vera atque probabili; cu- jus indicium nos convenit ostendere manifestum. Quidam vir conversatione quidem monachica, sed asperior consilio, adit imperatorem pro aliqua causa rogans. Cumque hoc crebro fecisset, nec ea pro qui- bus rogaverat impetrasset, eum ab ecclesiastica com- munionem prohibuit, et imposita ei obligatione disces- sit. Verum fidelissimus imperator ad palatium reversus, tempore prandii astantibus pransoribus ait, non se sumpturum cibum nisi prius ejus vincu- lum solveretur. Ob 363 quam rem misit ad civita- tis episcopum, rogans ut juberet ei qui ligaverat, quatenus ejus vincula resolveret. Cumque dixisset episcopus non debere a quolibet obligationem reci- pere, et mandasset quia solutus esset, ille tamen ejus non suscepit solutionem, donec qui ligaverat multo labore requisitus, ei communionem quam pro- hibuerat reddidisset. Idolorum igitur templa, quæ fuerant derelicta, a fundamentis evelli fecit, ut pos- teri neque vestigium erroris pristini reperirent. Hunc enim sensum etiam in sua lege conscrip- sit. Quando igitur Roilas, dux Scythiæ, transivit Istrum, et cum innumero exercitu vehementer Thracias de- populatus est, ipsamque regionem civitatem obsidere se et subvertere minabatur, supernis jaculis atque fulminibus eum majestas divina percutiens, et ipsum et omnem simul concremavit exercitum. THEODORE- TUS, *lib. v, cap. 36. Edit. Christ. Vales. cap. 36 et 37, p. 242.*

CAPUT XXVIII.

De miraculis contra Persas gestis.

Tale aliquid a Domino ejus consolatore etiam Par- thico prælio gestum est. Nam cum illi Romanos va- care cognovissent, et civitates in confinio constitutas debellarent, pacisque pacta transcenderent, vastatis finibus nemo ferebat auxilium. Imperator namque de pace præsumens, duces et milites ad alia bella dire- xerat. Tunc ergo imbre vehementissimo et grandine deposita, ulterius eos Deus accedere non permisit, equorumque [ed., eorum] ligavit cursum, ita ut vi- ginti diebus totidem ambulare stadia non valerent.

Juoces vero venientes, et congregantes exercitum, et in priori bello obsidentes urbem, imperatoris vocabulo nominatam, reprobi inventi sunt. Cum enim plus quam triginta diebus Gororanus rex prædictam undique obsideret civitatem, et multa machinamenta construe- ret, et turres contra muros civitatis excelsas ædifi- caret, solus Eunomius, sacratissimus ejus civitatis episcopus, restitit, et impetum moliminis eorum ma- chinaque destruxit. Et licet duces nostri hostibus bellando cessissent, et obsessi cives resistere non au- derent, iste solus pugnando sine vastatione servavit civitatem. Unus itaque parvis hostilis vir dum consue- te blasphemaret, et Rasacis atque Sennacherib verba profunderet, et cum vesania minaretur sacrum se con- crematurum templum, ille vir sacratissimus non ferens hujus insaniam, jussit balistam [ed. V., arcu balistam] poni juxta propugnaculum quod apo- toli Thomæ habebat vocabulum; et maximo in eam lapide cooptato, in nomine, inquit, ejus qui est blasphematus, lapidem tenso arcu dimitte. Tunc la- pis dimissus veniens usque ad faciem nefandissimo blasphemantis, vultum ejus valde corrupit, caput con- trivit, cerebrumque in terram dispersit. Hoc dum dux exercitus cognovisset, qui se civitatem capturum esse minabatur, siluit, et rebus ipsis victum se esse pro- fessus est, et metuens quæsitivit pacem. Sic ergo om- nium rex fidelissimum hunc principem conservavit, cum et iste servitutum profiteatur, et competens of- ferat Domino ministerium. THEODORETUS, *lib. v, cap. 36. Edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 243.*

CAPUT XXIX.

De successione pontificum.

Inter hæc Innocentio mirabili Romanæ urbis an- tistiti successit Bonifacius, Bonifacio Zoimus, Zoim- no Cælestinus. Hierosolymis vero post Joannem Pray- lius suscepit Ecclesiæ præsulatum. Verum in Anti- chia post sacrum Alexandrum Theodotus castitatis speculum, Ecclesiæ pontifex ordinatur, mansuetudine et puritate conversationis ornatus. Is enim cohortem Apollinaris sacris ovibus miscuit, rogans eos ut uni- rentur ovilibus. Ea siquidem tempestate Isdigerdis Persarum rex contra Ecclesias pro hujusmodi causa bella commovit. THEODORETUS, *lib. v, cap. 37. Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 244.*

CAPUT XXX.

De virtutibus Abdiæ apud Persas episcopi.

Abdas quidam erat episcopus plurimis virtutibus adonatus. Is non mediocriter usus zelo divino, pyrea, id est focum eorum, seu Vestam, destruxit. Pyrea namque pagani vocant templa in quibus ignem ser- vant; Deum enim arbitrantur ignem. Hoc dum rex cognovisset a magia, evocavit Abdam; et primo qui- dem mansuete culpavit factum, præcipiens ut pyreum rursus ædificaret. Illo resistente, et se hoc nequaquam facere confirmante, universas se rex destructorum interminat ecclesias; cujus interminationem termi- nus subsecutus est. Nam prius illum virum occidi præ- cipiens, destrui quoque ecclesias imperavit. Ego si- quidem destructionem Vestæ non reor oportuna

commissam; neque enim sanctus Apostolus, dum venisset Athenas, et civitatem repletam idolis conspexisset, aras ab illis honoratas destruxit; sed ratione gnorantiam redarguit, et veritatis jura monstravit. Quia vero destructum templum reedificare noluit, sed necem magis elegit, nimis admiror, et plurimis eum honorandum coronis existimo. Tale est enim ignem adorare, quale ejus ædificare templum. Hinc ergo sumens tempestas initium, sævissime atque ferociter circa pietatis alumnos intumuit, et triginta jugiter annis fluctuatio dira permansit, a magis veluti quibusdam procellis agitata. Magos enim appellant Persæ eos qui elementa deificant. Quorum fabulas in alia conscriptione monstravimus, in qua horum interrogationibus dignas solutiones obtulimus. Gorranus itaque, filius Isdigerdis, adepto post patris mortem imperio, etiam contra Christianam pietatem bella suscepit. Quas enim tormentorum species et suppliciorum adventiones piis intulerit, non est facile nunc narrare. Aliorum namque manus excoriaverunt, aliorum dorsa, aliorum capita, a fronte inchoantes usque ad cervices nuda cute reliquerunt. Alios sectis per medium calamis nudos operientes, et ipsas sectiones calamorum carnibus aptantes, a capite usque ad pedes funibus stringentes, postea calamos ex eorum membris violenter trahebant; ut acutæ sectiones calamorum dum trahebantur, eorum carnes secarent, **364** et tormento amarissimos dolores inferrent. Deinde sodientes lacus, et eos undique obturantes, soricum majorum greges in eis miserunt, eisque pabulum athletas dederunt pietatis: ligantes manus eorum et pedes, ne possent a se bestias removere. Sed et alia tormenta sæviora nimis exercebant, habentes doctorem veritatis inimicum. Sed non poterunt athletarum devincere fortitudinem. Sponte namque currebant, ut occasione hujus mortis incorruptibilis vitæ dona perciperent. Duorum tamen aut trium memorabor, ut per hos reliquorum fortitudo monstratur. THEODORETUS, *lib. v, cap. 38. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 245.*

CAPUT XXXI.

De Hormisda apud Persas nobilissimo confessore.

Hormisdas quidam valde nobilis apud Persas erat, qui patrem præfectum habuerat. Hunc dum rex agnovisset esse Christianum, deduci fecit, et imperavit ut salutarem negaret Deum. At ille: Nec justum, inquit, nec utile præcipis, imperator. Nam qui docetur ut Deum omnium facile contemnat ac denegat, facillime quoque spernit imperatorem, cum et ipse sit particeps naturæ mortalis. Et si summo supplicio dignus est qui tua sceptrâ contempserit, imperator, multiplicibus tormentis subdendus est qui cunctorum negaverit Creatorem. At imperator cum debuisset mirari prudentiam, fortissimum divitiis et dignitate nudavit athletam, jussitque ut nudus traheret camelos exercitus. Cumque plurimi transissent dies, respiciens de superioribus imperator, vidit illum eminentissimum virum, solis radiis inflammatum, et pulveris squalore completum; patriæque nobilitatis memor,

A eum ad se jussit adduci, et ex lineis vestibis operiri. Deinde putans quia tam præcedenti afflictione quam ejus miseratione molliretur: Vel nunc, inquit, illa obstinatione privatus, nega filium fabri. At ille Dei zelo completus, dirupit vestem et jactavit, dicens: Si propter hoc me putas a pietate recedere, habe donum cum impietate quam possides. Hanc ejus fortitudinem contemplatus, nudum eum a suo projecto imperio. THEODORETUS, *lib. v, cap. 38. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 246.*

CAPUT XXXII.

De Sanne apud Persas confessore.

Sannen [*ms. Santhead., Samin*] quoque mille famulorum dominum resistentem sibi, negare Creatorem omnium non ferentem, requirens quisnam servorum ejus esset sævissimus, ei aliorum servorum tradidit dominatum; cui etiam ipsum quoque dominum servire præcepit, simul et ejus uxorem: per hoc putans propugnatorem se flectere veritatis. Sed spes sua deceptus est. Habebat enim ille domum in petra constructam. THEODORETUS, *lib. v, cap. 38. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 247.*

CAPUT XXXIII.

De Benjamin Persico diacono ejusque martyrio.

Benjamin etiam diaconum comprehendens, clausit in carcerem. Cumque duo transissent anni, supervenit legatarius Romanorum pro aliis causis acurus. Et dum hæc cognovisset, postulavit a rege ut dimitteretur diaconus. Porro rex jussit ut promitteret Benjamin quia nulli magorum doctrinam Christianam prædicare præsumeret, et dimitteretur exire. Tum legatarius quidem eundem Benjamin quæ rex præceperat compromisit. Benjamin autem audiens monita legatarii: Impossibile est, inquit, non me participare lumen aliis, quod ipse percepi. Quanto enim supplicio dignus sit qui talentum abscondit, sacra Evangeliorum testatur historia. Sed rex horum tunc nihil agnoscebat, jusit eum absolvi a vinculis. At ille prædicare nullatenus quiescebat; et capiens eos qui ignorantia caligine tenebantur, intelligibili luci jugiter offerebat. Cumque transisset annus, regi gesta illius nuntiantur. Tunc deductum ad se, negare jussit quem adorabat Deum verum. Ille requisivit a rege, dicens: Quo dignus honore est qui suum derelinquens regnum, invadere studuerit alienum? Cumque dixisset rex: Morte novissimoque supplicio, sapientissimus vir ille respondit: Quid ergo non juste patitur homo qui factorem mundique creatorem, nutritorem ac salvatorem deserens, unum conservorum suorum deificare voluerit, et debitum illi cultum isti magis obtulerit? His sermonibus rex accensus, viginti calamos acui, et totidem unguibus digitorum ejus manuum atque pedum præcepit infligi. Cumque hoc supplicium ab eo derideri conspiceret, alium rursus calamus acutum in ejus femore, unde humana origo descendit, jussit immitti. Cumque crebro egeretur, et rursus induceretur, ineffabiles ei dolores operabantur. Post hoc vero supplicium impius atque

ferox virgam grossam, spinis undique plenam, per
ejus meatum jussit induci, ut hoc modo spiritum
fortissimus decertator emisisset. Sed et alia multa
ab illis impia sunt præsumpta. Nec tamen mirandum
est quia illorum ferocitatem et impietatem longani-
miter Deus omnium patitur, quando ante imperium
maximi Constantii quicumque fuerunt Romanorum
imperatores, contra veritatis ministros [*ms. Lyr., præ-*
dicatores] vehementer insanierunt. Diocletianus nam-
que Passionis salutaris die, in omni imperio Roma-
norum destruxit ecclesias. Sed novem transactis
annis istæ quidem denuo floruerunt, et multiplicem
magnitudinem ac pulchritudinem susceperunt. Ille
vero post rabiem suæ impietatis exstinctus est. Nam et
bella hujusmodi futura Dominus prædixit, et Eccle-
siæ victoriam prædicavit. Nos tamen ipsæ quoque res
edocent quia plus nobis utilia sunt bella quam pax :
quia pax delicatos nos facit, remissos et timidos ;
porro bellum et mentem acuit, et præsentia tanquam
transientia contemnere persuadet. Sed hæc quidem
etiam in alio opere crebrius enarravimus. THEODORE-
TUS, *lib. v, cap. 38. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 247.*

365 CAPUT XXXIV.

De Theodoro Antiocheno episcopo, et Theodoro Mop-
suesteno pontifice.

Illo quoque tempore quo sacratissimus Theodotus
Antiochenam regebat Ecclesiam, Theodorus Mop-
suestinæ quidem episcopus, sed totius doctor Ecclesiæ,
dum contra universam cohortem hæreticorum for-
titer dimicasset, terminum vitæ sortitus est. Is enim
Diodori quidem magni doctrina potitus est. Joannis
vero sacratissimi fuit socius atque cooperator. Com-
muniter enim Diodori pocula spiritalia sunt adepti ;
qui sex et triginta annis mansit in præsulatu, et
contra Arii Eunoniique acies fortissime præliatus est,
insidiasque latronis Apollinaris exstinxit, optimaque

pascua divinis ovibus præparavit. Cujus frater Poly-
chronius Apamienam rexit Ecclesiam, et gratia ser-
monis et claritate conversationis ornatus. THEODORE-
TUS, *lib. v, cap. 39. Edit. Christ. Vales. cap. 40, p. 248.*

CAPUT XXXV.

De fine imperatoris Arcadii.

Non multo post tempore quam Joannes defunctus
est, moritur et Arcadius imperator, vir mitis et
quietus, et circa finem vitæ pro hujusmodi causa ve-
nerabilis æstimatur. In urbe Constantinopoli domus
est maxima habens cognomen Cariae, id est nucis.
Est enim in ejus domus vestibulo arbor nucis in qua
sermo est, eo quod fuerit appensus martyr Acacius et
defunctus. Ob quam rem etiam oratorium illic est
ædificatum. Hunc Arcadius videre volens, ad oratio-
nem venit, votoque completo revertetur. Proinde
cuncti circa oratorium habitantes, volentes imperato-
rem videre currebant, et alii quidem foras domum
præcesserant, ut melius aspectum principis et ordi-
nem viderent obsequii ; alii vero sequebantur. Dum-
que omnes cum mulieribus atque filiis, simul et man-
cipiis extra domum fuissent egressi, repente maxima
domus oratorio cohærens subito tota corruit, clamor-
que cum admiratione secutus est, quoniam oratio
principis tantos homines a ruinæ imminentis peri-
culo liberasset. Arcadius itaque, relicto annorum
octo filio Theodosio, de quo jam complura sunt
narrata, defunctus est consulatu Bassi et Philippi
(*An. Dom. 408*), prima die Maii mensis, anno se-
cundo ducentesimæ nonagesimæ septimæ olympia-
dis. Is ergo cum patre quidem Theodosio tredecim
regnavit annis, post mortem vero patris quatuor-
decim. Vixit annis triginta et uno. SOCRATES, *lib. vi,*
cap. 21. Edit. Christ. Vales. cap. 23, p. 352.

LIBER UNDECIMUS.

366 CAPUT PRIMUM.

Quia Theodosii junioris imperium præfectus regebat
Anthemius.

Arcadio igitur imperatore defuncto, Honorius
quidem ejus frater partes regebat Hesperias ; orien-
tales autem provinciæ sub ditione manebant Theodo-
sii junioris, cum e set annorum octo, Anthemio
præfecto omnia disponente. Erat enim iste nepos Phi-
lippi, qui Paulum episcopum sub Constantio ab Ec-
clesia expulerat et Macedonium introduxerat. Is
enim inuro maximo urbem Constantinopolim cir-
cumcedit. Qui vir sapientissimus inter illius temporis
homines et putabatur, et erat, et nihil incon-
sulte faciebat, sed cum multorum consilio quæ erant
agenda tractabat, et maxime sophistæ Troilo se cre-
debat. SOCRATES, *lib. vii, cap. 1, p. 338.*

CAPUT II.

De Attico episcopo ejusque moribus.

Imperatore igitur octo annos agente, tertium annum

Atticus habebat episcopatum [*ms. Lyr., in pontifi-*
catu], vir clarus et eruditus, venerabilis atque
prudens. Unde etiam ecclesias sub eo magnum su-
mere contigit incrementum. Non enim solis propriæ
fidei personis munificus erat, sed etiam hæretici ;
miraculum suæ sapientiæ demonstrabat ; quos fati-
gare quidem nolebat. Cum vero eos terere tentasset,
denuo mansuetudinem ostendebat ; et inter hæc
non negligebat eloquium. Laborabat enim circa ve-
terum lectiones, noctibus eis incumbens. Quapropter
non eum movebant philosophicæ aut sophisticæ lec-
tiones : erat enim et confabulantibus gratus, et cum
tristibus mœstus, et absolute secundum Apostolum
omnibus omnia factus est (I Cor. ix, 22). Primo qui-
dem cum presbyter esset, et libros faciebat et medi-
tatos coram ecclesia recitabat. Postea vero etiam
fiduciam cum labore sortitus, sub oculis doctrinam
laudabilem [*mss., mirabilem*] proferebat. Non ta-
men tales erant ejus sermones ut etiam ab audito-
ribus scripturæ traderentur. Quæ vero ejus tempori-

bus memoranda provenerint enarrabo. SOCRATES, *lib. A VII, cap. 2, p. 339.*

CAPUT III.

De Theodosio episcopo Synnadæ, et quemadmodum illic Macedoniani conversi sunt.

In Synnada Pacatiana Phrygiæ civitate Theodosius quidam erat episcopus, et Macedonianos, cum illic plures essent, insequabatur; et non solum eos e civitate, sed etiam ab agris nimia crudelitate pellebat, dum orthodoxorum Ecclesia persecutiones inferre non soleat. Quod ille non zelo rectæ fidei, sed pro pecuniarum amore faciebat. Contra quos universos tam clericos quam iudices provinciales armabat, et præcipue Agapitum eorum turbabat episcopum. Cumque iudices provinciæ ad inferenda tormenta sibi sufficere non putaret, Constantinopolim est profectus ut præfectorum solatia mereretur. Ibiq[ue] posito Theodosio propter huiusmodi **367** causam, Agapitus Macedonianorum episcopus ad meliorem se contulit partem; habitoque tractatu cum omni clero, et evocans totum populum sibi subiacentem, suscitavit ut consubstantialitatis susciperent fidem. Hoc facto, repente cum maxima multitudine, et magis cum omni, ut ita dixerim, civitate ad orthodoxorum ecclesiam venit, et, oratione facta, sedem in qua Theodosius præsidere solebat, obtinuit. Tunc unius populos, et de cætero fidem consubstantialitatis docens, Ecclesiam tenuit Synnadensem. His ita gestis, non post multum temporis Theodosius cum præfectianorum venit auxilio, et nihil sciens horum quæ fuerant gesta, ad ecclesiam properavit. Ex qua ab omnibus expulsus, rursus Constantinopolim remeavit, et apud episcopum Atticum, quæ fuerant contra eum gesta deposuit, quemadmodum irrationabiliter episcopatu fuisset expulsus. Atticus autem cognoscens utilem causam Ecclesiæ provenisse, Theodosium quidem verbo consolatus est, ut patienter ferret: præponens autem causis personalibus generalem utilitatem, scripsit Agapito ut teneret episcopatum, nihilque de inimicitii Theodosii cogitaret. SOCRATES, *lib. VII, cap. 3, p. 339.*

CAPUT IV.

Quomodo Judæus paralyticus per baptismum sit curatus.

Hoc igitur unum est rerum utilium quæ Attici temporibus in Ecclesia provenerunt. Sed neque miraculorum aut sanitarum his defuit causa temporibus. Quidam namque Judæus cum paralyticus esset, plurimis annis in lecto jacebat. Cumque omnis medicina ei fuisset exhibita, et cunctorum Judæorum nihil oratio prævaleret, novissime ad baptismatis Christiani gratiam confugit, huic soli veritatis medicamini se committens. Hoc velociter episcopo Attico nuntiatur. Quem catechumenum factum, et spem Christi promittens, deportari cum lecto [*ms. Lyr., eum in lecto*] præcepit ad baptismum. Verum Judæus paralyticus baptismum vera fide suscipiens, cum de fonte fuisset levatus, ægitudine repente privatus est, et de cætero sanus fuit. Hanc igitur curam virtus Christi etiam nostris temporibus demonstravit. Qua

A causa plurimi paganorum credentes baptizati sunt. Judæos autem, licet signa quærentes, hæc tamen non provocaverunt ad fidem. His ita apud Christianos gestis, plurimi parvipendentes, in sua nequitia [*ms. Lyr., malitia*] permanserunt. Et non solum ludæi tantis prodigiis resultabant, sed etiam sequaces eorum similia sapuisse convicti sunt. SOCRATES, *lib. VII, cap. 4, p. 341.*

CAPUT V.

De Sabbatio hæresiarcha ejusque sequacibus.

Sabbatius itaque, cujus dudum fecimus mentionem, nolens in suo ordine permanere presbyteratus, desiderabat episcopatum. Eisdemque temporibus recessit ab Ecclesia Novatianorum, occasionem habens quasi propter observationem Paschæ Judaici. Faciebatque collectas contra Sisinnium suum episcopum in loco civitatis qui Xerolophus (*id est, collis aridus*) appellatur, in Arcadii foro. Illic enim rem commisit valde periculosam. Die namque festivitatis in evangelica lectione, ubi scriptum est (*Marc. xiv, 1*): *Erut enim Pascha Judæorum*, verba quæ nusquam scripta neque audita sunt præsumpsit adiecere, id est: *Maledictus qui præter asynas celebraverit Pascha*. Hoc auditum percurrit in populum, et simplices decepti Novatianorum laicorum convenerunt ad illum. Quod tamen malum non remansit inultum; sed in finem pessima ejus falsitas est conversa. Post paululum enim dum ad quamdam festivitatem multi concurrerent ut vigiliis solite celebrarent, formido subito demoniaca irruiit super eos, quasi Sisinnius eorum episcopus veniret cum maxima multitudine. Factaque turba, quippe nocte et in angustiæ loco comperti, semetipsos contriverunt, ita ut ultra septuaginta homines morerentur. Hoc factum plurimos a Sabbatianorum secta prohibuit, quidam vero in ejus rusticitate permanserunt. SOCRATES, *lib. VII, cap. 5, p. 341.*

CAPUT VI.

De morte Dorothei Arianorum episcopi, et ordinatione Barbæ, et quæ sub eo sint gesta.

Eo tempore Dorotheus Arianorum præsul, quem ab Antiochia Constantinopolim transtulerunt, cum centum et novemdecim vixisset annos, defunctus est consulatu Honorii septimo et Theodosii secundo (*An. Dom. 407*), sexto die Novembris mensis. Post quem Arianae superstitionis Barbæ ordinatur episcopus. Sub hoc itaque Barba per duos presbyteros eloquentissimos Arianorum religio floruit, quorum alter Timotheus, alter Georgius dicebatur. Sed Georgius doctus in Hællæica eruditus erat, Timotheus sacris litteris incumberebat. Et Georgius quidem semper Aristotelem et Platonem habebat in manibus, Timotheus Origenem, ita ut etiam lingua Hebraica loqueretur. Timotheus dudum Psaphthyanorum fuerat hæreseos, Georgium Barbæ presbyterum ordinavit. Timotheum itaque ego ipse vidi, et cognovi quemadmodum interrogantibus erat respondere paratus: solvens obscurissimas quæstiones quæ in divinis inveniuntur eloquiis, testem vocans veracissimi

num Origenem. Mibi tamen videtur admirabile esse A quomodo tales viri in Arianorum lege manserunt, quorum unus quidem Platonem semper habebat in manibus, alter respiciebat jugiter Origenem: dum nusquam Plato secundam vel tertiam causam, sicut ipse nominare solet, in initium subsistentiæ asserat percepisse; et Origenes coeternum ubique fateatur Filium Patri. Qui licet in sua sententia manserint, religionem tamen Arianam perduxerunt latenter ad meliora. Multas namque Arianorum blasphemias doctrinis propriis expulerunt. SOCRATES, *lib. VII, cap. 6, p. 342.*

368 CAPUT VII.

De ordinatione Cyrilli Alexandrini pontificis.

Inter hæc defuncto Theophilo passione lethargica consulatu Honorii nono et Theodosii quinto (An. B Dom. 412), facta contentione propter episcopatum inter Timotheum et Cyrillum, die tertia mortis Theophili Cyrillus ordinatur episcopus; et majori fastu quam Theophilus tenebat episcopatum. Qui mox episcopatus sui principio Novatianorum claudens ecclesias, omnia vasa eorum sacra percepit, episcopumque eorum Theopompum rebas quas habebat omnibus spoliavit. SOCRATES, *lib. VII, cap. 7, p. 343.*

CAPUT VIII.

Quomodo apud Persas per Marutham episcopum sit Christianitas dilatata.

Eodem tempore apud Persas Christianitas est dilatata. Inter Romanos enim et Persas semper propter diversas causas mittuntur legationes. Tunc ergo C casus attulit ut Maruthas Mesopotamensis episcopus, cujus dudum meminimus, a Romanorum imperatore ad Persarum destinaretur regem. Qui multam reverentiam apud Marutham inveniens, eum decenter honorabat, et tanquam divinum respiciebat virum. Hoc factum mordebat magos, metuentes ne regem Christianum fieri suaderet. Nam cum dolore capitis multo tempore torqueretur, magis eum curare non valentibus, Maruthas orationibus fecit incolumem; ob hanc ergo causam moliti sunt quamdam magi fallaciam. Et quoniam Persæ ignem colunt, consuevitque rex in quadam domo ignem ardentem perpetuo suppliciter adorare, magi sub terra hominem quemdam abscondentes tempore quo rex solebat adorare, eum talia clamare fecerunt: Mitte foras regem; impie enim D egit, quia sacerdotem Christianorum judicat esse venerandum. Hæc audiens Isdigerdes Persarum rex, licet reverentiam haberet, tamen Marutham abjicere cogitabat. Porro Maruthas vere Deo venerabilis homo, vacabat orationibus, per quas invenit dolum magicis artibus fabricatum. Veniensque ad regem: Noli, inquit, illudi, rex; sed ingressus dum audieris vocem, fodi jube, et doli causas invenies. Non enim ignis loquitur, sed hominum molimina hujusmodi esse nascuntur. Hoc dicto flexus est Persarum rex; et rursus ingressus ubi ignis inextinguibilis servabatur, cum audisset vocem, jussit fodi locum. Tunc qui mittebat quasi divinam vocem, inventus arguitur.

Iratus itaque rex, magorum genus usque ad decimam jussit imminui portionem. Hoc facio, Marutha dixit ut templa quæ vellet ædificaret. Ex hoc apud Persas sumpsit Christianitas incrementum. Tunc igitur Maruthas a Persis Constantinopolim remeavit. Et non longo post tempore rursus destinatus est. Iterumque magi machinabantur ne eum susciperet rex. Feceruntque fetorem quemdam in loco unde rex transire solebat; et quasi a Christianis id factum fuerit derogabant. Cumque rex suspectos jam habens magos, hoc cum studio requisisset, denuo ab eis concinnatum esse cognovit. Quamobrem plurimos eorum supplicii tradidit. Marutham vero potiori honore coluit, et Romanos valde dilexit, eorumque amplexus est pacem. Qui pene Christianus fieri potuit, dum aliud miraculum per Marutham et Ablatem Peridis episcopum provenisset. Ambo namque molitum dæmonem a regis filio propulerunt, orationibus vacantes atque jejuniis. Post hæc autem Isdigerdes defuncto antequam fieret Christianus, ad ejus filiam pervenit imperium. Cujus tempore inter Persas atque Romanos pacta soluta sunt. SOCRATES, *lib. VII, cap. 8, p. 344.*

CAPUT IX.

Quemadmodum Italiam vastavit Alaricus.

Per idem tempus Innocentius I Romæ Novatianos persequi cœpit, multasque eorum abstulit [mss. et ed. V., tulit] ecclesias. Quo tempore Roma est a barbaris deprædata. Alaricus enim quidam barbarus ditioni Romanorum et Theodosio imperatori subjectus, atque contra Eugenium tyrannum solatia præbens, et propterea Romanis dignitatibus honoratus, felicitatem suam non ferens, imperare quidem non elegit, sed discedens ab urbe Constantinopolitana, venit ad partes Hesperias. Cumque venisset Illyricum, omnia subvertebat; et transiens Thessaliam, habita congressione circa fluvium Pinum apud Nicopolim Eplri, pene tria millia virorum ejus Thessalium peremerunt. Posthæc autem quidquid eis incurreret destruentes, novissime Romam [mss. et ed. V., Romæ] venerunt. Quam vastantes, plurima quidem miraculorum ejus igne concremaverunt, pecunias autem abriperunt, multosque senatorii ordinis diversis subdidere suppliciiis. Deridentesque Romanorum regnum, imperatorem fecerunt quemdam nomine Attalum; quem una die tanquam imperatorem fecerunt procedere, altera vero servi schemate ministrare. Hæc dum egisset Alaricus, repente in fugam conversus est, fama procedente quia Theodosius imperator contra eum misisset exercitum; quæ fama non fuit ficta, revera namque exercitus veniebat. Fertur itaque quia, cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis, conversatione monachus, eum monuisset ut mala talia facere non auderet, neque necibus gauderet aut sanguine; at ille: Non, inquit, ego volens Romam proficiscor; sed quidam quotidie mihi molestus est, torquens et dicens: Perge et Romanam destrue civitatem. Hæc etiam de his dicta sufficiant. SOCRATES, *lib. VII, cap. 9 et 10, p. 346.*

CAPUT X.

De Cœlestino Romano pontifice, et quomodo Novatianos fuerit insecutus, et de Sabbatio.

Inter hæc Cœlestinus Romæ ordinatur episcopus, qui etiam Novatiorum abstraxit ecclesias, et eorum episcopum nomine Rusticulum, in occulto coegit celebrare collectas. **369** Usque ad illud namque tempus plerimas Novatiani habebant ecclesias. Porro Constantinopolitani non talia pertulerunt; sed cum eos diligenter, etiam intra urbem eos collectas facere permiserunt. Moriente vero Sisinnio Novatianorum episcopo, Chrysanthus ad episcopatum traheretur, vir multis Romanorum dignitatibus honoratus. Quo fugiente, Sabbatius se tempus opportunum ad episcopatum invenisse credens, fecit quosdam ignobiles sibi manus imponere, iurjurandum quod præbuerat parvipendens. Cujus mores cum populus abhorruisset, Chrysanthum per loca omnia requirebant. Quem inveniunt in Bithynia, invitum sacerdotium suscipere coegerunt. Qui nihil percipiebat ecclesiæ, nisi dominico die duos panes. SOCRATES, *lib. vii, cap. 11 et 12, p. 347.*

CAPUT XI.

De seditione et necibus Christianorum quæ per Judæos apud Alexandriam provenerunt.

Ea siquidem tempestate Judæorum gens ab Alexandria est hujusmodi de causa projecta. Alexandrinorum populus plusquam aliæ generationes seditiosis deditus est: qui si occasionem acceperit, importabilia mala committit. Nam præter sanguinem non cessat a lite. Contigit itaque tunc ut inter alternos contentiones haberent, non propter necessariam causam, sed propter studium pantomimorum: quia enim is qui die sabbatorum saltabat, plurimum habebat populum Judæorum; dum vacantes non auditioni legis, sed theatris occuparentur, ea dies litigiosa exstitit inter partes. Cumque hoc aliquatenus fuisset ab Alexandria præfecto correctum, nihilominus mansere Judæi partis alterius inimici. Et cum essent sæper Christianis infensi, contra pantomimos eorum amplius dimicabant. Tunc igitur Horestes præfectus Alexandria festivitatem quamdam, quam Politiam vocant, in theatro celebrabat: ubi et aderant quidam amatorum Cyrilli, dispositiones præfecti volentes agnoscere. Inter quos quidam nomine Gerax, doctor puerilium litterarum, et Cyrilli ferventissimus auditor, ac solius plausus in ejus expositionibus excitare. Hunc itaque Geracem cum vidisset in theatro Judæorum turba, clamabat adversus eum, quia pro nihilo aliud venerit, nisi ut in theatro seditiones inter populos excitaret. Verum Horestes dudum habens odium contra Cyrilli superbiam, arreptum Geracem publice fecit in theatro agitari verberibus. Hoc Cyrillus agnoscens, convocatis prioribus Judæorum, ut decebat, admonuit ne contra Christianos seditiones ulterius excitarent. Porro turba Judæorum hoc parvipendens, majora contra Christianos tractare molimina. Dantes itaque sibi signum ut anulum

A factum ex palma omnes haberent in digito, contra Christianos hunc modo dimicaverunt. Fecerunt enim quosdam de suis una nocte per omnes civitatis decurrere regiones, clamantes quoniam Alexandria arderet ecclesia. Ob quam rem Christiani undique concurrerant, quasi ecclesiæ flammam exstinguere. Porro Judæi ignorantes interimiebant, semetipsos per signum annuli agnoscentes, se parentes alterutris. Facta autem die latere nequiverunt. Ob hanc rem permotus Cyrillus, cum maxima multitudine astitit synagogis Judæorum, et illas quidem abstulit; Judæos autem expulit civitate, eorumque substantiam diripere populis imperavit. Hic ergo modo Judæi a temporibus Alexandri Macedonis illam habitantes urbem, tunc nudi prorsus expulsi sunt et per singula loca dispersi. Adamantius vero medicinæ sophista, Constantinopolim veniens, et Christianum se fore promittens, postea reversus est in Alexandriam. Igitur Alexandria præfectus Horestes valde tristabatur, eo quod populosam urbem ita desola am repente conspiceret. Unde etiam principi retulit quod provenit. Sed et Cyrillus delicta Judæorum imperatori non tacuit, et Horestis amicitias cogente populo postulavit. Cumque præfectus amicitiarum verba refutaret, Evangelia obulit ei Cyrillus. Et cum nec sic ejus corda subigerentur, hæc de novo provenerunt. Monachorum quidam in monte Nitria constituti, fautores Theophili, ex illo quo contra Dioscorum injuste fuerat coarmatus, etiam pro Cyrillo libenter prælia susceperunt. Relictisque monasteriis viri pene quingenti, et venientes ad civitatem, procedentem in campo præfectum, immolantem idolorum paganumque clamabant. At ille putans immissione Cyilli factum, clamare cepit: Christianus sum, et ab Attico Constantinopoli baptizatus. Illis hæc verba despicientibus, Ammonius quidam eorum præfectum petra percussit in capite. Qui repente completus est sanguine, et recedentibus officiis, atque lapidum impetum declinantibus, cum paucis remansit. Inter hæc populus concurrebat, ut præfecti vindicaret injuriam; delentumque Ammonium tandiu verberibus castigavit, donec traderet morti. Non post multum hæc nuntiantur imperatori. Corpus autem Ammonii sumens Cyrillus, in quadam ecclesia sepelivit, eique aliud nomen imposuit; ut non pro sua culpa, sed pro Christo mortuus crederetur, cui laudes quasi martyribus offerebat. Sed qui vere venerant quia dignas susceperat suo scelere poenas, Cyillum valde culpabant. Sed neque in hoc solummodo Cyrilli et Horestis adversitas conquievit, quando post hæc aliud est exortum. SOCRATES, *lib. vii, cap. 15 et 14, p. 349.*

CAPUT XII.

De Hypatia philosopha, quomodo in Alexandria fuerit interempta.

Erat in Alexandria quædam mulier Hypatia nomine, filia Theonis philosophi, et in tantum erudita, ut supra philosophos ejus temporis emineret, et in Platonica scholam a Plotino venientem, susciperet ipsa successionem, atque omnes philosophicas lectio-

nes exposceret. Quapropter omnes credebant ad eam propter honestam doctrinæ fiduciam [ms. Tyr., doctrinam fiduciam habentes]. Veniebat enim etiam ad iudices, nec habebat ullam verecundiam, pudice permixta viris, dum eam cuncti pro sui castitate venerarentur. Tunc ergo invidia contra hanc feminam est accensa. Cum enim crebro pergeret ad Ilorestem, ecclesiasticus populus motus adversus eam est, tanquam ipsa eum ab amicitiiis prohiberet episcopi. Quamobrem **370** conspirantes viri, acerrimo seriore pulsati, quorum dux erat quidam Petrus lector, observaverunt mulierem ad propria remeantem, eamque de vehiculo deponentes, ad ecclesiam que vocatur Cæsaris traxerunt, et vestibus exutam lapidibus peremerunt. Quam postea membratim dilacerantes, in loco qui dicitur Cinarus igne concremaverunt. Hæc res non mediocrem livorem Cyrilo et Alexandrinæ concessit Ecclesie. Alienæ namque sunt a Christianis cædes et pugnae. Hæc igitur acta sunt quarto anno episcopatus Cyrilli, consulatu Honorii decimo et Theodosii sexto (An. Dom. 415), mense Martio, juniis existentibus. SOCRATES, lib. vii, cap. 15, p. 352.

CAPUT XIII.

Quomodo Judæi præsumptionis suæ poenas exsolverint.

Post paucum itaque tempus, Judæi rursus illicite contra Christianos agentes, puniti sunt in loco qui dicitur Mestar, posito inter Chalcidem et Antiochiam Syriæ. Illic itaque Judæi consueta quedam risibilia celebrantes, per ebrietatem accensi, inter alia Christianis ipsique Christo derogare cœperunt deridentes cruci et spem in eo qui est crucifixus habentibus. Comprehendentes igitur infantulum Christianum, alligatum cruci suspenderunt. Et primum quidem deludebant et irridebant ei; postea vero correpti vesania, ipsum infantulum verberibus peremerunt. Ob hoc ergo dira congressio inter eos atque Christianos exorta est. Quod dum princeps agnovisset, provincialium iudicibus mandatum est, ut huiusmodi quærenterent auctores et punirentur. Et hoc modo dignam ultionem suæ nequitie receperunt. SOCRATES, lib. vii, cap. 16, p. 353.

CAPUT XIV.

De Judæo qui, cum sæpe baptizaretur, aqua fontis abscessit.

Ea siquidem tempestate Judæus quidam seductor, ficta Christianitate, crebro baptizabatur, et hac arte pecunias congregabat. Cumque multis hæresibus illuisset Arianorum atque Macedonianorum, postremo ad Ecclesiam venit orthodoxorum. Cui dum tempus juniorum fuisset impositum, multisque adhuc diebus occuparetur, cœpit festinare ut quasi in ferventi studio baptismatis dona perciperet. Preparatur baptismum, et vestis congrua baptismatis [ms. Santheod., baptizatus]. Cumque fons fuisset impletus, deducitur Judæus ad baptizandum. Tunc Dei quædam invisibilis virtus aquam disparere præcepit. Cumque præsentem, non cogitantes Dei virtutem,

A aquam per cuniculum proprium defluxisset suspenderentur, diligenter undique clauum rursus impleverunt fontem. Et denuo deducto Judæo aqua disparuit. Tunc sacerdos: Quid mali, inquit, fecisti, o homo? An certe nesciens baptismum jam potius es? Ob hæc rem cum diversi concurrerent, quidam Judæum recognovit, quem baptizatum ab Attico episcopo ipse susceperat, et hoc modo illius fraus universis apparuit. SOCRATES, lib. vii, cap. 17, p. 351.

CAPUT XV.

Quomodo Barabanes rex Persarum Christianos fuerit persecutus, et a Romanis devictus.

Interea defuncto Isdegerde rege Persarum, eius filius Barabanes ei successit. Illic instigatus a magis crudelibus torquebat suppliciis Christianos. Cumque Christiani apud Persas opprimerentur, confugium ad Romanos, eorum petentes auxilium. Quos Atticus episcopus libenter excipiens, eosque quantum erat possibile fovens, quæ gesta fuerant Theodosio nuntiavit Imperatori. Eo quoque tempore etiam alia causa provenerat quæ Romanos Persis faciebat insensos: quoniam Persæ aurifossos quos a Romanis ad mercedem acceperant, reddere contemnebant, et quia onera negotiatorum Romanorum violenter abstulerant. Cum illa ergo ingratitude, etiam Christianorum ad Romanos confugientium est adjecta. Mox ergo Persarum rex legatos mittit, repetens fugientes. Porro Romani nequaquam ad se confugientes reddere voluerunt: non solum supplices liberare studentes, sed pro Christianitate libenter omnia sustinere. Quamobrem dimicare quam perituros Christianos tradere potius elegerunt. Solutus igitur propter hoc pactis, bellum crudele commissum est. De quo absurdum non est pauca narrare. Romanorum igitur imperator misit exercitum cui præfuit militiæ magister Ardaburus. Is enim Persicam regionem per Armeniæ fines ingrediens, unam eius provinciam Azamensem valde vastavit; cui cum primo exercitu Narseus dux Parthorum regis occurrat, factaque congressione devictus est. Quo facto, cavavit per Mesopotamiam Romanorum provincias sine custodia consistentem invadere, et hoc modo de Romanis vitiscit. Sed Romanorum ducem Narseus consilium latere non potuit. Deprædatus enim Azamiam velociter regionem, et ipse in Mesopotamiam venit. Et ideo Narseus, licet multum habuisset exercitum, Romanorum terras introire non potuit; sed veniens ad Nisibin Persarum civitatem in confinio constitutam, Ardaburo mandavit ut diem et locum stateret præliorum. At ille venientibus: Nuntiate, inquit, Narseo quia non quando tu volueris, Romanorum pugnabunt imperatores. Verum imperator Deo soli spem belli committens, destinavit exercitum. Et quia fideliter Deo supplicans, repente impetravit auxilium, hinc datur agnosci. Dum igitur Constantinopoli pro eventu belorum æstuatio magna consurgeret, angeli Dei iter agentibus per Bithyniam ad urbem Constantinopolim se demonstraverunt: jubentes ut confiderent, et orarent, et Deo crederent,

quia Romanos victoria sequeretur, dicentes se mediatores belli directos a Deo. Hoc auditum, non solum civitatem, sed etiam milites confortavit. Cumque ad Mesopotamiam bellum fuisset de Armeniæ regione translatus, Romani Persas Nisibi clausos fortiter obsidebant, ligneas turres facientes adversus eos, easque contra moros applicantes, et plurimos de muris contra se pugnantes perimentes. Porro **371** Barabanes Persarum rex, audiens Azazenam regionem ab eis fuisse vastatam, et eos qui in Nisibi clausi videbantur obsessos, seipsum cum magno exercitu præparavit occurrere. Miratusque Romanorum virtutem, Saracenorum solatia postulavit. Quorum tunc erat rex Alamundarus vir foris et præliator, qui dum multa millia Saracenorum haberet, Persarum regi victoriam promittebat, seque el Antiochiam Syriæ traditurum. Sed non contigit quod putavit. Deus enim omnibus Saracenis quemdam irrationabilem metum latentem injectit, ita ut putarent sibi Romanos insistere. Turbatique nec habentes quo fugerent, in fluvium Euphratem semetipsos armati projiciebant: ubi plus centum millia virorum necata atque consumpta sunt. His ita provenientibus, Nisibin obsessis cum audirent Persarum regem plurimos elephantos adducere, perterriti cuncta quidem obsessionis machinamenta concremaverunt, et ad propria loca reversi sunt. Quæ vero congressiones postea prævenerunt, et quomodo Areobindas alter Romanorum magister militum fortissimum Persarum monachum interemit; aut quomodo Ardaburius septem fortissimos Persarum duces insidiis captos occidit; vel quomodo Bytianus alter dux Romanorum reliquos Saracenos extinxit, prætereandum est, ne videar multum a proposita relatione digressus. **SOCRATES, lib. vii, cap. 18, p. 355.**

Quæ tunc igitur gerebantur velociter imperatori Theodosio nuntiata sunt. Quomodo autem hæc cito cognosceret, indicare non piget. Invenit quemdam virum animi corporisque habitu fortissimum, nomine Palladium, qui tanta velocitate veredos agebat, ut tribus diebus perveniret ad terminos Romanorum atque Persarum, et rursus totidem remicaret ad Constantinopolim civitatem. Is enim etiam alios Romani imperii terminos velociter transibat. De quo quidam eloquentissimus sic ait: Iste vir, cum sit lata Romana respublica, eam parvulam sua velocitate demonstrat. Quem etiam Persarum rex sæpius admiratus est. **SOCRATES, lib. vii, cap. 19, p. 357.**

Romanorum igitur imperator, licet videret aperte sibi collatam a Deo victoriam provenisse, tamen pacem non dissimulavit expetere, misitque Helionem virum prudentem et honoratum, ut cum Persis de pace loqueretur. Qui dum venisset Mesopotamiam, ubi erant fossata Romanorum, misit pro pace petenda legatarium quemdam Maximum, virum eloquentissimum, Ardaburii militiæ magistri consiliarium; qui pro pace veniens ad Persarum regem, missum se non ab imperatore, sed a ducibus asserabat: dicens, quia hoc bellum pro sui contemptu neque pervenis-

set ad principem. Cumque Persa paratus esset ut legatarii verba suscipere, quia fame ejus laborabat exercitus, veniens Numerus qui apud ipsos Immortalium appellatur (est enim decem millia virorum valde fortissimorum), non prius dixerunt pacem cum Romanis esse faciendam, quam ipsi eos sine custodia constitutos invaderent. Quibus verbis persuasum est regi ut se a pace suspenderet. Tunc legatarium quidem clausum servari fecit, et misit Numerum Immortalium dimicare contra Romanos. Qui venientes, et in densas acies divisi, medios habuere Romanos. Porro Romani uram Persarum videntes aciem, contra eam se præparabant; aliam non videbant, quæ paulatim accessit ad pugnam. Cumque ergo jam congressio pene esset in opere, Dei providentia ex quodam colle exercitus alter apparuit Romanorum cum duce Procopio. Qui cum videret socios in periculo, instabat a dorso Persarum. Tunc in medio conclusi, qui circumdederant primo Romanos, in momento ab eis extincti sunt. Quo facto, Romani ad alios qui erant in subsidiis positi concurrerunt, eosque fortiter jaculati sunt. Sic igitur qui Immortales appellabantur omnes mortales apparuerunt; pœnas exigente Christo de gente Persarum, eo quod plurimos ejus famulos occidissent. Porro rex Persarum infortunii sui causam agnoscens, simulabat se nescire quod gestum est. Suscepitque legationem, dicens legatario Romanorum: Non bello cedens pacem amplector; sed tibi præstare volens, quia omnium Romanorum te sapientem esse cognosco. Et hoc modo bellum contra Christianos exortum de Parthorum regione cessavit. Contigit autem consulu Henorii tertio decimo et Theodosii decimo (**An. Dom. 422**). **SOCRATES, lib. vii, cap. 20, p. 358.**

CAPUT XVI.

Quomodo Acacius Amidæ episcopus captivos Persarum redemerit a Romanis militibus, venditis vasis ecclesiæ, et pastos cum sumptibus ad propria destinavit.

Tunc igitur Acacium, Amidæ civitatis episcopum, actus optimus reddidit clariorem. Cum enim Romani milites captivos Persarum de Azazena regione vastata reddere regi Parthorum nullo modo vellent, captivi fame consumebantur, dum essent circa septem millia, quod Persarum regem non mediocriter contristabat.

Tunc igitur Acacius convocans clericos sibi subiectos: Viri, inquit, fratres, Deus noster nec discis, nec calicibus opus habet; nam neque comedit, neque bibit. Et quia multa vasa aurea et argentea ecclesiæ nostra ex oblatione Christianorum habet, convenit ex his liberari exercitum captivorum, egentibusque cibos offerri. Hæc et his similia cum dixisset, conflat vasa, et militibus dedit pretium captivorum. Quos dum recreasset cibus, datis sumptibus ad regem propriam destinavit. Hoc mirabile opus Acacii Persarum rex magis obstupuit, quia et bello Romani et beneficiis evicissent. Aiunt enim quia etiam desiderium habuerit Persarum rex ut videret Acacium; sed hoc Theodosius prohibuerit imperator. **SOCRATES, lib. vii, cap. 21, p. 359.**

CAPUT XVII.

De Eudoxia uxore Theodosii, et de laudibus ipsius Theodosii.

Victoria siquidem auxilio Dei collata, Romanorum plurimi pollentes eloquiis conscribebant laudes imperatoris. Cujus uxor heroico metro poemata multa confecit. Frat enim eloquens, filia Leontii sophistæ Atheniensis, a patre omnibus lectionibus erudita. Quam dum imperator ducturus esset uxorem, Christianam **372** Atticus fecit episcopus, et in baptismo, cum prius vocaretur Athenais, Eudocæ nomen imposuit. Multi ergo, sicuti dixi, volentes innotescere, alii suam facundiam demonstrare, præconia imperatoria concriperunt. Ego vero nec innotescere cupiens, nec facundiam sermonis ostendere, cum veritate imperatoris bona memorare studeo; quia sunt damnosa si tacentur. Primum itaque regaliter natus atque nutritus, nihil habuit tepidum; sed sic fuit sapiens, ut inter confabulantes experimentum omnium crederetur habere causarum. Perdurabat in frigore, similiter et in æstu. Plerumque jejunabat, et maxime quarta feria et sexta, studio Christianitatis; nec aliter quam monasterium regalia videbantur. Ipse namque matutino ad suas sorores pergens, divinas dicebat laudes. Quamobrem etiam sacras litteras sine codice recitabat. Loquentibus episcopis, velut olim sacerdos factus, ex divina lectione respondebat. Congregabatque sacros codices, et quoscunque quilibet eorum interpretes seu expositores conscripsisse videbantur, plus quam Ptolemæus studuerat Philadelphus. Patientia atque clementia universis hominibus eminebat. Nam Julianus imperator, licet philosophus diceretur, non tamen Antiochensium portavit injuriam; sed maxima Theodoro tormenta indignatus imposuit. Porro Theodosius multum gaudens syllogismis Aristotelis, philosophiam exercebat operibus, iram, tristitiam libidinemque devincens, et in nullo se ulcisci desiderans. Dum igitur a quodam familiarium interrogaretur cur nullam se lædentium morti subiceret: Utinam, inquit, esset mihi possibile ad vitam etiam mortuos revocare. Quem dum alter pro ea causa requireret: Non est, inquit, magnum neque difficile hominem mori, quia neque Deo soli [*forte, sed convenit Deo, etc.*] semel mortuum ex poenitentia suscitare. Sic enim fuit clementis, ut si quando quispiam dignum aliquid morte **P** committeret, nec usque ad civitatis quidem portas moriturus perveniebat, sed ex ejus clementia continuo revocatio sequebatur. Dum aliquo tempore ipse in amphitheatro Constantinopolis expectaret, cepit clamare populus: Crudeli bestię artifex parabolus pugnet. At ille: Nescitis, inquit, quia consuovimus nos expectare clementer? Tanta enim pietate præcelluit, ut omnes quidem Deo consecratos honoraret, præcipue tamen quos audiebat veneranda [*ms. Lyr., honesta*] actione pollere. Fertur autem quia dum Constantinopoli episcopus Chebrouensis fuisset mortuus, sagum ejus valde sordidissimum quæsierit, coque circumamictus sit, credens se aliquid ex defuncti sanctitate promereri. Cum aliquando aeris

A tempestas esset, et ille circum propter populum expectaret, pleno circo tempestas vehementius agebatur multo imbre diffuso. Dumque hoc fieret, suam voluntatem imperator aperuit, fecitque per præconem clamari: quia melius esset spectaculum contemnere, et omnes rogare Deum ut illasi ab imminente tempestate servarentur. Quo dicto, cuncti Deo magno gaudio supplicantes, hymnos concorditer offerbant, et tota civitas velut una psallebat ecclesia. In medio autem horum imperator existens privato schemate properabat. Nec spe sua frustratus est: repente namque aer ad serenitatem divina clementia revocatus, annum præbuit frugibus universis uberrimum. Si quando bella moverentur, secunlum David confugiebat ad Deum: sciens eum præhorum auctorem, inimicos orationibus superabat. **SOCRATES, lib. vii, cap. 21 et 22, p. 360.**

CAPUT XVIII.

Quomodo Joannes tyrannus in Occidente fuerit superatus.

Post paululum itaque tempus Persici belli, defuncto imperatore Honorio consulatu Asclepiodoti et Mariniani (*An. Dom. 425*), Augusto mense, quomodo Joannem tyrannum Deo se committens superaverit enarrabo. Sicut enim tunc sub Moyse Hebraeis contigit Rubrum transire mare, talia etiam ejus ducibus evenerunt, dum eos mitteret contra tyrannum. Defuncto siquidem, sicuti diximus, Honorio principe, cognoscens Theodosius celavit factum, et alia **C** dicens diversorum suspitionibus obviavit. Inter hæc mittit magistrum militum in Salonas civitatem Dalmatarum, ut si qua bellorum commotio proveniret circa partes Hesperias, vicinus adjutor esset. Quo facto, mortem patris patefecit. Inter hæc Joannes primus imperialium conscriptorum, non ferens suam felicitatem, imperium contendit arripere. Misitque legatos ad imperatorem Theodosium, petens ut ejus suscipere imperium. At ille legatos quidem recludit in carcerem, misitque magistrum militum Ardaburium, qui multum laboraverat apud Persas. Illic Salonas veniens, exinde navigavit Aquileiam. Contigitque ventum adversum flare, ita ut in tyranni manus incidere. Quo capto, sperabat ad necessitatem pervenire Theodosium, ut per hoc eum decerneret imperatorem, si vellet magistrum militum liberare. Imperator tamen, ut audivit factum, æstuabat ne quid mali Ardaburium sustineret. Aspar vero Ardaburii filius cognoscens patrem a tyranno teneri, et multa millia barbarorum in solatio tyranni consistere, quid faceret ignorabat. Sed tunc imperatoris oratione prævaluit. Angelus enim Dei sub schemate pastoris educabat Asparem et omnes qui cum eo erant; ac per paludem adjacentem Ravennæ ad loca speciosa porvennerunt. In ea namque civitate tyrannus degens habebat exercitum, unde nullus aliquando transisse fertur. Tunc ergo Deus inadibilem terram fecit adibilem. Transeuntes namque per siccam paludis aquam, apertasque invenientes civitatis portas, tyrannum quoque deti uerunt. Tunc ergo pii-simus imperator

reverentiam quam circa Divinitatem habebat ostendit. Dum enim circum spectaret, nuntiatum est ei tyrannum fuisse peremptum. Quamobrem sermonem fecit in populo, dicens: Venite, si placet, relinquentes hanc voluntatem, et pergentes ad ecclesiam, gratificos Deo solvamus hymnos, cujus manus tyranni

A presumptionibus obviavit. Quo dicto, spectaculo cessante, per medium circum cuncti cum eo concorditer gratias agentes, ad ecclesiam convenerunt, ita ut tota civitas una videretur ecclesia. Venientesque ad locum orationis, jugi die gratias Domino retulerunt. SOCRATES, *lib. vii, cap. 22 et 23, p. 302.*

LIBER DUODECIMUS.

373 CAPUT PRIMUM.

De ortu Valentiniani principis filii Placidiae.

Igitur occiso tyranno, cogitabat Theodosius imperator cui deberet Hesperiarum regna committere. Tunc Valentinianus erat valde puer, natus ex matre Placidia, ejus quidem amita, filia vero Majoris Theodosii, Arcadii et Honorii sorore, de patre Constantino, qui ab Honorio imperii jura susceperat, parvoque tempore cum eo regnaverat. Hunc ergo Valentinianum, consobrinum suum Casarem factum, mittit ad partes Italiae, cum quo matrem pariter Placidiam, eique universam dispositionem commisit imperii. Cumque voluisset ipse quoque Italiam pergere, ut consobrinum ad imperii culmen eveheret, quatenus sui vigore tyrannorum removeret audaciam: veniens usque ad Thessalonicam, languore prohibitus est. Quamobrem coronam imperialem posthæc consobriino per patricium Stiliconem mittens, Constantinopolim remeavit. Hæc de talibus retulisse sufficiat. SOCRATES, *lib. vii, cap. 24, p. 364.*

CAPUT II.

De bonis actibus Attici Constantinopolitani pontificis.

Igitur Atticus episcopus causas Ecclesie sapientia mirabiliter disponebat, doctrinisque populum ad virtutis studia provocabat. Cumque videret divisam Ecclesiam, cum Joannitæ seorsum apud semetipsos sacra solemnia celebrarent, jussit ut in orationibus memoria Joannis haberetur, sicut aliorum dormientium episcoporum fieri consuevit, per hoc sperans plurimos ad Ecclesiam revocare. Largus autem sic erat, ut non solum pauperibus suarum parochiarum, sed etiam in vicinas civitates [*ed., vicinis civitatibus*] multas pecunias pro egentium consolatione transmitteret. Calliopio [*ms. Theod., Cælpio*] namque presbytero Ecclesie Nicæne trecentos aureos dirigens, hæc scripsit.

Calliopio Atticus in Domino salutem.

Cognovi decem millia e-urientes in civitate a piis exhibenda egere misericordia. Decem millia vero cum dico, multitudinem intelligo, non perfectum numerum comprehendendo. Quia igitur ego quidem habeo præceptum numerum datum ab eo qui manum habet munificam, et præbet congrue dispensantibus, et contigit aliquos indigere habentes: non tamen qui nescientes suscipiens, o charissimum mihi caput, hos trecentos solidis expende sicuti volueris, et maxime illis qui petere confunduntur, et non eis qui propter vitæ ventrem magis negotiantur ex talibus. Noli

igitur vel religionem in hac parte considerare; sed unam tantummodo rem observa, ut nutrias indigentes, nec cogites si quæ nostra sunt sapere non videatur.

B Sic igitur Atticus etiam procul indigentium habebat curam. Sed etiam superstitionem aliquorum studebat abscindere. Audiens etenim Novatianos Judaicum Pascha sequentes, 374 propter Sabbatum fuisse divisos, ejusque corpus ab insula Rhodi, ubi mortuus fuerat, translatum, et plurimos ad tumulum ejus orare, noctanter mittens in aliud sepulcrum corpus Sabbati jussit abscondi. At illi consuete venientes, effusumque reperientes tumulum, de cætero eum locum colere quieverunt. Erat enim circa nomina locorum studiosus. Nam dum quidam portus in ore Ponti Euxini constitutus, ex antiquo Pharmacus appellaretur, id est venenarius, mutato nomine eum locum Sanatorium nominavit: ne dum ibi collectæ prædicarentur, nomine basphemo locus ipse designaretur. Sed et alium locum Argyropolim pro hujusmodi causa nominavit. Chrysopolis enim in capite Bosphori constituta est, cujus multi antiquorum faciunt mentionem. De qua civitate Xenophon in primo libro Hælladicorum dicit, quia eam mutavit Alcibiades, et in ea constituit ut qui navigabant de Ponto, decimas ibi præberent. Videns ergo Atticus locum in contraria ripa Chrysopoleos positum, delectabilem et decorum, ait: Argyropolis nominetur; qui locus ejus repente cognomen obtinuit. Igitur quibusdam dicentibus ei non debere Novatianos intra civitatem missas facere: Nescitis, inquit, quantum nobiscum in persecutione Constantii atque Valentis fuerint passi, qui etiam testes sunt nostræ fidei. Nam cum dudum Ecclesia fuerit divisa, isti circa fidem nihil innovaverunt. Pro episcopi ordinatione aliquando veniens in Nicæam, Asclepiadem Novatianorum vidit episcopum valde senem, interrogavitque quot in episcopatu annos haberet. Quo respondente:

C Quinquaginta: Felix, inquit, homo es, tanto tempore boni operis curam habens. Super hæc ait: Ego quidem Novatum laudo, Novatianos non approbo. Tunc Asclepiades: Quomodo hoc dicis, episcope? Verum Atticus: Illum, inquit, laudo, quoniam his qui sacrificaverant communicare noluit; hoc etiam ego ipse fecissem. Novatianos autem non laudo, quia pro vilibus vitiis laicos a gratia communionis excludunt. Asclepiades dixit: Extra sacrificandi peccatum, etiam alia plurima sunt delicta secundum Scripturas quæ ducunt ad mortem; propter quæ illi

quidem clericos, nos autem communicare etiam clericos prohibemus, Deo soli eorum remissionis iudicium committentes. Atticus igitur etiam suam præscribit mortem. Nam cum a Nicæa discederet, Calliope presbytero dixit: Ante autannum Constantinopolim venire festina, si vivum me denuo videre desideras. Si tardaveris, non videbis. Quo dicto mentitus non est. Anno namque vicesimo primo sui episcopatus, decima die mensis Octobris, est mortuus, consulatu Theodosii undecimo et Valentiniani Cæsaris primo (*An. Dom. 425*). SOCRATES, *lib. vii, cap. 25, p. 365*.

CAPUT III.

De ordinatione Sisinnii et moribus ipsius; et quod Proclus ordinatus Cyzici non sit receptus.

Porro Theodosius imperator a Thessalonica revertens, ejus exsequias non invenit. Ante unum namque diem quam ingrederetur, ille sepultus est. Post paucos vero dies, id est viginti tres mensis Octobris nuntiatum est quia Valentinianus infans suscepisset imperii. Post obitum igitur Attici sit maxima de episcopi ordinatione contentio, aliis alium postulantibus; quidam Philippum presbyterum quærebant, alii Proclum item presbyterum. Sed omnis populus communiter desiderabat ordinari Sisinnium, qui et ipse presbyter quidem erat; in nulla tamen civitate ordinatus, sed in suburbano Constantinopolis cui nomen Oliva est ministrabat. Hoc suburbanum est positum contra faciem civitatis, ubi dies Ascensionis Salvatoris solemniter celebratur. Hunc ergo virum omnes licet diligebant pro sui reverentia, et maxime quia fovebat pauperes ultra sui mensuram. Prævaluit ergo vota laicorum, et Sisinnius ordinatus est vice-ima octava die Februarii mensis, consulatu sequenti Theodosii duodecimo et Valentiniani junioris secundo (*An. Dom. 426*). Philippus autem presbyter, cui præpositus fuerat Sisinnius, in historia Christiana, quam triginta sex libris ipse conscripsit, ordinationem Sisinnii valde laceravit, derogans ordinato et pariter ordinantibus, et maxime laicis. Is enim Philippus a Joanne episcopo diaconus ordinatus, multa quoque conscripsit contra Julianum imperatorem: cujus tamen historia mihi multam videtur habere confusionem, et non satis prodesse legentibus. Sisinnio itaque ordinato, contigit episcopum obire Cyzicenum. Tunc Sisinnius Proclum in Cyzico consecravit, qui antequam proficisceretur ad Cyzicum, cives præcedentes Dalmatium monachum episcopum sibi ordinaverunt, parvipendentes regulam qua jubetur præter Constantinopolitanum episcopum ordinationem ibi fieri non debere. Quod illi Cyziceni neglexerunt, quia Attico soli hæc lex personaliter præstita videbatur. Mansit ergo Proclus non habens ecclesiam propriam; qui tamen in doctrina ecclesiarum Constantinopoleos valde florebat. Igitur Sisinnius, eum duos in episcopatu complevisset annos, defunctus est consulatu Hierii et Ardaburii (*An. Dom. 427*), vicesima quarta die Decembris mensis, vir famosissimus castitate et rectitudine vitæ suæ,

A mansuetus moribus sine ullo fignento, remotus a causis. Quamobrem curiosis viris tristis et inefficax videbatur. SOCRATES, *lib. vii, cap. 25 et 26, p. 367*.

CAPUT IV.

De ordinatione Nestorii, et quæ sub eo in Ecclesiis mala acciderint.

Defuncto Sisinnio, imperatoribus visum est nullum ex Ecclesia Constantinopolitana ordinare pontificem, eo quod essent vanæ gloriæ, et sibi arrogantes, cum utique multi Philippum, plurimi Proclum habere desiderarent. Interea est ab Antiochia delibatum advenam antistitem debere evocari. Erat enim ibi quidam Nestorius nomine, genere Germaniciensis, bonæ vocis et simul eloquii. Ideoque eum quasi opportunum doctrinis evocaverunt. Cumque transissent tres menses, Nestorius venit ab Antiochia, qui castitate inter plurimos præcipuus habebatur. Quibus autem fuerit moribus institutus, sapientes a primo ejus sermone non latuit. Ordinatus enim decima die mensis Aprilis, consulatu 375 Felicis et Tauri (*An. Dom. 426*), mox illa divulgata coram omni populo protulit vocem, faciens sermonem ad principem: Da mihi, inquit, o imperator, terram purgatam hæreticis, et ego cælum tribuo. Debella mecum hæreticos, et ego tecum debellabo Persas. Hæc cum dixisset, licet quidam odio haberent hæreticos, tamen levitas sensus ejus, et indignationis initium, et vanæ gloriæ tumor ei valde displicuit: quia neque parvulum tempus sustinens, ad talia verba descendit, et secundum proverbium, ut ita dicam, cum neque civitatis adhuc gustasset aquam, persecutor ferventissimus apparebat. Quinta vero ordinationis die oratorium Arianorum, in quod lateenter conveniebant, auferre volens, eos ad tantum furorem perduxit, ut idem oratorium concremarent. Quæ causa etiam vicinas consumpsit ædes, turbaque vehemens in civitate provenit. Verum Ariani semetipsos defendere præparabant; sed eorum consilium custos civitatis Deus Dominus impedivit. De cætero autem ipsum Nestorium vocabant incendium [*Vales., incendiarium*], non solum hæretici, sed etiam qui ejus fidei concordabant. Non enim silere patiebatur, sed semper contra hæreses machinatus, quantum ad se subvertit funditus civitatem. Novatianus autem de populari tentabat, eo quod Paulus eorum episcopus præditus esse reverentia diceretur; sed proceres ejus impetum refrænarunt. Quanta vero circa Asiam, Lydiam, Cariam, cum ra Quarto decimanes mala commiserit, et quanti propter eum circa Miletum et Sardis facta seditione sint mortui, nunc omitto. Quam vero propter hæc et propter infrenatam linguam reciperit ultionem, post pauca narabo. Nunc itaque res memorabilis indicanda est. SOCRATES, *lib. vii, cap. 29, p. 379*.

Quædam gens ultra [*et., insula*] Rhenum fluvium est Burgundionum. Isti vitam quietam agunt, et pæne omnes fabri lignorum sunt, ex qua arte [*ed., mercede*] pascuntur: quorum regionem Hunni crebra invasione vastabant, et plurimos occidebant. At illi licet anxie

tate constricti, ad nullum se tamen hominum contulerunt, sed alicui Deo se committere cogitabant. Tunc audientes quia Romanorum Deus fortiter adjuvat se timentes [ms. Lyr., in se credentes], omnes communi consilio ad credulitatem Christi confugiunt. Venientesque in unam civitatem Galliarum, rogabant ut ab episcopo Christianorum baptismum consequerentur. At ille eos septem diebus faciens jejunare et imbuens fide, baptizatos octava die abire præcepit. Qui sumpta fiducia contra tyrannos alacriter festinant, et spe sua privati non sunt. Nam cum rex Hunnorum nomine Suptarus [ms. Theod., Sumptarus], per noctem fuisset ciborum nimia voracitate corruptus, Burgundiones gentem inimicam sine duce reperientes, et pauci pluribus resistentes, facta congressione vicerunt. Nam cum essent isti tria millia, circa decem millia peremerunt; et ex illo tempore cuncta gens ferventissime in Christianitate permansit. Eo tempore Barbas Arianorum episcopus est defunctus, consulatu Theodosii tertio decimo et Valentianiani tertio (An. Dom. 430), vicesima quarta die Junii mensis; in cuius locum Sabbatius ordinatur. SOCRATES, lib. VII, cap. 30, p. 371.

Nestorius itaque agens præter consuetudinem Ecclesie, contra se plurimos incitabat, sicut ejus actus ostendunt. In Germensi etenim Hellesponti civitate Antonius erat episcopus, qui cognoscens instantiam Nestorii adversus hæreticos, Macedonianos et ipse persequi festinabat, quasi patriarche imitatus imaginem. Porro Macedoniani aliquid tantum sunt perpassi. Cumque Antonius vehementer insisteret, jam molestiam non ferentes, ad scelus se durissimum contulerunt. Mittentes etenim quosdam viros, et quod rectum est secundo loco ponentes, interemerunt eum. Hoc factum Macedonianorum, Nestorio majoris persecutionis dedit occasionem. Persuasit enim imperatoribus ut eorum ecclesie tollerentur. Quamobrem Constantinopoli eis ecclesia ablata est ante murum veterem posita civitatis, et in Cyzico, et aliæ plurimæ quas habebant in Hellesponto: quorum aliqui ad ecclesiam confugerunt, in consubstantialitatis fide consentientes. Sed, sicut ait Scriptura, Ebrios vinum non deest, neque contentiosas lites: sic quoque Nestorio amanti persecutionis evenit ut persequeretur semper Ecclesiam Dei. SOCRATES lib. VII, cap. 51, p. 372.

Erant cum eo Anastasius presbyter ab Antiochia pariter destinatus, quem nimis honorabat, et veluti consiliarium habebat in causis. Aliquando igitur coram ecclesia Anastasius docens, ait: Dei genitricem Mariam nullus appellet. Maria enim homo fuit, et Deum ab homine generari nimis impossibile est. Hoc cum auditum fuisset, plurimos clericorum et laicorum pariter conturbavit. Olim namque didicerant Deum pariter et hominem Christum, et nullatenus eum per dispensationem velut hominem a divinitate separare, credentes apostolicæ voci quæ dicit: Et

A si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunquam nequaquam cognoscimus (II Cor. v, 16). Quapropter, relinquentes de Christo sermonem, ad perfectionem procedamus. Tumultu siquidem, sicut dixi, in ecclesia facto, Nestorius Anastasii sermonem firmare volens, et non relarguere velut blasphemum, qui videbatur ab eo honorari, frequenter ex hoc coram ecclesia docuit. Et cum majori contentione questionem hanc agitabat, sermonem Dei Genitricis rejiciens. Unde divisio nata est in Ecclesia, et velut in nocturna lite divisi, nunc his, nunc aliis consentiebant, et verba propria denegabant. Nestorius autem apud multos in ea erat opinione, quia purum hominem diceret Christum, et tanquam Pauli Samosatani atque Photini dogma in Ecclesias introduceret. Sed de his maxima quæstio nata est et tumultus, ita ut universalis synodus ageretur. Ego vero legens Nestorii libros, quæ intellexisse comperi hunc virum, et cum veritate conspexi, neque pro ejus inimicitias, neque pro gratia alterius explanabo. Non mihi videtur Nestorius, neque Samosatenum secutus Paulum, neque Photinum, neque omnino purum hominem dixisse Christum; sed sermonem tantummodo quasi metendum expavisse; et hoc passum, quia decenter non erat eruditus. Qui dum naturaliter eloquens fuisset, se putabat doctum, et libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omniumque se meliorem putabat esse: ignorans quia in catholica Joannis Epistola in antiquis exemplaribus habeatur: *Omnis spiritus qui solvit Jesum a Deo non est (I Joan. IV, 3)*. C Hunc enim sensum ex veteribus exemplaribus abstulerunt, qui separare volunt ab hominis dispensatione divinitatem. Quapropter veteres interpretes hoc ipsum dedignati sunt [ms. Theod., designaverunt], quia aliqui adulterati sunt hanc epistolam, solvere hominem a Deo volentes. Est enim humanitas **376** copulata divinitati, et jam non sunt duo, sed unum. Hac ratione confidentes antiqui, Mariam Dei non timuerunt dicere Genitricem. Eusebius Pamphili enim tertio libro de Vita Constantini, dixit: Etenim et generationem sustinere qui nobiscum est Deus propter nos voluit; et locus ejus incarnatæ generationis nominatus est apud Hebræos Bethleem. Quamobrem et Helena Augusta Deo amabilis, locum amplum, ubi Dei Genitrix peperit, memoriis mirabilibus adornavit. D hanc sacratissimam speluncam decenter irradians. Sed Origenes in primo tomo de Epistola Pauli apostoli ad Romanos, ait: Quomodo Dei genitrix dicatur, latius animadvertite. Apparet igitur Nestorium ignorasse lectiones antiquorum. [Quapropter, sicut dixi, in sermone solo moratus est, et non solum eum sermonem ex animo dedit, sed etiam omnino Deum esse qui natus est denegavit. Nos enim fatemur quoniam qui de sancta Virgine natus est, crucifixus est, Dominus est gloriæ, sicut dixit Apostolus: *Si enim cognovissent, nunquam a Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. II, 8)*. Porro Nestorius dicit: Noli gloriari, Judæe, non crucifixisti Deum: tanquam ipse Dominus gloriæ

* Hæc desunt apud Christophor. et Vales.

idem non sit Deus.] Nam quia purum non dicit hominem Christum, sicut Photinus aut Paulus Samosatenus, etiam hominiae quas fecit ostendunt. Nusquam enim Dei verbi subsistentiam perierit; sed ubique id subsistere constitetur, et haberesubstantiam, non sicut Photinus et Samosatenus ejus existentiam perierunt. Hoc enim et Manichaei a Montano dogmatizare praesumunt. Sic igitur Nestorium ego invenio sapientis ex ejus libris. Non ergo meditoerem concussionem orbi terrarum tepidissima Nestorii ratiocinatio concitavit. SOCRATES, *lib. vii, cap. 52, p. 373.*

Interea contigit scelus quoddam in ecclesia provenire. Servi quidam potentium genere barbari, dominum crudelem experti, ad ecclesiam confugerunt, et portantes gladios ingressi sunt ad altare. Cumque rogarentur, exire nullo modo voluerunt; sed impediabant solemnia celebrari, plurimis diebus gladios tenentes evaginos, et parati se vindicare; et omnibus ad eos accedentibus insistebant. Qui postremo unum clericum perimentes et alium vulnerantes, etiam semetipsos interemerunt. Quo facto quidam transeuntium hoc scelus nihil boni Ecclesiae significare praedixit; nec veritate privatus est. Significabat enim populi divisionem et dejectionem ejus qui fuerat causa divisionis. SOCRATES, *lib. vii, cap. 53, p. 375.*

CAPUT V.

De Ephesino concilio contra Nestorium.

Non multo post tempore, jussio principalis episcopos undique ad Ephesum convenire praecipit. Mox ergo post paschalem festivitatem, Nestorius cum maxima multitudine venit ad Ephesum, invenitque plurimos episcoporum ibi fuisse collectos. Porro Cyrillus Alexandrinus modicum retardatus, circa Pentecosten occurrit. Quinta vero die post Pentecosten, et Juvenalis Hierosolymorum venit. Porro Joannes Antiochenus tante, movebant praesentes epi copi quaestionem. Cyrillus autem Alexandrinus episcopus dehorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, cum turbare volens. Etenim erat inimicus ejus. Et cum plurimi Deum confitentur esse Jesum: Ego, inquit Nestorius, bimestrem et trimestrem [Al., bitrem et trinitrem] nequaquam confiteor Deum. Qui gratia mundus sum a sanguine vestro, et amodo ad vos non veniam. Dum haec itaque dixisset, cum reliquis congregabatur episcopis qui ejus sententiam sequebantur; praesentes ergo in duos ordines sunt divisi. Porro Cyrillus cum suis facto concilio Nestorium vocaverunt. At ille non obedivit, differens in praesentiam Joannis Antiocheni. Qui vero circa Cyrillum erant, hominias Nestorii quas de hac quaestione protulerat sapienter relegentes et ex ipsis judicantes, eum velut blasphemantem Dei Filium damnaverunt. Hoc facto, qui circa Nestorium erant, alud apud se concilium facientes, damnare Cyrillum et cum eo Memnonem, Ephesinae civitatis episcopum. Non vero post multum venit etiam Joannes Antiochenus episcopus, et cognoscens quae gesta sunt, indignabatur contra

A Cyrillum, tanquam seditionis auctorem, eo quod asserentissime Nestorii fecisset damnationem. Porro Cyrillus cum Juvenale volens se ulcisci contra Joannem, damnavit etiam ipsum. His tali mixtione confusus, cognoscens Nestorius contentionem ad quamdam perniciem pervenisse, Dei Genitricem Mariam vocabat, dicens: Dicatur, inquit, etiam Dei Genitrix Maria, et ea quae affertur tristitiam conquiescant. Sed nullus eum ex poenitentia talia decemtem suscepit. Quapropter hactenus damnatus, et in exilium missus, Oasin inhabitare dignoscitur. Hunc ergo terminum tunc synodus habuit. Quae gesta sunt consulatione Bassi et Antiochi (An. Dom. 431), 18 die Junii mensis. SOCRATES, *lib. vii, cap. 53. Edit. Christ. Vales. cap. 54, p. 376.*

CAPUT VI.

Quomodo Joannes Antiochenus Cyrillum damnaverit.

Porro Joannes veniens Antiochiam, et plurimos episcoporum colligens, damnavit Cyrillum, cum jam esset in Alexandria. Post paululum vero tempus inimicitias resolventes, ad gratiam sunt regressi, et sedes alterutris reddiderunt. Post damnationem vero Nestorii, dura Constantinopoli turba contra Ecclesiam facta est. Divisus est namque populus propter tepidum ejus, sicut dixi, tractatum. Clerici tamen omnes communi decreto eum anathematizaverunt. Sic enim nos Christiani contra blasphemum prolatum solemus appellare decretum: quando id veluti in marmore scriptum, manifestum cunctis ostendimus. SOCRATES, *lib. vii, cap. 53, Edit. Christ. Vales. cap. 54, p. 377.*

CAPUT VII.

De ordinatione Maximiani Constantinopoli.

His ita provenientibus, de electione episcopi quaestio rursus exorta est, et multi Philippum, cujus jam feci memoriam, plurimi Proclum eligebant. Potuitque Proclus tenere pontificatum, nisi quidam procerum prohibuissent, dicentes regulam ecclesiasticam non permittere eum qui alterius civitatis episcopus nominatus est, **377** ad alteram migrare civitatem; quod dictum populus revocavit. Cumque quatuor transissent menses post Nestorii damnationem, Maximianus ordinatur episcopus, in monachica quidem vita, presbyterorum tamen collegio constitutus. Is enim opinionem reverendi viri olim habuerat, eo quod propriis sumptibus monumenta fabricaret, ut in eis religiosorum corpora sepeliret. Erat enim idiota sermone; et sub quiete vivere potius eligebat. SOCRATES, *lib. vii, cap. 54. Edit. Christ. Vales. cap. 55, p. 377.*

CAPUT VIII.

Quod episcopi ex aliis ad alias Ecclesias sint mutati.

Quia vero quidam dicebant ecclesiasticam regulam prohibere ne Proclus Constantinopolitanam teneret Ecclesiam, cum Cyzici [mss. et ed. V., Cizico] fuisset ordinatus, volopro hac re pauca narrare. Non enim mihi hoc vere dixisse videntur, sed aut invidia faciente, aut ignorantes ecclesiasticam sanctionem

nem prohibuerunt, quæ frequenter in Ecclesiis utiliter facta noscuntur. Eusebius itaque Pamphili in sexto Ecclesiasticæ Historiæ libro, Alexandrum unius Cappadociæ civitatis episcopum refert, quia cum venisset causa orationis ad Hierosolymam, detentus sit ab ejus civibus, et in locum Narcissi episcopi constitutus, et de cætero omni vita sua ipsi Ecclesiæ præsedisse. Sic igitur apud veteres sine ulla differentia de civitate ad aliam migrabat episcopus, dum utilitas evocaret. Oportet autem etiam ipsam regulam huic operi copulari, ut ostendatur quia mentiti sunt qui Proclum inthronizare prohibuerunt.

Regula xviii. Si quis episcopus ordinatus ad parochiam in qua ordinatus est minime proficiscitur non sua culpa, sed sive populo respuente, aut propter quamlibet aliam causam non necessitate factam, hunc honore ministerioque participari tantum, nec enim misceri rebus ecclesiæ, in qua collectas celebrat Ecclesia; sed sustinere quod provinciæ synodus suo judicio terminaverit.

Hæc itaque regula est. Quia vero plurimi episcoporum ex aliis civitatibus ad alias propter utilitates temporum sunt migrati, nomina eorum qui sunt mutati sublidimus. Perigenes in Petris ordinatur episcopus; et quoniam cives ejus eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis episcopus jussit eum inthronizari in Corintho metropoli, defuncto ejus episcopo; eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Gregorius Nazianzenus, prius unius Cappadociæ civitatis fuit episcopus, deinde Nazianzi constitutus est. Meletius in Sebastena prius Ecclesia præfuit, et postea Antiochiæ præsul est constitutus. Dositheum Seleuciæ episcopum Alexander Antiochenus episcopus in Tarsum Ciliciæ demigrare fecit. Reverentius ab Arris Phœniciæ in Tyrum migratus est [*ms. Lyr.*, migravit]. Joannes de Gordo Lydiæ mutatus est in Proconesum, et in ea præsidet Ecclesia. Palladius ab Heliopolim mutatur in Asponam. Alexander ab Heliopolim in Adrianos migratus est. Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambrina vocabatur. Polycarpus de urbe Antapristena Mysiæ in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ migratus est in Plutinopolim Thraciæ. Optimus ab Argadania Phrygiæ in Antiochiam Pisiæ migratur. Sylvanus a Philippopoli Thraciæ mutatur in Troada. Tantos igitur quantos ad præsens invenimus ex propriis civitibus ad alias migrasse, nos memorasse sufficiat. De Sylvano tamen, qui ex Philippopoleos Thraciæ in Troada migratus est, utile judico pauca narrare. **SOCRATES, lib. vii, cap. 35. Edit. Christ. Vales. cap. 36, p. 578.**

Sylvanus quidem rhetor fuit prius Toliæ sophistæ, et ad perfectum Christianus, vitæque monasticam diligens. In enim doctoris pallio uti desepit: quem post hæc Atticus episcopus comprehendens, episcopum Philippopoleos ordinavit. At ille tribus annis in Thracia degens, nec frigora ferre valens, cum

A haberet corpus valde debile atque subtile, rogavit Atticum ut eum in locum alium constitueret, dicens non ob aliam causam nisi propter frigus ea se loca mutare velle. Cumque alter pro eo fulset ordinatus, mansit Sylvanus Constantinopoli, vitam monasticam perfecte custodiens. Tantumque sine ulla fuit arrogantia, ut plerumque in tanta multitudine civitatis cum soleis de sparto procederet. Quodam tempore transeunte, Trojanæ præsul Ecclesiæ moritur; Trojanique venerunt, petentes episcopum. Cumque cogitaret Atticus quem ordinare deberet, subito contigit ad eum salutandum venire Sylvanum. At ille videns eum, mox cogitare cessavit. Tunc ad Sylvanum: Non habes, inquit, ulterius occasionem pro qua ecclesiasticas curas possis effugere. Trojanaque non habet frigus: sed ecce apparatus est tuo corpori opportunus a Deo locus. Præpara ergo temetipsum, et ad Trojam continuo proficiscere. Migratur ergo Sylvanus. Quo facto, miraculum quod inter ejus manus accidit enarrabo. Navis maxima, quæ grandes columnas devexit nuper, in littore Trojano fabricabatur. Cumque eam ad mare deducere voluissent multis funibus atque populo trahente, nullatenus movebatur. Quod dum plurimis diebus ageretur, suspicati sunt navem a dæmonio retineri. Tunc ad Sylvanum venientes episcopum, rogaverunt eum ut in eo loco daret orationem, credentes hoc modo trahi navem. At ille humili sermone dicebat se esse peccatorem: asserens hoc opus alicujus esse justi, non tamen suum. Quem dum rogassent, venit ad littus. Factaque oratione tetigit unum funem, jubens ut insisterent operi cum labore. Tunc illis breviter impellentibus, cursim navis ad mare processit: hoc miraculum reverentiam illius viri cunctos fecit habere provinciales. Qui dum esset etiam in aliis rebus eximius, videns clericos etiam de contentione litigantium negotia facientes, nullum clericum aliquando judicare præcepit. Sed petitiones postulantium ipse suscepit; et rogabat unum filium laicorum, amatoremque justitiæ, ut ipse litigantibus interesset, et terminum justitiæ definiret. Ob quam rem maximam apud omnes gloriam consecutus est. Cum igitur Maximianus in urbe Constantinopolitana ordinatus fuisset episcopus consulari Bassi et Antiochi (*An. Dom. 431*) quinta et vigesima die mensis Octobris, causæ ecclesiasticæ quieverunt. **SOCRATES, lib. vii, cap. 36. Edit. Christ. Vales. cap. 37, p. 381.**

378 CAPUT IX.

Quomodo apud Cretam, quodam Judæo dicente se esse Moysen, plurimi Judæorum deceptione sint mortui, et reliqui facti sint Christiani.

Circa hoc tempus multi Judæorum in Creta Christiani facti sunt propter hujusmodi passionem. Quidam seductor Judæus fluxit semetipsum esse Moysen, et crelitus destinatum ut Judæos illam insulam inhabitantes per mare duceret: ipsum se esse dicens qui olim filios Israel per Rubrum mare salvaverat. Circuibat itaque toto anno unquamque illius insulæ civitatem, suadebatque Judæis ut crederent;

manens ut omnes pecunias atque possessiones relinquere, cum utique deducti per siccum mare, ad repromissionis gaudia pervenirent. At illi hac spe capti, omne opus proprium negligebant, contemnentes etiam possessiones suas, et dimittentes eas quibuscunque personis. Cumque venisset dies quam designaverat seductor ille Judæus, eo præcedente sequebantur omnes cum conjugibus et pueris [ms. *Lyr.*, filiis]; deduxitque eos ad quamdam rupem declivius incumbentem, jussitque ut tumorum schemate semetipsos evolverent. Hoc ergo faciebant priores. Et cum venirent ad rupes, repente moriebantur, tam dilacerati acutis rupibus quam in aqua necati. Plures tamen mori potuerunt, nisi, Deo providente, quidam viri Christiani supervenissent placentes atque negotiatores, qui alios cum necarentur eripientes recreaverunt. Tum malum eorum sultitiæ sentientes, alios, ne semetipsos jactu interficerent, tenuerunt, nuntiantes eorum mortem, qui prius fuerant præcipitati. Qui etiam cognoscentes seductionem, culpabant se, eo quod facile credidissent. Cumque voluissent illum perimere reductorem, comprehendere nequiverunt. Repente namque disparuit, deditque suspicionem quia dæmon fuerat erroneus, humano schemate circumamictus. Pro hac itaque passione multi tunc Cretensium Judæorum ad Christianam conversi sunt fidei. *SOCRATES, lib. vii, cap. 37. Edit. Christ. Vales. cap. 38, p. 383.*

CAPUT X.

De magno incendio Constantinopoli facto, et morte Maximiani, atque constitutione Procli.

Interea incendium in civitate Constantinopolitana factum paulatim pervenit ad thermas quæ vocantur Achilleæ, deinde ad locum qui dicitur Pelargus, ita ut Novatianorum comprehenderetur ecclesia. Tunc tertio Paulum eorum episcopum inter flammam ecclesiæ restitisse, supplicentem Deo ne ecclesia pariter cremaretur. Qui locus ereptus est; et hactenus decima septima die mensis Augusti apud Novatianos collectio celebratur. Hunc tamen locum non solum Christiani, sed etiam pagani ex eo tempore venerantur. *SOCRATES, lib. vii, cap. 38. Edit. Christ. Vales. cap. 39, p. 384.*

Maximianus igitur cum duos annos et sex menses Ecclesiam gubernasset, defunctus est consulatu Ariobindæ et Asparis (An. D. 454), die duodecima mensis Aprilis, in septimana majore jejuniorum, feria quinta. Tunc igitur Theodosius imperator sapienter causam prospexit ne rursus de episcopatu seditionis questio aut tumultus in Ecclesia nasceretur. Cum adhuc ergo corpus Maximiani jaceret, præsentibus episcopis præcepit inthronizare Proclum. Quod etiam Romani episcopi Cælestini litteræ firmaverunt quas ad Cyrillum Alexandriae destinavit episcopum, et ad Joannem Antiochenum, et Rufum Thessalonicensem: dicens, quia nihil prohiberet alterius civitatis existentem episcopum in aliam demigrari. Inthronizatus igitur Proclus exsequias Maximiani corpo is celebravit: de quo tempus est ut pauca dicamus.

A SOCRATES, lib. vii, cap. 39. Edit. Christ. Vales. cap. 40, p. 385.

CAPUT XI.

De conversatione et moribus Procli.

Proclus ab ætate prima lector fuit, apud doctores tamen observans zelator quoque in rhetorica. Qui dum ad perfectam venisset ætatem, plerumque cum Attico erat episcopo exceptor sermonum ejus. Et dum proficere, ab Attico diaconus ordinatur, postea presbyter. A Sisinnio vero Cyzici consecratur episcopus. Hæc equidem ei primitus provenerunt, postea thronum Constantinopolitanæ sortitur Ecclesiæ. Erat enim vir moribus optimis; et, ab Attico utiliter eruditus, omnia ejus imitabatur. Sed in isto patientia potior apparebat. Et ille quidem hæreticis se terribilem opportune monstrabat; iste vero omnibus mitis erat, et sic eos potius quam violenter flectere nitebatur: nullam hæresim fatigare volens, in hac parte Theodosium imitatus imperatorem. Ille namque judicabat contra culpabiles imperiali non uti potestate. Hic autem parvipendebat si quis de Deo non ita saperet sicut ipse. *SOCRATES, lib. vii, cap. 40. Edit. Christ. Vales. cap. 41, p. 386.*

In his igitur etiam imperator laudabat eum, cum et ipse veros sacerdotes imitaretur, et nequaquam persequi volentes admitteret. Ego tamen præsumptive dico quia mansuetudine omnes veros sacerdotes evicerit. Ob quam causam hostes suos citra belli certamina subjugabat, sicut ostenditur in Joanne tyranno, et facta post hoc perditione barbarorum. *SOCRATES, lib. vii, cap. 41. Edit. Christ. Vales. cap. 42, p. 386.*

CAPUT XII.

De victoria barbarorum.

Post interitum namque tyranni, barbari quos ille contra Romanos suum evocaverat in auxilium, parati erant Romanorum fines invadere. Hæc audiens imperator consuevit hanc sollicitudinem Deo commisit, et orationibus occupatus cito promeruit quod quæsit. Quæ enim provenerunt barbaris enarranda sunt. Dux enim eorum nomine Rugas, fulmine percussus, interiiit. Secutaque pestis maximam partem eorum hominum intereinit. Et non solum hoc sufficit, sed etiam ignis de celo descendens, plurimos qui videbantur remansisse consumpsit. Quæ res barbaros in formidine magna constituit, non solum quia contra gentem Romanorum fortissimam arma levare præsumperant, sed quia sic eos a forti Deo juvari conspicebant. Tunc enim Proclus episcopus de prophetia Ezechielis coram Ecclesia faciens sermonem de collata salute, ab omnibus est laudatus. Cujus prophetiæ verba sunt hæc: *Et tu, fili hominis, prophetiza in Gog principem Mosoch et Tubal. Judico enim eum morte, et sanguine, et imbre diluvii, et lapidibus grandinis, et ignem, et sulphur pluviam super eum et omnes qui cum eo sunt (Ezech. xxxviii, ii, 22).* Et post pauca: *Et scient quia ego sum Dominus.* *SOCRATES, lib. vii, cap. 42. Edit. Christ. Vales. cap. 45, p. 387.*

CAPUT XIII.

Quomodo filia Theodosii Valentiniano sit juncta.

Igitur imperatori propter suam mansuetudinem et alia plurima præstitit Deus, quorum unum illud est. Erat ei filia ex Eudoxia, nomine Eudoxia. Hanc Valentinianus consobrinus ejus, Hesperiarum partium ab eo factus imperator, petiit uxorem. Cumque Theodosius annuisset, cogitabat in medio quodam itineris loco nuptias celebrare. Placueratque ut Thessaloniam ambo venirent. Inter hæc nuntiavit Valentinianus ne fatigaretur Theodosius; ipse enim venturum se Constantinopolim compromisit. Cumque ergo partes munisset Hesperias, Constantinopolim venit ad nuptias. Quibus celebratis consulatu Isidori et Senatoris (*An. Dom. 436*), uxore sumpta reversus est. SOCRATES, *lib. vii, cap. 43. Edit. Christ. Vales. cap. 43 et 44, p. 388.*

CAPUT XIV.

Quomodo corpus Joannis episcopi sit Constantinopolim revocatum.

Non multo post episcopus Proclus ens qui propter Joannis depositionem segregabantur, Ecclesie restituit. Sapientiaque sua eorum mitigavit tristitiam hoc modo. Corpus enim Joannis in Cumanis sepultum, tricesimo quinto anno post depositionem, Constantinopolim jubente imperatore revocavit, et publice divulgatum in ecclesia Apostolorum multo honore recondidit. Quod actum est decimo sexto consulatu Theodosii (*An. Dom. 438*), 17 Januarii mensis die. SOCRATES, *lib. vii, cap. 44. Edit. Christ. Vales. cap. 45, p. 388.*

Paulus quoque Novatianorum episcopus eodem consulatu, 29 Julii mensis die, defunctus est. Qui cum agrotaret, nec diætam consuetam transgressus est, nec orationes solitas prætermisit. Cumque esset morti vicinus, evocavit omnes clericos suos dicens: Cogitate episcopum eligere donec vivo, ne posthæc turbas Ecclesie nostræ sustineant. Illis vero ei potius electionem dantibus, Paulus ait: Ergo scriptam mihi hujusmodi date professionem, quia ipsum eligatis quem ego decrevero. Quibus hoc facientibus atque subscribentibus, Marciani presbyteri nomen in charta conscripsit atque signavit. Fecitque priores similiter signare presbyteros, eamque chartam apud Marcum deposuit, Scytharum Ec-

clesiæ Novatianorum episcopum, dicens: Si vixero, mihi redde; si mortuus fuero, hic invenietis quis debeat ordinari. Post cujus obitum tertia die resignantes, et Marciani nomen invenientes, ejusque laudantes electionem, sine ulla mora miserunt in Tiberiadem Phrygiæ, ubi tunc habitabat. Et comprehensum deduxerunt vicesima prima die ejusdem mensis, et ordinarunt episcopum. SOCRATES, *lib. vii, cap. 45. Edit. Christ. Vales. cap. 46, p. 389.*

CAPUT XV

Quomodo Eudoxia uxor imperatoris Hierosolymam sit profecta.

Theodosius igitur imperator pro beneficiis a Deo sibi collatis, gratias refererebat, plurimis honoribus Christo sua vota compensans, conjugemque suam Eudoxiam ad Hierosolymam destinavit. Hoc enim et ipsa votum habuerat, si filiam videret nuptiam. Quæ tam Hierosolymis ecclesias constitutas quam per singulas civitates positas honoravit, et cum pergeret, et cum denuo remearet. SOCRATES, *lib. vii, cap. 46. Edit. Christ. Vales. cap. 47, p. 390.*

CAPUT XVI.

Quod Proclus Thalassium senatorem auctoritate sua Cæsareæ Cappadociæ fecerit episcopum.

Proclus autem episcopus eodem tempore, septimo decimo imperatoris Theodosii consulatu (*An. Dom. 439*), rem mirabilem operatus est, quam nullus priorum fecit episcoporum. Cum enim Firmus episcopus Cæsareæ Cappadociæ mortuus fuisset, aderant Cæsarienses, petentes episcopum. Cumque cogitaret quem eis ordinare debuisset, contigit ut ad eum salutandum die sabbato senatores universi venirent. Inter quos Thalassius, qui præfecturæ Illyrici administraverat dignitatem. Cumque futurus esset, sicut habebat fama, ut Orientalem regeret præfecturam, missa manu Proclus pro præfecturæ dignitate episcopatum ei Cæsariensium civitatis imposuit. Hæc quidem in Ecclesia illo tempore gerebantur. Nos autem hic terminum faciamus historiæ, in pace gubernari cunctas Ecclesias exorantes. Nos ergo, o sacratissime homo Dei Theodora, tuam complevimus iussione, illum facientes historiæ, in anno secundo trecentisimæ quintæ olympiadis, consulatu decimo septimo imperatoris Theodosii. SOCRATES, *lib. vii, cap. 47. Edit. Christ. Vales. cap. 48, p. 391.*

M. AURELI CASIODORI

CHRONICON,

AD THEODORICUM, REGEM.

PREFATIO.

360 Sapiencia principali, qua semper magna revo-

D fastis veritatis pristinae veritatem. Parvi libens præ-

vitis, in ordinem me consules digerere censuistis: ut qui annum ornaveratis glorioso nomine, redderis

ceptis, et librariorum varietate detersa, operi fidei

historicæ auctoritatis impressi, quatenus vester ani-